IX . k . 3

DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

GIFT OF
Louis C. Karpinski

...ia sequentem appellatiua 4

...gerealique huius

...ens meus, studuit coloniae.

...mius domi belliq;

...eitius humi

... propria tamen fuerit 3 declinationis

...ius habitat neapolis

...ter meus studijs conflictiae.

...arg est Romae

...eius ruri vel ablatiuo rure utrumuis

...e eo uiuentem audies in urbe beati

... Ruri maneris quid tunc agam

...us mortuus rure est

...mi etiam cum substantiuis copulatis

... domi est mortuus

43 Si per uno ver qua fiat interrogatio

pauens meus heri redijt per bonna co...

pauens meus Roma redijt

Redeo Athenis

venio rure

44 Nomina Insulae urbium regionum prou...

per galliam iturus in hispaniam

In ... abijt in Affricam

venio in germaniam

Iter feci per germaniam in Angl...

Alias patis

I Quoduis verbum admittit datiuum ...

personae in cuius gratiam commodum vel ...

aliquid fit

ut tibi studes

Doce mihi filium meum

Excuso tibi negligentiam

Stat mihi magno hoc studium

...ioa consecratione datu...
...cu ordinatz ideo in Ecclesia
...t iterare · Ide d. Aug. in serm.
...ipse etiā noen characteris
...posse iterari ordinationem.

QUARTA — Pars 4.

...q̄d sit
Sacramenti ministerio;
...a sacramentum cōferre debet sa=
...otium diaconatu nō tribus nisi
...lesia nōquā agnouit presby=
...si ab Episcopis ordinatos. sufficien=
...c. Trid. sess. 23 Can. 7 de
... vbi anathema de iis q a
...mo ee presbiteris superiores
...tatem confirmandi ordinan.
... presbiteris quam habent ee coem
...MONYS Huius Sacrameti.
...ra sit qda ceremonia huius Sacra=
...ipsi ...ramento: Sed ante
...ndi vnctione q etsi acci=
... ceremonia vere accidentalis
...atione neq vngitz caput Epis=
...esbiteri hac ceremonia chris=
... fuisse colligitz ex caps: 4 Ec...

PROMPTVARII EXEQVIALIS

PARS PRIOR,

CONTINENS CENTVRIAS III.

DISPOSITIONVM, QVIBVS Themata Funebria siue scripturæ dicta varia, (quæ in MANVALI BIDEMBACHIANO Anno 1603. primùm edito, ceu Indice quodam annotata, & pro varietate Casuum, ac personarum qualitate, in NOVEM CLASSES distributa extant) breuiter explicantur.

Pro Tyronibus in Ministerio Ecclesiarum Ducatus VVirtembergici, & cæteris.


AVTHORE

FELICE BIDEMBACHIO D.

EDITIO SECVNDA.

Quid in hac Editione secunda auctum mutatumque, & quibus de causis id factum sit, sequens Præfatio Lectorem docebit.

Cum priuilegio Illustrißimi Electoris Saxoniæ speciali.



FRANCOFVRTI

Apud WOLFGANGVM RICHTERVM,

Sumptibus Ioannis Berneri.

ANNO M. DC. X.



AD LECTOREM PRÆFATIO.



VM præteritis Nundinis Francofurtensibus, exemplaria Promptuarii Exequialis, ſumptibus Viri optimi & integerrimi, Domini Ioannis Berneri, Anno 1608. primùm excuſa, opinione citius diuendita atq; diſtracta fuiſſent, mox idem Bernerus, de Tyronibus in Miniſterio Eccleſiaſtico benè mereri cupiens, animum ad ſecundam editionem adiecit, enixè ſimul & inſtanter authorem rogitans, vt priorem editionem vel recognoſceret, vel tamen paucula quædam auctarii loco in fine vtriuſq; partis Promptuarii exequialis adiiceret. Quamuis aũt crebriores iſtæ libellorũ locupletationes, hactenus multis bonis, & ſanè in his ipſi etiam authori, interdum

molestę magis quàm gratæ fuerint: non potuit tamen author hoc tempore, certis & grauibus de causis iustæ petitioni viri optimi (cui siue æmulatio siue auaritia quorundam librariorum hactenus non parum damni dedit) deesse: Præsertim cum in Designatione Locorum Scripturæ (quæ priori parti pręmissa est) incuria Amanuensis, (cui isthæc opella demandata erat) sæpiusculè, præsertim verò in annotatione numeri, quo Themata Clasśis Decimæ signari debuissent, erratũ fuisse deprehendisset. Indicem itaq; hunc primùm ipse restituit: deinde paucula quoque Themata (tali asterisco * notata) suo loco inserta adiecit, quorum Dispositiones in fine secundæ partis, auctarii loco annexæ reperientur. Tertiò, quæstiunculas etiam iucundas & scitu non inutiles, atque huic materiæ conuenientes, ex diuersis Augustini libellis desumptas, priori parti Promptuarii appendicis loco subiecit author: vt Tyronibus (quibus rarò datur, vt vel sibi emere, vel etiam legere possint integrum illud Augustini opus) nonnulla scitu maximè digna, ex hoc magni nominis Theologo & Patrum orthodoxorum

rum

rum Lumine, ſimul innoteſcerent. Cum enim interdum DIVI illius AVGVSTINI inſigniora loca citaſſet author, pleraque tamen ceu digito tantum monſtraſſet, in hac parte Promptuarij, monitus fuit à nonnullis, vt in gratiam Tyronum (quibus vt plurimum res anguſta domi) ſi ita ferret occaſio, integras Auguſtini ſententias ſubſtitueret. Quibus hac ratione aliquatenus conſultum voluit author.

Quod ſi hoc lectori gratum accidit, gratum quoq; authori fuerit, ſin minus, beneuolum tamen lectorem amicè rogabit, vt nihilominus de hoc ipſius ſtudio iuuandi Tyrones, amicè ſentiat, & precibus ſuis pios conatus porrò etiam iuuare non dedignetur. Valeat lector amicus optimè. 12. Ianuar. An. 1610.



REVERENDIS, CLARISSIMIS, PIETATE, ERVDITIONE PRÆSTANtissimis, omnique virtutum genere ornatissimis viris,

M. Lucæ Osiandro, Schorndorffensis
M. Casparo Lutzio, Waiblingensis
M. Heinrico Efferhem, Canstadiensis
M. Ioanni Osiandro, Marpacensis
M. Philippo Schickhardo, Güglingensis
M. Conrado Weickio, Meckmülensis

} Eccles. Pastoribus, & vicinarum superintendentib. Sp.

Cæterisque

Subiectarum Ecclesiarum Generalis Ephoriæ Adelbergensis, Pastoribus & Ministris centum triginta sex, Dominis, affinibus, amicis, & in Christo fratribus, honorandis atq; clarissimis,

Salutem & omnem à Domino prosperitatem ex animo precatur

FELIX BIDEMBACH D. ABBAS ADELBERgensis, Superintendens Generalis.



Tsi vereor, viri Reuerendi, & vndequaque doctissimi, amici & fratres in Domino charissimi, ne turpe sit, post tot clarissimorum Theologorum elaboratissimas funebrium thematum expositiones, meas etiam qualescunq; Dispositiunculas in lucem emittere, minimeque deceat actum (quod dicitur) agere, & Iliada post Homerum scribere; multum tamen me recreat & reficit plurimorum

rum

rum Sapientißimorum & doctißimorum virorum consilium: qui non tantum absque damno Ecclesiæ me institutum meum prosequi omninò posse, & post multos egregios artifices etiam huic operi manum admouere debere putarunt: sed etiam officii mei esse iudicarunt, sic stare promißis, & exspectationi multorum vel tandem satisfacere. Etenim cum superioribus annis edito Manuali quodam, (quo Tyrones in Ministerio Ecclesiarum huius Ducatus vti possent) inter cætera etiam Thematum nuptialium atque funebrium centurias aliquot, ceu Indice quodam, breuiter annotassem: & in Præfatione istius libelli eorundem etiam breues Dispositiones me aliquando traditurum promisissem; (siquidem istam meam opellam Ecclesiæ Ministris non ingratam esse cognoscerem) non defuerunt hactenus, qui tales conciuncularum notas & summulas studiosè flagitarent.

Et quidem cum ante biennium nuptialium Thematum qualescunq; dispositiones typis euulgassem, auidè illas quam plurimi (quod citra iactantiam dixerim) exceperũt: & datis hinc inde ad me literis amicè rogarunt, vt quod circa nuptiales Textus fecissem, idipsum etiam in funebribus explicandis, haud grauatim præstarem. Cuius rei testes esse volo locupletißimos, vos viros Reuerendos & Doctißimos, Dominum M. Casparum Lutzium, Ecclesiæ VVaiblingensis Pastorem, & vicinarum Superintendentem: & Dominum M. Martinum Plancum, tũ temporis Ecclesiæ VVinendensis Pastorem (nũc verò Abbatem Monasterii Murrhartensis dignißimum,) vosque cæteros Diœceseωs VVaiblingensis & VVinendensis Pastores atq; Ministros fidelißimos, M. Georgium Pfitzium: M. Abrahamum Schauberum: M. Thomam

Rummelium: Danielem Stamlerum, M. Georgium VVolffium, M. Michaelem Kunium, M. Stephanum Zanium, M. Georgium Anshelmum, M. Ludouicum Braittmaierum, Ioannem Hieronymum Pindarum, M. Melchiorem Nicolai, & M. Balduinum Burgium, qui cum cæteris duobus vestris collegis, Dauide Rottschmidio, & Ioanne Conrado VVolffio, nunc cum filio Dei viuentibus, non tantùm scriptis ad me literis humanitatis & officii plenißimis, sed & misso insigni honorario, de quo (nouit Dominus καρδιογνώστης πάντων) ne per somnium quidem cogitabam, animum vestrum erga me, nihil tale de vobis meritum vel cogitantem, declarastis; insuper etiam, quod nihil magis in votis habeatis, (vestra hæc sunt verba) quam vt Thematũ Funebrium Dispositiones subsequantur nuptiales illas, significastis. Id quod gratæ memoriæ causa in vestri honorem hoc loco recensere volui.

Fecerunt idipsum etiam alii, benè magno numero, quorum nomina hic lubens taceo, ne (quod prouerbio dicitur) mihi Suffenus esse, aut Sellisare videar.

Sed & exterorum quoque Ministrorum nomine, cupidè mihi instat, & vrget, vir nobilis & Magnificus, Iureconsultus clarißimus, Dominus D. Martinus Aichmannus, Serenißimi Saxoniæ Electoris Consiliarius laudatißimus, Ministerii Ecclesiastici fautor & patronus integerrimus, Dominus & amicus meus honorandus atq; charißimus, quem honoris causa hic nomino: cuius in Religione vera synceritatẽ, in propaganda gloria nominis diuini zelũ, & veram pietatem cum singulari humanitate, & morũ suauitate coniunctam, meritò vnà mecum omnes boni paßim deprædicant.

Quamuis igitur mecum habitare, meoq; me pede metiri didi-

didicerim, & quàm sit mihi curta supellex probè nouerim; non debui tamen, nec sanè potui, tantorum virorum siue petitioni, siue consilio, refragari. Neq; enim mihi (vt cum Persio loquar) cornea fibra est. At licet non pauci viri optimi & doctißimi spem mihi fecerint, non fore hunc meum laborem inanem in Domino: alii tamen aliter (scio) iudicabunt. Quod si verò hoc vnum obtinuero, vt illi fateantur, me nihil à veritate scripturæ alienum scripsisse, sat habeo. Cæteros, quibus isthæc minuta non placent, ad aliorum & doctiorum Funebria remitto, quæ magno numero paßim reperiuntur, vt sunt Matthesii, Selneceri, Pancratii, Rodii, Sautteri, Heßiacorum & plurimorum aliorum Theologorum: vbi omnia copiosè, eleganter, artificiosè traduntur, & materiæ variæ, adiectis paßim historiis, atq; aliis sententiis prophanorum authorum, iucundis vel vtilibus fusius tractantur.

Quas porro consilii & instituti rationes sequutus fuerim, paucis ostendam.

1. Breuitati mihi omninò fuit studendum: ne libellus formam Enchiridii excederet: quod tamen præter exspectationem mihi accidisse vereor. Neq; sanè absq; omni difficultate, tot tamq; varia funebria themata breuißimis Dispositionibus, siue concionum notis, comprehendi potuerunt: (quod quidem nonnulli inexperti facilimum esse opinantur) vbi vel nudæ capitum Biblicorum & versuum allegationes crebriores mediocrem laborem requirunt: præsertim cum non vna, sed plures centuriæ Dispositionum conficiendæ sunt.

2. Scripsi autem non pro exercitatis Ecclesiæ Ministris, qui meliora ipsi norunt, sed pro Tyronibus, & pro his, quibus vel cæterorum Theologorum in hoc argumenti gene-

re editos libros prægrandes emere non licet; vel si maximè habeant, tamen exigui temporis interuallo (quod plerumq; rustica gens concionibus funebribus habendis relinquit) prolixiores istos sermones legere non vacat.

3. Methodum porrò quod attinet, eam, quæ in nostris Ecclesiis vsitata est, sum sequutus: quæ & captui auditorum & memoriæ tàm docentium quàm discentium (meo quidem iudicio) accommodatissima est. Neq; tamen eadem vbiq; chorda, quod dicitur, semper oberrare, sed pro varietate locorum scripturæ, diuersa themata, methodo quoque diuersa, proponere & explicare nonnunquam volui: quod id neq; molestum neq; ingratum Tyronibus esse, non semel intellexerim. Sed & varietas, vt est in prouerbio, interdum & docentes & discentes delectat.

4. De stylo nihil fui solicitus: cum homiliæ illæ vernacula lingua habendæ ad populum, excultam illam & exquisitam Latini sermonis diligentiam non requirant. Hoc potius egi, vt planissimè omnia dicerem, in hac breuitate: ne Delio natatore vspiam opus esset. Placet enim, & venerationi mihi cum Hieronymo est, sancta simplicitas.

5. In allegandis scripturæ locis versionem Bibliorum germanicam D. Lutheri semper secutus sum: quia in concionibus sacris ista versione vtimur. Vbi verò verba Textus Latinæ versionis antiquæ cum Germanica (quæ fontibus proxima est) conueniunt, eadem quoque verba (præsertim vbi singularem habuerunt emphasin) in allegationibus retinui.

Neq; tamen omnia scripturæ dicta singulis locis accommodanda subieci, (quod infiniti fuisset laboris) sed paucula quædam, & vulgatissima plerumque, nonnunquam etiam

iam insigniora tantum, notaui, vt Lectori ansam præberem inuestigandi plura.

6. Textus sacri paraphrasin semper sequitur Locus communis, quem & vsus Loci vbique ferè comitatur. Nolui autem hoc vbique peculiariter (vt in prima dispositione primæ Claßis factum) notare, ne iudicio Lectoris diffidere velle videar. Neque verò diffiteor, haud rarò Textus paraphrasin prolixiorem esse ipsa Locorum communium tractatione. At consulto id factum. Quia vbi verba Textus probè enucleata fuerint (quod artis opus) facilior semper erit Loci communis cuiuslibet tractatio, ex ipsa paraphraseωs annotatione deprompta.

7. Quod sæpius iidem Loci communes recurrunt, Lectori (quod spero) molestum non erit. Quia magna scripturæ dictorum, præsertim sub vna classe comprehensorum, est cognatio. Et habebunt tamen pleriq; loci singulare aliquid, si paulò illos accuratius pensitauerit Lector non morosus. Quia verò diuersis temporibus à me conscriptæ fuerunt hæ Dispositiones, non potui semper ea, quæ in præcedentibus fuerunt tractata, reminisci.

8. Quæstiones potuissem interdum immiscere grauiores & difficiles: at quia coram rudi plebecula, vtplurimum Tyronibus dicendum est, illas studiosè vitare volui: quia spinosas & arduas atque ambiguas quæstiones imperito vulgo proponere, minimè consultum iudicaui.

9. Quod verò primam hanc Promptuarii exequialis partem seorsim Lectori trado, atque tres tantum hac vice centurias funebrium Thematum exhibeo, causa hæc est, quod sicut in cæteris præmißis libellis, ita etiam hîc formam Enchiridii retinendā censui, vt sic commodius Ecclesiarum

Mini-

Ministri, quibus conciones non rarò extra locum domicilii peregrè in Filialiis (vt vocantur) habendæ sunt, sine difficultate talem aliquem libellum secum ferre, & inter deambulandum quoq; funebria ista, quæ tractaturi sunt Themata, commodius meditari poßint. Hanc verò subsequetur propediem (Deo dante) etiam pars altera, Claßis decimæ themata complectens, & duas postremas centurias continens. Sed & hoc Lectori considerandum relinquo, quod si maximè quinq; centurias coniungere voluissem, non potuisse tamen illas in vnũ volumen referri: aut libri formam mutandam fuisse, quod plerisque ex causis supra commemoratis, molestum & ingratum fore metuebam. Et quia hæc Promptuarii mei pars prima, Themata illa nouẽ claßium Manualis, singularibus casibus accommodata, complectitur: singulari quoq; volumine, haud incommodè in lucem prodìtura est.

10. Pars verò altera, quæ decimæ claßis, & promiscua illa omnibus funeribus accommodanda Themata complectetur, peculiari quoq; volumine, in eadem forma commodius typis mandabitur.

Et quia ambæ partes Promptuarii exequialis simul nec excudi, nec quoq; propter chartarum spißitudinem coniungi potuissent, Lectori iam primam exhibere volui, vt ea vti tantisper poßit, vsque dum altera subsequatur, quod breui futurum spero. Rogauerunt enim me amici mei, vt quia integrum volumen iam esset confectũ, non diutius bonos quosdam Ecclesiæ Ministros detinerem hiantes: quorum multi falsam hanc sibi persuasionem induant, quod longiori interposita mora, ipsorum exspectationem forsitan sim decepturus. Quanquam verò iam dudum illi satis facturus fuissem, tamen plurima hactenus à scriptione ista me remorata

fue-

fuerunt, & à proposito sæpè præter meam voluntatem abstraxerunt. Sed & tot centuriarum Dispositiones aliquantulam moram postularunt.

Hactenus scripti huius & consilii mei rationes explicandas censui.

Hunc verò meum qualemcunque laborem, viri Reuerendi, clarissimi & doctissimi, amici & fratres in Domino charissimi, Nominibus vestris inscribere & consecrare volui: non eam ob causam, quod cuiquam vestrum his meis Dispositiunculis opus esse existimem: sed quod officii ratione, me vobis arctiori vinculo, quam cæteris huius Ducatus Ministris obstrictum esse putem. Et cum hactenus eo tempore, quo Generali meæ Superintendentiæ (quam sic vocant nostrates) addicti fuistis, singularem erga me (licet indignum) beneuolentiam vestram perspexerim atque senserim, meum vicissim in vos amorem, & benè de vobis omnibus promerendi studium, publicè testari: vobis verò, quos supra nominaui, VVaiblingensibus & VVinendensibus inprimis, hac ratione grati animi significationem aliquam dare volui. Sicque simul omnibus vobis, mea (si quæ sunt) officia, iam diu debita, deferre debui.

Accipite itaque & boni consulite, atque contra maleuolos, quantum par est, defendite hanc meam opellam, quamtumuis tenuem, & precibus vestris (quod vnum à vobis peto) me meamque vocationem iuuate. Ego vicissim vestram vestrorumque omnium salutem & incolumitatem, Domino Deo nostro, piis votis commendare non desinam. Valete in Domino benè. Dedi Adelbergæ, die Felicis & Regulæ, (olim natali meo) qui est 11. Septembris. Anno Christi 1607.

EPI-



EPIGRAMMA
ANDREÆ OSIANDRI
S. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
Academiæ Tubingensis Cancellarii, & Ecclesiæ eiusdem Præpositi,

In

Reuerendi & clarißimi viri D. D. FELICIS BIDEMBACHII, *Abbatis Adelbergensis*

Promptuarium Exequiale.



Vr non sis FELIX, qui fausto sydere natus
Felices alios reddere ritè studes?
Scilicet est felix, qui mente manuq; paratus
Commissi præstat muneris ἔργα sui.
Hactenus hoc magna tu dexteritate probasti,
Peruigili studio scripta polita parans.
Tale est hoc etiam, quo, tristia spicula mortis
Contemnenda sient qua ratione, doces.
Perge ita mi FELIX: sic felicissimus olim
Splendebis, veluti sydera clara poli.

Tuus frater

A. Osiander D.

IN



In Promptuarium Exequiale

REVERENDI CLARISSIMIQVE VIRI, D. FELICIS BIDEMBACHII, S. S. Theologiæ Doctoris, Illustrissimi DVCIS Würtembergici Consiliarii, Adelbergensis Monasterii Abbatis, &c.

IOANNES GEORGIVS HVNGERLINVS, SENATVS ECCLESIAstici in Ducatu Würtembergico DIRECTOR.



Mnia Tempus habent: numerant mensesq́; diesq́;
Numina, perpetuò durat in orbe nihil.
Nascimur, ast nati, dubio discrimine vitam
Ducimus, & lubricam vita habet ista fidem.
Diffugiunt anni, sensim subit ægra senectus,
Labunturq́; dies more fluentis aquæ.
Tempora connubii dissoluunt fœdera: Tempus
E medio tollit, quicquid in orbe viget.
Sola nequit PIETAS, ac SPES confisa Tonanti,
VERBVM saluificans, & bona FAMA, mori.
Talia perpendens, qui connubialia nuper
Themata dictárat, nunc parat Exequias.

In-

Informatq; pios, ex omni parte, Ministros,
Quid prosit mundum? quid coluisse DEVM?
Quinetiam sacri tradit Solatia verbi,
Corpora quod vitæ restituenda monet.
Hæc, benè si memorent populo, qui Mystica tractant,
Innumeris poterunt corda beare modis.
Ergò, nunc geminas Authori soluere grates
Non cessent, quotquot Dogmata sacra docent.
At Tu, cui pietas curæ est, Dignissime PRAESVL,
Viuere perge DEO, pascere perge Gregem.
Sic tibi decernet meritas Ecclesia laudes,
Atque tuum memori sparget in Orbe decus.

DESI-

DESIGNATIO LOCORVM SCRIPTVRÆ, EX QVIBVS THEMATA SVBIECTA funebria deprompta sunt.

NOTANDVM LECTORI.

Primus numerus libri Biblici Caput indicat. Secundus autem Classem, sub qua locus quilibet comprehensus, (scilicet eadem serie, qua in Manuali prius edito collocatus) & breui Dispositiuncula illustratus est, denotat. Tertius verò numerum Thematis in sua Classe ostendit. Quartus paginam Manualis designat, vbi locus idem germanicè extat, vt facilior sit collatio.

GENESIS. Caput.	Cl.	The.	Pag. Man.
2. Quacunq; die comederis.	X.	1.	543.
3. In sudore vultus tui vesceris pane.	X.	2.	543.
3. Multiplicabo tibi dolores partus.	III.	1.	486.
4. Abel occisus à Caino.	VII.	App.	524.
4. Si benè egeris, recipies.	IX.	1.	534.
5. Catalogus Patriarcharũ. Et mortuus.	II.	1.	476.
5. Et mortuus est. Et mortuus est.	X.	3.	543.
5. Translatio Patriarchę Enoch in cœlũ	X.	4.	543.
11. Mortuus est Haran ante patrem.	IV.	1.	489.
15. De Abrahamo. Ibis ad patres tuos.	II.	2.	477.
18. Abraham de se; Cinis & puluis sum.	VI.	App.	513.
23. De morte Saræ.	II.	17.	481.
25. De morte Ismaelis.	II.	4.	477.
25. De Morte Abrahami.	II.	3.	477.
25. Querela Rebeccæ grauidæ.	III.	2.	486.
27. Caligauerunt oculi Isaac.	V.	1.	496.
27. Ecce ego senui, & ignoro diem mortis meæ.	*		
35. Mors Isaaci.	II.	5.	477.

IV.

21. Io-

CHRONICORVM II.	Cl.	The.	Pag. Man.
Caput.			
21. Iorami morbus inteſtinorum.	V.	5.	497.
24. Luctus ſuper obitu Ioſiæ.	I.	12.	471.
33. Manaſſe pœnitens.	VIII	2.	527.
35. Ioiada Sacerdos moritur.	I.	11.	471.
HIOB.			
Caput.			
1. Filij Iobis oppreſſi ruina domus.	VII.	App.	519.
1. Ignis conſumens gregem Iob.	VII.	App.	521.
1. Nudꝰ egreſſus ſũ ex vtero matris meę.	X.	27.	552.
2. Iob afflictus ſcabie peſſima.	V.	2.	496.
5. Beatus quem caſtigat Dominus.	X.	29.	553.
5. Ingredieris in ſepulchrum in ſenecta vegeta.	*		
7. Militia vita hominis ſuper terram.	V. & X.	6. & 28.	494.
7. Vita ventus.	VI.	App.	511.
7. Nauicula textoris.	VI.	App.	552.
8. Vita hominis vmbra.	VI.	App.	510.
9. Vita comparatur { Curſoribus. Nauibus. Aquilæ volanti.	VI.	App.	511.
10. Cogita quod ex luto feceris me, & in puluerem reduces.	X.	30.	553.
13. Cadaueri / 13. Veſti conſumptæ } vita ſimilis.	VI.	App.	511.
14. Homo natus de muliere breui viuens tempore.	IV. X.	8. & 31.	494. & 553.
14. Numerus menſium apud te.	X.	32.	553.
16. Si ſic iudicaretur vir cum Deo.	X.	33.	553.
17. Si ſuſtinuero, infernꝰ domus mea erit.	X.	34.	553.
19. Scio quod redemptor meus viuit.	X.	35.	554.
20. Gloriatio impiorum perit.	IX.	10.	537.
27. Diues ſi dormierit, nihil ſecum auferet.	IX.	36.	538.

PROVERBIA.	Cl.	The.	Pag.
Caput.			Man.
11. Diuitiæ non prosunt in die iræ.	IX.	17.	539.
14. Etiam in morte sperat iustus.	I.	16.	472.
14. Domus impij delebitur.	IX.	18.	539.
14. Timor Domini fons vitæ.	X.	77.	569.
16. Corona senum canities.	II.	30.	483.
18. Turris fortissima nomen Domini.	X.	79.	569.
19. Qui patrem affligit.	IX.	19.	539.
20. Fortitudo gloria iuuenum.	II.	28.	483.
22. Fama melior diuitiis.	I.	17.	472.
22. Idem locus habetur etiam	X.	80.	569.
27. Noli gloriari de crastino.	VI.	4.	505.
ECCLESIASTES.			
Caput.			
5. Tempus moriendi.	X.	81.	569.
6. Etiam vir celebris homo est.	I.	19.	473.
7. Velut vmbra transit homo.	VI.	App.	510.
7. Melior dies mortis die natiuitatis.	X.	82.	569.
7. Melius est ire in domum luctus quam conuiuij.	Ib.	83.	Ibid.
7. Melior est tristitia risu.	Ib.	84.	570.
7. In die bona lætus esto.	Ib.	85.	Ibid.
9. Sicut pisces hamo.	VI.	5.	506.
9. Nescit homo an odio.	VII.	9.	516.
11. Si diu viuat homo.	II.	31.	483.
11. Sicut ceciderit arbor.	IX.	8.	537.
12. Memento creatoris. Locus integer.	II.	32.	~~484~~. 201.
12. Memento creatoris.	IV.	7.	~~494~~. 276
12. Spiritus redit ad Deum.	X.	86.	570.
12. Deum time, & mandata custodi.	Ib.	87.	Ibid.
ESAIAS.			
Caput.			
3. Auferet Dominus fortem.	I.	20.	473.
14. Semen impii in obliuione.	IX.	Ibid.	539.
22. Eliakim clauus.	I.	21.	473.

TO-

17. Nunc

15. Se

le reste de cet indice est transposé en deux endroits de l'indice qui est à la fin de ce volume.

THEMATVM FVNEBRIVM DISPOSITIONES.

Classis I.

Continens themata, quæ in funeribus honoratiorum, & eorum qui vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ cum laude præfuerunt, commodè pro concione tractari possunt.

Thema I.

Numer. XX. cap. vers. 23. ad finem capitis.

De morte Aaronis Sacerdotis. Vide Manualis paginam 467.

DISPOSITIO.


Vgubris est hæc historia, in qua describitur, quomodo primus & summus populi Israelitici Sacerdos, in præsentia filii Eleasari & fratris Mosis, ita volente & iubente Domino, diem suum obierit. Sunt autem quatuor partes historiæ.

1. Denuntiatur a DEO mors Aaronis, ipsi & fratri Mosi.
2. Vestibus simul & officio exuitur Aaron. Ipsi autem succedit filius.
3. Mors Aaronis notatur.
4. Luctus populi super obitu sui Sacerdotis describitur.

I. Pars.

1. Primum circumstantia loci notatur. Facta hæc esse in monte Hor, qui est in finibus terræ Edomitarum.

2. Ibi Dominus denuntiat Mosi & Aaroni, instare horam mortis Aaronis. Moriendum enim illi antequam ingrediantur filij Israël terram Canaan.

3. Causa huius additur: Quia incredulus fuerit tam ipse Aaron Sacerdos, quàm frater Mose Dux populi ad aquas contradictionis. Historia extat hoc ipso capite. Num.20.v.11. & seqq. Diffidebant autem Deo. Inde minatur illis mortem præmaturam.

4. At ne videatur mors hæc Aaronis obfutura saluti, ita temperat Dominus suum sermonem, vt intelligat spem sibi fieri de æterna salute, quia resipuit post peccatum. Etenim de morituro Aarone dicit Dominus, Colligatur ad populum suum, h. e. transeat ad sanctos maiores suos, qui in vera fide hinc decesserunt, & iam cum Deo æuum agunt.

LOCVS COMMVNIS. I. Magnis viris æquè moriendum ac infimis. Via omnis Carnis. 1. Reg.2. Omnibus constitutum mori. Heb.9. Fortis Samson. Dauid heros. Salomon sapiens. Mose fidelis.

Ratio. Quia omnes sumus ex æquo peccatores. Omnes declinauerũt. Ps.14.v.3. Vsus. Ergo non graue sit nobis mori. Colligimur ad populum nostrum. Es geht vns erst wie andern Leuten vor vnd nach vns. Estque plenissima consolatione hæc phrasis, Colligi ad patres, qua & animæ immortalitas, & hoc quoque significatur, Beatè viuere pios defunctos, & congregatos vno in loco frui æternis gaudiis, in altera vita.

II. Consolationem tamen petere licet ex hoc loco, quod mors corporalis piorum æternæ saluti nihil officiat. Ideoque somnus dicitur. Ioan. 11.v.11. Luc.8.v.52. Et quies. Apoc.14.v.13. Etiamsi interdum propter certa peccata mors præmatura abripiat. Exempla. Mose. Aaron. Propheta inobediens. 1.Reg.13. Ita tamen, si agatur vera atq; seria pœnitentia. Contentus enim est Deus temporalis mortis supplicio. Huc pertinet id, Castigabo te in iudicio, ne impunitum dimittam te. Ierem.46.v.vltimo.

mo. Et Ierem. 30. v. 11. ne videaris tibi innocens. Vsus. Ergo mortem non horreamus. Licet enim sit stipendium peccati, tamen in pios nihil iuris habet. Mors enim secunda Apoc. 21. v. 8. destructa per Christum. 1. Cor. 15. v. 26. Et ademptus illi aculeus, Ose. 13. v. 14. 1. Cor. 15. v. 55.

II. Pars.

Aaronem Mandato Dei vnà cum filio Eleasaro deducit Moses in montem Hor, inspectante omni populo. Ibi exuitur Aaron veste sacerdotali, & illa induitur filius Eleasarus. Parent mandato Dei simul hi tres. Hac autē ceremonia ostendere voluit Dominus Aaroni, successurum ipsi filium in summo Sacerdotio, sicq; simul iussit ipsum immitti in possessionem Sacerdotij, coram oculis patris.

Voluit hac ratione Dominus singulari gaudio in ipsa hora mortis afficere bonum Aharonem, vt videret filium in summa dignitate sibi surrogatum, sicq; alacrius mortem subiret.

L. I. Videmus verum id esse, Fidelis Deus non sinens tentari vltra vires, 1. Cor. 10. Triste erat exui & veste sacerdotali, & vita simul. At vicissim iucundum erat videre filium successorem. Vide quomodo sibi gratuletur Dauid moriturus, propter filium quem videt successorem regni, 1. Reg. 1. v. 48. Sic in ipsa etiam hora mortis Deus suos solet perfundere gaudio, ne illis sit acerba mors. Stephanus cœlum videt apertum, Act. 7. Tale spectaculum in verbo suo omnibus piis ante oculos ponere vult. Hinc id, etiam in morte sperat iustus, Prou. 14. v. 32. Videmus enim thronum nobis per Christum in cœlo paratum. Sedebitis super thronos, Luc. 22. v. 30. Benè itaq; sperandum cum Dauide, Psalm. 23. Tametsi ambulauero, &c. Dicendum ex Psal. 118. Non moriar, sed viuam. Et Psal. 73. Dummodo te habeam, & seqq.

Locvs II. Posset etiam tractari locus hic de parentibus & filiis. Parentes qui filios volunt videre ante obitum in honore, ipsi non tantum benè & laudabiliter

viuant, vt relinquant liberis benedictionem Domini, de qua Exod. 20. v. 6. ſed & liberos educent in timore Domini Epheſ. 6. v. 4. Filij autem ſint tractabiles & morigeri, vt exhilarent parentes. Prou. 10. v. 1. & digni honorum paternorum hæredes habeantur.

III. Pars.

Natus Aharon Annos 123. Num. 33. v. 39. Corpore adhuc vegeto atq; valido eſt, vt ipſe montem conſcendat. Cum autem aſcendiſſet in verticem montis, nudatuſque eſſet veſtibus ſacerdotalibus, ibi tum confeſtim moritur, & Spiritum Deo reddit.

Quî fit autem quòd Aaron tam citò moritur, cum viribus adhuc integris proſpera vſus fuerit valetudine? Potuiſſet vtiq; naturaliter diutius viuere? Reſp. Dominus dixit, Colligatur Aaron ad populum ſuum & moriatur. Non poteſt itaq; Aharon extrahere vitam vel ad vnum momentum horæ.

Locvs. Diſcimus, Mortem non niſi iubente & volente Domino nos abripere. Deus autem in numerato habet, vt capillos capitis, ita etiam dies, horas & momenta vitæ noſtræ. Pſal. 31. v. 16. In manibus tuis vitæ meæ dies. Pſal. 139. In libro tuo ſcripti dies mei.

Ideoq; ſemper parati & prompti eſſe debemus, vbi Deus iuſſerit, conſcēdere hunc montem cum Aarone. Dann da wird nichts für helffen. Contra vim mortis non eſt medicamen in hortis. Sap. 16. v. 12. Ideoque Aaron nulla vtitur medicina: quia ipſi conſtat de hora mortis. Quia verò nos non ſumus certi, de momento exitus noſtri, ex hac vita, media diuinitus ordinata non debemus contemnere, quib. alioquin vires recolligi & morbi arceri poſſunt. Syr. 38. Exemplum Hiskiæ. Eſa. 38. v. 21. Vide Syr. 38. v. 1. & ſeqq. multis.

Ita tamen vtamur medicina, ne in illa confidamus, ſicut Aſa. 2. Chron. 16. v. 12. ſed mortem ſuo tempore nos effugere non poſſe certò ſtatuamus.

IV. Pars.

IV. Pars.

Videns populus Aaronem ex monte non reuerti, sed Eleasarum (quem Sacerdotalibus vestibus indutum cernebant) patri in officio successisse; facilè potuit colligere Aharonē iam diem suum obiisse. Quia autem officio suo fidelissimè præfuit per multos annos, lugent illius obitum triginta diebus, externis etiam gestibus luctū suum ostendentes. Idq; fecit omnis Israel, à maximo ad minimum: viri pariter ac fœminæ, iuuenes & senes.

L. I Nihil quidem mortuos luctus noster iuuat: Interim tamen affectum erga ipsos pium declarare oportet, luctu moderato. De quo vide Syr. 38.v.17. Præsertim si fuerunt pij & boni. Ideò de filio Ieroboam dicit Dominus, planget eum omnis Israel, quia bonū inuentum fuit in eo.1.Reg.14. Maximè verò si benè meriti sunt de Ecclesia vel Rep. Ideo luget Rex Elisam, Currum & aurigam Israelis.2. Reg. 13.v.14. Horum enim mors damnosa est Reip. & Ecclesiæ, & inter pœnas numeratur. Esa. 3.v.2.

II. Videntur Pontificij ab Israelitis mutuasse peractionem Tricesimorum (den dreyssigsten vt vocant) quibus solent Missas celebrare pro defunctis, vt liberetur anima citius ex purgatorio. At stulta est hæc κακοζηλία.

Etenim teste Augustino, Curatio funeris, conditio sepulturę, pompa exequiarum, magis Viuorum sunt solatia quàm subsidia mortuorum. Item: Corpori humano quicquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium.

Vide Augustin. in libr. de cura pro mortuis, Cap.2. Tom.4. p.628. Et lib.1.de Ciuit. Dei. cap.12. De cura pro mortuis, Cap.14. Tom.4. p.637.

F I N I S.

THEMA II. CLASSIS I.

Numer. XXIII. v.10. Manual. pag. 468.

Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouißima mea horum similia.

DISPOSITIO.

Protulit quidem hæc, quæ prælegimus verba, ſceleratus ille & nequiſſimus impoſtor, Bileamus Ammoniticus Propheta: at quod hîc loquitur, ex ore Dei loquitur. Sic enim Dominus, Num. 22. v. 35. Non aliud q̃ quod ego tibi præcepero, loqueris. Ipſe etiam fatetur ver. 18. Non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt vel plus vel minus loquar. Hoc igitur ipſo Cap. verſ. 5. dicitur Dominus poſuiſſe verbum in ore ipſius. Ergo ſicut Caiphas Ioan. 11. præter ſuam voluntatem, ſic etiam hoc loco Bileam cogitur vera dicere, & bona verba proloqui. Hæc itaq; primũ examinabimus, tum etiam doctrinas ſubiungemus.

VIDEAMVS.

Vt verba prælecta intelligamus, paulò altius quædam erunt repetenda.

1. In hoc conduxit Rex Moabitarum Balack Prophetam Ammoniticum, magniſq; pollicitationibus illi perſuaſit, vt contra Dei voluntatem & propriam conſcientiam, malediceret populo Iſraëlitico, qui iam attigerant fines Moabitarum, Num. 21. in fine. Verentur enim ne illis idem eueniat ab Iſraëlitis, quod Amoritis, Numer. 22. initio Capitis. Sperat itaq; Balak, Prophetam Bileamum ſuis maledictionibus facilius deleturum hunc populum, quàm ipſe poſſit armata manu.

2. At cum amore pecuniæ illectus Propheta tentaret maledicere Iſraëli, Deus non tantum cohibet illius linguam, vt non poſſit maledicere, ſed & penitus immutat illius orationem, vt cogatur benedicere, & benè precari Iſraëli. Quomodo enim, inquit, maledicere potero, quibus Deus non maledicit?

3. In ſpecie autem hoc loco vaticinatur, (Deo os & linguam illius gubernante,) Deum affuturum Iſraëli, & iuxta promiſſionem iam olim Abrahamo factam, Gen. 13 verſ. 16. ita multiplicaturum hunc populum, vt ſit futurus innumerabilis ſicut puluis terræ.

4. Tan-

4. Tandem addit votum, optans ſcilicet, vt cum Iſraëlitis piè mori, & poſt hanc vitam regni cœleſtis cũ piis Iſraëlitis particeps eſſe poſſit. Verba autem ita habent. Moriatur anima mea, inquit. Scit quidem Bileamus, animam immortalem eſſe, ſed vſitato more loquendi, intelligit vitam corporalem. Sic Exod. 21. v. 23. animam pro anima relinquet, id eſt, vitam. Sic ſanguis dicitur anima. Deut. 12. v. 23. Quia ſanguis eſt animę ſiue vitę vehiculum.

Mori autem optat Bileamus morte iuſtorum. Etenim credentes in Chriſtum pro iuſtis reputantur. Qui credit in Chriſtum, iuſtus eſt, Rom. 10. v. 4.

Et credentibus mors eſt ingreſſus ad vitam. Ioan. 5. ver. 24. Optat ergò vt per mortem corporalem ad vitam cum iuſtis & credentibus ingredi poſſit.

Et fiant nouiſſima mea horum ſimilia. Explicatio eſt pręcedentium. Vtinam in extrema vitę hora eandem poſſim habere ſpem vitæ æternæ: Vtinam eandem conſolationem à Deo poſſim expectare, quam habent Iſraëlitæ pii, quos Deus ſingulari fauore complectitur. His nunquam deeſt. Summa, non fecit taliter omni nationi, Pſalm. 147.

DOCTRINÆ.

Locvs I. Memorabilis eſt optio hæc Bileami, vt ſcilicet nobis contingat mori morte iuſtorum. §. 1. Multum namq; intereſt, (quod nequiſſimus etiam Bileamus intelligit) inter mortem iuſtorum & mortem impiorum. De impiis Pſalm. 73. Cum terrore vitam finiunt. Et quod ad nouiſſima illorum attinet, Pſalm. 49. refert, quid de illis fiat, ſicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Propterea tantoperè deplorat Dauid interitum filii, 2. Samuel. 18. Iuſtorum autem animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum, Sapient. 3. Memoria iuſtorum in benedictione. Prouerb. 10. Magna hæc iuſtorum prærogatiua, multum illis ſolatij præſtat in hora mortis. Sciunt Coronam ſibi repoſitam, 2. Tim. 4.

2. Quid autem faciendum, vt mors iustorum nobis contingat, de hoc pauci cogitant Multi enim cupiunt quidem mori sicut iusti, sed nolunt viuere sicut iusti. Multi sibi æternam felicitatem optant, interim tamen nihil eorum agunt, quæ ad acquirendam vitam æternam faciunt. Exempla, Bileam, Simon Magus, Act. 8. Et hi qui dicunt, Domine, Domine, Matth. 7. Et de quibus Paulus Tit. 1. Verbis profitentur se scire Deum. Item. 2. Timot. 3. Speciem pietatis habent. His autem dicetur, Non noui vos. Matth. 7. & 25.

Nemo itaque seipsum decipiat, nemo salutem suam negligat.

3. At qui voti sui compotes fieri volunt, non verbis hoc tantum optare, sed in id incumbere debent, vt 1. per fidem in Christum iustificentur, & pro iustis reputentur à Deo. Iustus fide sua viuet. Hab. 2. Iustificati fide pacem habemus cum Deo. Rom. 5. 2. Fidem iustis operibus testentur. Quæ describuntur Esa. 58. Matth. 25. Dicit enim Hoseas cap. 14. v. 9. Iustos ambulare in viis Domini rectis.

Qui sic iustus est per fidē, & sanctè viuit: is etiam morte iustorum morietur. Iusticia liberabit à morte æterna. Prou. 10. v. 2. & 11. v. 4. Et quod de Israelitis Bileamus prædicat, Deum illis valde esse propitium, idem ad omnes Christianos pertinet. Psal. 34. Oculi Domini super iustos.

Notandum autem hoc loco, quod licet interdum iusti, hoc est, pii & credentes, quoad externam faciem, videantur acerba & tristi morte abripi, (quando vel diutius cum morbis & morte conflictantur, vel cum aduersis casibus pereunt: Contra impii sæpe placida morte decedūt, & vix ad momentum terrentur. Iob. 21. v. 13.) tamen quia nihil facit mortem malam, nisi quod sequitur mortem, teste Augustino De ciuit. Dei, lib. 1. cap. 11. ideoq; ab externis euentibus de morte iustorum iudicari non debet.

Iustus enim etiam in morte sperat Prouer. 14. Et sentit internum testimonium Spiritus sancti. De quo Rom. 8. vers. 16. Et quia lampades illorum semper sunt instructæ

oleo,

oleo, Matth. 25. ideo ſemper paratos inuenit illos Dominus.

Locvs II. Ex verbis, Fiant nouiſſima mea ſimilia horum, monemur de hoc, quod Syr. 7. v. 40. habet, Memorare nouiſſima, & non peccabis in æternum. Qui enim ſolicitus eſt de nouiſſimis, nunquam erit ſecurus. Animam ſuam commendabit in manus Domini, ſingulis momentis, cum Dauide, Pſal. 31. verſ. 6. Et Syr. 18. Memento nouiſſimorum. Quod ſi verò peccatis Deum offendit homo, hoc tamen agat, vt nouiſſima illius ſimilia ſint nouiſſimis iuſtorum. Dicitur enim Prouerbio: **Wann das end gut iſt / ſo iſt alles gut.** Et ſæpe fit, vt nouiſſimi fiant primi. Matth. 19. Hæc autem non dicuntur pro ſecuris. **Man muß es nicht dahin ſparen.**

THEMA III. CLASSIS I.

Num. 27. verſ. 12. & ſeqq. ad v. 18. Manual. pag. 468.

Moſes iuſſus aſcendere in montem Abarim, vt ibi prius contempletur terram Canaan, quam moriatur.

DISPOSITIO.

Moſen virum Dei grauiſſimis negotiis adhibitum, & in ipſius DEI præſentiſſimum Colloquium admiſſum, eumq́; fidelem in omni domo Dei nouimus ex Num. 12. v. 7. Interim tamen quia homo peccator eſt, ex communi lege hominum tenetur mori. Et ſanè quia fuit (Num. 12.) homo afflictiſſimus ſuper omnes qui morabantur ſuper terra, nihil potuit illi contingere optatius, quàm vt ſolutus omnibus huius mundi curis, vel tandem dulci poſſet mandare corpus quieti. Verùm quia obitus illius non tantùm populo, quem hactenus rexerat, valde luctuoſus, ſimul & damnoſus, cum illis omnibus alter parens fuerit, ſed etiam ipſe ratione valetudinis diutius ſuperſtes eſſe potuerit, mirum forſan videri poſſet, quare hoc tempore, & hoc rerum ſtatu Deus ipſum hinc euo-

candum putauerit. Nos itaque primum 1. Dei mandatum, quo mors viro Dei denunciata fuit, eiusque causam: 2. Deinde etiam, quàm æquo animo hoc Moses tulerit, considerabimus.

I. Pars.

1. Morabantur Israëlitæ in finibus terræ Canaan, in quam propediem introducendi erant. Quia verò Mosen Dominus certis de causis (de quibus iam mox dicetur) in Canaan non volebat ingredi, hoc tamen illi concessit, vt conscenso monte Abarim oculis prius omnem terram contēplari posset, quàm ex hac vita decederet. Et legitur Dominus ipsi ostendisse omnem terram Canaan, Deu. 34.

2. Iuxta tamen ipsi dicitur, quando viderit terram Canaan, tum ipsum fore colligendum ad populum suum, quemadmodum iam ante Aaron frater ipsius mortuus fuerit, ipso præsente, in monte Hor, Num. 20.

3. Sed quare non præsentibus oculis terram illam sinit aspicere bonum Mosen, fidelem seruum? Additur ratio. Quia offendistis me (tu & frater tuus) in deserto Sin. &c. Extat historia Nu. 20. & ibi statim minatur Dominus illi atque fratri Aaroni hanc pœnam. v. 12. Repetit hoc Moses Deut. 1. v. 37. & 34. v. 4.

4. Interim tamen benè cum ipso agi ostendit, quod non sit perdendus, sed colligendus ad populum suum. De hac phrasi vide supra in tractatione Thematis 1. Classis primæ, de Aarone, parte 1. numero 4.

Nota. Possunt ex hoc textu tractari ijdem loci Communes, qui supra, loco jam modo citato habentur. Sed addemus hîc alios etiam singulares.

L. I. Sicut Moses à longè tantum vidit terram Canaan, nec licet ipsi diu in illa terra commorari, & ad satietatem ibi viuere: sic nobis in his terris non habitandi, sed exiguo tempore commorandi, & vix illam oculis lustrandi spacium concessum est: mox verò finis vitæ imminet. Ist eben als ob wirs nur einmal hetten gesehen. Hinc

Dauid

Dauid quamtumuis ſeptuagenarius ſe hoſpitem in his terris fuiſſe, aduenam & peregrinum aſſerit. Pſal. 39. & 119. Idem Heb. 11. v. 13. Sap. 5. Hoſpes vnius diei. Ideò ſuperna magis quam terreſtria quæramus. Col. 3. v. 1. Cum noſtrū πολίτευμα non ſit in terris, ſed in cœlo. Phil. 3. v. 20. Venturam vitam inquiramus, cum hîc manentem ciuitatem non habeamus. Heb. 13. v. 14. Satis eſt nos vidiſſe hanc terram, cum mox inſtet hora mortis.

L. II. Quia Deus ne Moſi quidē ſibi chariſſimo parcit, quin dubitationem illius pœna temporali puniat: diſcamus nos Deum timere & abſtinere a peccatis. Si enim hoc fit in viridi, quid fiet in arido? Luc. 23. v. 31. Et ſi iudicium incipit à domo Dei, quis erit finis eorum qui Euangelio non credunt? 1. Pet. 4. v. 14.

L. III. Videmus etiam magnos Viros & heroas non eſſe abſque omni peccato. Verum ergò illud Pſalmi 62. v. 10. Profectò magni viri quoque aberrant, ſi ponderentur in ſtatera, ipſa vanitate ſunt leuiores. Et Prouerbio germ. dicitur: Einem weisen Mann widerfehret nicht ein geringe Thorheit.

Hæc faciunt ad conſolationem piorum, qui ex animo ſtudent facere officium, interim tamen peccatis & variis infirmitatibus ſunt obnoxij. Eaque de cauſa ſæpè anguntur animo. At his qui cum Deo redeunt in gratiam per pœnitentiam, licet corporalibus pœnis non ſemper ſubtrahantur, per Chriſtum omnia peccata condonantur, in profundum maris deiiciuntur, Mich. 7. vt nullum animæ illorum immineat periculum.

Nihil hæc ad eos, qui contra conſcientiam peccant ex propoſito, nec vitam emendant, nec pœnitere volunt de admiſſis.

II. Pars.

Videamus nunc quo animo Moſes Dei mandatum & hanc mortis denuntiationem acceptarit.

Non deprecatur mortem, nec quærit dilationem, nec

moras

moras nectit, nec peccatum diffidentiæ excusat aut extenuat: sed paratus est mortem subire, quandocũq; Deo placuerit. Vnum hoc petit, vt Dominus (qui potestatem habet vitę & necis super omnes homines) alium velit substituere in locum ipsius, qui populum Israeliticum & regat, & in Canaan introducat. Ne sint sicut oues absque Pastore. Mirum videri posset, cur Moses hæc petierit. Etenim constat ex historia Ex.17. Num. 14. 16. 20. quod ingratissimus hic populus, pro benè meritis ipsum multoties conuitiis fædissimis proſciderit, imò quod eum aliquando voluerit lapidare & interficere. Alius forsitan dira quæuis fuisset imprecatus huic populo, & rogasset Deum, ne porrò illis quenquam virum bonũ præficeret, cum indigni sint, qui regantur à bono & pio Magistratu. Aut si velit alium substituere in locum Mosis, det illis Tyranuum aliquem, vt agnoscant tandem quem Magistratum habuerint, gubernante illos Mose, & quàm erga ipsum fuerint ingrati.

At Moses fidelis seruus Domini hoc non precatur. Charitas enim aliud suadet.

L.I. Vbi Deus nos voluerit ex hac vita euocare, simus prompti & parati, nec reluctemur Deo, quod multi faciunt. Hinc Syrach.41.v.6. Quid repugnas beneplacito altissimi? Quin potius dicendum, Nunc dimittis. Luc.2. Cupio dissolui. Phil. 1. Tolle animam meam, si ita placet. non sum melior patribus. 1. Regum 19. Elias. Præsertim cum sciamus nos colligi ad populum nostrum: Nihil nobis accidere noui: sed ingredi nos viam Omnis Carnis. 1. Reg. 2. Maximè verò cum nulla nobis spes sit melioris conditionis in hac vita, Syr.41.

L. II. Videmus inter alia pii & boni Magistratus officia, hoc etiam requiri, vt sicut omni tempore Magistratus sui, ita etiam cum ab officio (vel propter ætatem ingrauescentem, vel propter instantem horam mortis) discedendum est, pro populo sit solicitus, ne sit populus Domini sicut oues sine pastore. Et si maximè populus ipsi pro bene-

benefactis malam retulit gratiam, sicut Israel Mosi & Samueli, tamē hoc ferant patienter. Charitas enim patiens est & benigna. Non cogitat malum: omnia suffer..., omnia credit, omnia sperat. 1. Cor. 13. Et si plus prestare amplius non potest, tamen non cesset rogare Dominum pro Ouibus, olim suæ fidei commissis, quod hic facit Moses. Sic enim bonus Samuel, 1. Sam. 12. Absit à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis.

L. III. Agnoscant autem subditi, quantum Dei donum sit bonus Magistratus: & quam necessaria sit ipsis opera pii Magistratus. Illis enim minus possunt carere, quàm oues pastore, Mose teste. Ideoque ipse Dominus vocat Cyrum suum Pastorem. Esai. 44. Quin etiam Ethnicorū Magistratus dicti ab ipsis fuere ποιμένες λαῶν, Pastores populorum. Homer. Vide Esa. 3. v. 3. vbi minatur Dominus, se ablaturum Magistratum prudentem & daturum pueros Principes.

FINIS.

THEMA IV. CLASSIS I.

Deuteronom. 34. Manual. pag. 469.

De morte & sepultura Mosis viri Dei.

DISPOSITIO.

Cum ad deducendum hodiernum funus frequentes conuenerimus, æquum est nos prius audire doctrinam & consolationem quàm domum reuertamur. Visum autem est vestræ charitati exponere insignem illam & non vno tantum nomine mirabilem historiam de morte & sepultura Mosis, cui Dominus hunc honorem habuit, vt ipse eum terræ mādarit, quod in vniuersa scriptura alias non legitur. Sicq; Dominus se ipsum vespillonem, Libitinarium vel Humatorem constituit. Ordinis autem & memoriæ causa hanc historiam in 4. membra partiri placet.

Descri-

Deſcribitur enim 1. ætas. 2. mors. 3. ſepultura Moſis. 4. luctus populi.

I. *Pars.*

Deſcribitur hoc loco inter cætera ætas Moſis. Vixit is annos centum & viginti. Reſpectu Maiorum, vt Noachi & cæterorum poſſet Moſes idem dicere, quod Iacobus Pharaoni Gen. 47. quod non pertingant anni vitæ ipſius vſque ad dies patrum ſuorum. At reſpectu hominum ſui temporis, qui Pſalmo 90. teſte ad ſummum 80. annis vixerunt, grandior eſt ætas. Voluit enim Dominus illum diutius eſſe ſuperſtitem, quia ferendis legibus & gubernando populum duræ ceruicis, fidelem ipſi nauauit operam. Id autem vt poſſet præſtare vſque ad finem vitæ; ſingulari hoc beneficio fuit affectus a Deo: de quo ſequitur. Non caligauit oculus eius, & non defluxerunt genæ illius. Valido vſque ad mortem atque vegeto fuit corpore, proſpera ſemper vſus valetudine. Corporis & ingenii vires adhuc ſunt integræ.

L. I. Grauis alioquin ſenectus, quæ per ſe morbus eſſe dicitur. Deſcribuntur incommoda ſenectutis Eccleſ. 12. vbi inter alia etiam hoc refertur, quod tenebreſcant ſol & lumen, luna & ſtellæ. Et cætera multa ibi.

Barſillai hæc expertus refert ad Dauidem. 2. Sam. 19. Iacobi etiam Patriarchæ oculi caligauerunt, Gen. 27. De propheta Ahia 1. Reg. 14. legitur, Non poterat videre, quia caligauerunt oculi eius præ ſenectute.

At non omnium ſenectus tam grauis eſt. Moſes anno viceſimo poſt centeſimum valido & vegeto plane eſt corpore. Caleb poſt annum 85. robuſto eſt corpore, quo erat quadragenarius. Ioſ. 14.

Poteſt enim & vult quoq; Deus nonnullorum corpora etiam in ſenecta vegeta conſeruare, præſertim eorũ, quorum opera vel in Rep. vel in Eccleſia diutius vti decreuit.

1. Quia autem hæc ſingularia & rara ſunt, magni beneficii loco habenda, Deoque agendæ gratiæ ſi talis con-

tingat

tingat senectus. Erit autem hoc Deo gratissimum, si viribus ingenii & corporis à Deo datis conseruatisque, vtantur ad promouendam Dei gloriam, & ad proximi vtilitatem. Exemplum Mosis in promptu est. Sin vero diuersum illis accidat, erit & illud patienter ferendum, cum idem experti fuerint, qui Deo fuerunt charissimi: sic vt præter exempla supra allegata, Iacobi scil. & Ahiæ, vir ille secundum cor Dei, Dauid senex, vix septuagenarius penè omni calore natiuo destitutus fuisse legatur, 1. Reg. 1. v. 1.

2. Notandum autem hoc loco, multos sibiipsis grauem & amaram, infirmam inopemq; senectam attrahere: cum flores iuuentutis Diabolo consecrarunt. Multi enim sua intemperantia, aliisq; rationibus causa sunt, vt ægra senectus tremulo veniat gradu, quam tandem morbis finire coguntur. Id vero de Mose, Calebo, &c. non legitur. Vos ergo qui adhuc estis iuuenili & valido corpore, venturæ memores iam nunc estote senectæ.

II. Pars.

Tam valido autem corpore non est Moses, quin moriatur etiam in terra Moabitarum. Quid hoc rei? Numquid potuisset ratione valetudinis diutius superuiuere? Maximè. Quæ igitur causa improuisæ & subitæ mortis? Moritur iuxta verbum Domini. Dominus iussit illum hîc mori, Numer. 27. At numquid opera illius vtilis fuit Reipubl. & Ecclesiæ Israelitarum? Ita sanè. Numquid non fidelis fuisse legitur Minister in tota domo Dei? Vtique. Hoc enim ipsum Encomio Altissimus ornauit, Num. 12. vers. 7. Dignus ergo qui æternùm viuat? Maximè. Et sanè, quod sequens historia docebit, voluit Deus illi pro temporali æternam vitam reponere. Interim tamen quia homo peccator erat, moriendum ipsi quoque. Et hoc tempore moriendum, prius quam ingrediatur in Canaan, quia peccauit diffidentia, Num. 20. Hoc etiam loco moriendum, ex quo vidit terram Canaan, quod illi sufficere debet, Deut. 34. vers. 4. præcedenti.

Locvs I. Mors nemini parcit, cuiuſcunq; conditionis, ætatis aut fortunæ ſit. Etenim quia in Adam omnes peccatores, cum Adamo omnes moriuntur. Quia omnes de terra, in terram omnes reuertuntur. Gen.3. Roman.5. Peccauit Moſes, Dauid, Salomon. Ideoq; moriuntur omnes. Ergo ſemper de morte cogitandum, etiam in iuuentute. Antiquum enim & perpetuum eſt fœdus, morieris. Syr.14.v.18.

Locvs II. Omnes moriuntur iuxta verbum Domini. Quandocunq; enim & vbicunq; & quomodo iuſſerit te mori, morieris. Aaroni dicitur & Moſi, Aſcēde in montem, ibi morieris. Ecce præſtò ſunt, parati facere quod Dominus dixerit. Numer.20. & 27. Deuter.34. Ergo non præſcribas Domino Deo tuo nec tempus, nec locum, nec modum: quod multi faciunt, dicentes: Dummodo non in hoc loco moriar: vtinam poſſem tot annos viuere, deinceps lubens mori vellem; modo non hoc mortis genere abripiar, &c. Stultè hæc omnia. Expecta verbum Domini, & quodcunq; is dixerit, tibi dictum putato. Sicut Ioan. 2. Maria hortatur miniſtros, Quodcunq; vobis dixerit, facite. Tu verò omni tempore paratus ſis, vt mox vbi audieris mortis nuntium, quod certe eſt verbum Dei, (volo vt hîc, iam, hoc modo moriaris) poſſis ſpiritū tuum piis precibus reddere Creatori, cum Dauide, Pſal.31. v.6. & Stephano, Act.7.v.59.

III. Pars.

Mortuum diximus Moſen. Sepeliendus igitur. At nemo illi adeſt morituro præter Deum, in mōte. Deus ergò ſibi ſumit officium veſpillonis, & humare vult fidelem ſuum atq; chariſſimū Moſen. Et notatur quidem regio, in qua pſum terrę mandauerit: vid. vallis terræ Moab, è regione phani Idololatrici, quod tū vocabatur Domus Idoli Peor ſiue Phegor. Vide mirabilem & excellētiſſimum Libitinū ſiue humatorem. At ſequitur etiam aliud mirabile Non cognouit homo ſepulchrum illius vſq; in prężentē diem.

Quæſtio

Quæſtio hîc oritur, Quare Deus occultauerit tanto ſtudio Moſis ſepulchrum? Hoc quidem ſcriptura non expreſſit. At videtur ex Epiſtola Iudæ verſ. 9. colligi poſſe, Diabolum (qui de ſepulchro Moſis legitur contendiſſe cum Michaële Archangelo) voluiſſe ſuperſtitionem aliquam hominibus inſtillare ex hoc loco. Vt vt ſit, de hoc conſtat, Deum ex ſepulchro Moſen poſtmodum tranſtuliſſe in regnum cœleſte. Quod teſtatur transfiguratio Chriſti, Matth.17. vbi Moſes cum Eliâ apparet. Signum hoc fuit fauoris & clementiæ Dei ſingularis.

L.I. De ſepultura. Honeſtè humandi mortui. Vide Syr. 38.v.16. Exempla. Abraham. Gen.23. Ioſeph. Gen.50. Lazarus. Ioan.11. Idq; propter certam ſpem reſurrectionis. Seminandi enim ſunt qui reſurgere debent, 1.Cor.15.

Licet autem Deum non omnes mortui habent veſpillonem, eo modo quo Moſes hîc, tamen cum Domini ſit terra & omnis plenitudo illius, inueniet is corpora noſtra, vbicunq; ſepulta iaceant. Nec quicquam detinebit reſurrecturos. Apoca.20.verſ.13. Piorum autem ſepulchra Chriſtus ſua ſepultura ſanctificauit, vt ipſis ſint κοιμητήρια. Eſa.56.in fine.

L.II. Moritur Moſes ſolus, nec inter manus amicorum aut conſolantium. At ſufficit illi, quod Deum habet præſentem, cum is ſit Deus omnis conſolationis. 2.Cor.1. ver 3. Non igitur eſt quod timeant, aut de ſalute ſua dubitent, qui ſoli moriuntur, nec ſecum habent amicos vel conſolatores. Cogitent, ſi pii ſint, Deum ipſis affore, vt Moſi. Sufficit id: Dummodò te habeam. Pſal. 73. verſ. 25. Non timebo, quia tu mecum. Pſal.23.v.4.

IV. Pars.

Moſen defunctum luget omnis populus 30.diebus. Hic enim terminus erat conſtitutus in publico luctu. Vbi tum veſtitu, tum aliis modis ſuum luctum teſtati ſunt. Fuit etiam ſignum amoris erga Principem benè de ipſis meritum. Planè eadem cum his ſupra habuimus in tractatio-

ne Thematis primi, ex Num. 20. parte 4. de Aharone. Recurrunt iidem planè loci hîc.

Locvs vnus hîc addendus. Lugent Iſraëlitæ mortuum, quem viuum extinctum volebant, Exod. 17. quemque conuitiis lacerarunt viuum, nunc laudant mortuum. Sic plerumque fit. Tum agnoſcimus noſtra bona, cum quæ in poteſtate habuimus, amiſimus. At rogandus Deus potius pro viuentibus, ne mors illorum ſit nobis incommodo. Es kompt ſelten das beſte hernach.

Thema V. Classis I.

Ioſuæ 23. v. 14. Manual. pag. 469.

En ego ingredior hodiè viam vniuerſæ terræ.

NOTA.

Eadem planè Diſpoſitio & tractatio huius thematis eſſe poteſt, quæ thematis ſtatim ſequentis, cum penè eadem ſint verba, & ſenſus planè idem. Ideò breuitatis cauſa peculiarem diſpoſitionem prætermittendam cenſeo.

Quod ſi verò quis hiſtoriam vitæ & mortis Ioſuæ velit pertexere horum verborum occaſione, poterit illa commodè tractari, hoc modo:

1. Quis fuerit Ioſua, & quodnam illius officium. Primum miniſter, deinde ſucceſſor Moſis. Deut. vlt.

2. Quam laudabiliter in omni vitæ genere vixerit. Pius & bonus eſt. Inter exploratores terræ Canaan, cum Calebo iuſſa fideliter exſequitur, populũ dehortatur, ne diffidant Deo. Videatur Num. 13. & 14. Ideò ſolus ipſe cum Calebo promiſſionem terræ benedictæ poſſidendæ accipit. Ibid. v. 30. Dux populi conſtitutus, fidelis eſt in officio, quod ex libro Ioſuæ patet, præſertim cap. 24. verſ. 31.

3. Quis vitæ illius exitus? Placidus & optatus. De hoc principaliter verba hæc paucula ſonant. Moriturus hortatur ſuos, vt ſeruent mandata Domini, caueant ab Idololatria. Paratus eſt tandem ingredi viam vniuerſæ Carnis, cum vixiſſet annis 110.

Hæc

Hæc ſufficiant. Pergamus ad Tractationem verborum ſequentis Thematis, quæ ſunt planè eadem cum ſupra ſcriptis.

THEMA VI. CLASSIS I.

1. Reg. 2. v. 2. Manual. pag. 470.

Ecce ego ingredior viam vniuerſæ terræ.

DISPOSITIO.

Paucula ſunt verba Dauidis morituri: & videtur is hæc mutuaſſe ex verbis Ioſuæ morituri, Ioſ. 23. v. 14. Etenim cū intelligeret, inſtare vitæ ſuæ finem, vult prius præcipere domui ſuę, quam moriatur. Et ſicut Patriarchis morituris ſemper in more poſitum fuit, liberos de variis rebus neceſſariis commonefacere, ita Dauid Salomonem filium (quem Regni ſucceſſorem ordinarat) inſtruit, quid ipſi faciendum. Antequam autem illa recenſeat, prius de vitæ ſuæ exitu paucula, quæ prælegimus, præfatur. Hæc examinabimus breuiter hoc modo, vt audiamus

1. Qualis hæc via, de qua Dauid hoc loco.
2. Quibus hâc via eundum.
3. Et quid iſthæc nos monere debeant.

I. Pars.

Mortem Dauid vocat viam: ſicut & Ioſua ſupra cap. 23. vt diximus. Eadem eſt ſententia Abrahami, Gen. 15. v. 2. vbi dicit: Ego vadam, Ich gehe dahin / hoc eſt, ego morior. Imò ſic Deus ipſe loquitur ibidem verſ. 15. Tu ibis ad patres tuos. Et penè eadem eſt loquendi formula apud nos, quando dicuntur homines ex hac vita decedere. Mit tod abgehen. Sic de mortuis dicitur prouerbio noſtratibus vſitato, Sie ſeyen den grasigen Weg hingegangen. Atque hanc viam ingredimur quamprimum in hunc mundum naſcimur. Sunt enim ita dicendo tres gradus, per quos deſcendimus vel aſcendimus, videlicet hi, naſci, pati, mori.

Sicut alioquin qui iter facit pedes, & ad certum locum tendit, tantisper procedit, vsq; dum ad locum suum perueniat: Ita quamprimum in hunc mundum nati sumus, semper progredimur ad alium locum nobis destinatum, nec datur hic commorari diutius, sed pergendum vlterius. Wir müssen jmmer fort. Nec prius absoluitur hoc iter, quam moriamur.

II. Pars.

At quibus eundum hac via? Est via vniuersę terræ. Quicunq; in hunc mundum nati sunt, illis etiam abeundum ex hoc mundo: siue nobiles siue ignobiles, siue iuuenes siue senes, siue viri siue fœminæ. Salomon & Lazarus. Dauid septuagenarius, & filiolus ipsius septem dierum infans. Iosias & Tabea.

At quemadmodum aliâs, dum multi ad eundem locum tendunt, alius alio citius vel serius eò venit, tandem verò omnes conueniunt loco destinato: ita hac in parte serius aut citius metam properamus ad vnam. Omnes tamen ibunt, iuxta id:

Imus ab hac vita miseri, nec mora, sed omnes
Ibitis, in quibus est nunc vita vigorq; manendi.
Ibunt sic omnes, hominum qui lege tenentur.

Et quantò quis plures vitæ exigit annos, tantò propius accedit ad mortem.

Sicut etiam in hac vita inter peregrinantes alius alio habet difficilius iter: quia Magnates, Diuites & alii in curribus vel equis iter conficiunt. Pauperes verò & inferioris conditionis homines pedites incedunt: ita dum in his terris ad metam mortis præfixam properamus, alius alio maiores & grauiores habet curas atq; molestias. In hoc tamen eadem sors omnium, quod omnibus est moriendum.

III. Pars.

Quare hæc dicuntur, cum constent omnibus? Vt similes etiam cum peregrinantibus habeamus cogitationes.

I. Iter facturi priusquam iter ingrediantur, solent sese præparare ad illud. Ita & nos faciamus, quia pergēdum erit strenuè. Nec dabitur omnibus, vt lento incedant gradu. Cogitemus nos esse ex numero peregrinantium. Genes. 47. Dies peregrinationis. Ps. 39. Peregrinus sum. Non habemus manentem ciuitatem. Heb. 13. Ideoq; non procrastinanda pœnitentia. Syr. 18. Memento. Eccles. 12. v. 1. Non curemus ea quæ à tergo sunt. Philip. 3. Sicut peregrinantes non curant quid fiat illis in locis, vbi ipsi tantum sunt pernoctaturi.

II. Quia omnibus hac via eundum, patienter feramus hoc, quod nobis vnà cum aliis eundum. Elias fatetur 1. Reg. 19. Non sum melior patribus. Simeon Luc. 2. Nunc dimittis, ait, Paulus, Philip. 1. Cupio dissolui. Man wird dir kein besonders machen.

III. Iter facturi non progredi possunt ebrii & grauati nimio cibo vel potu. Ita nō sunt in hoc itinere grauanda corda nostra crapula & ebrietate. Luc. 21. Alioquin nō poterimus pergere feliciter. Belsazar. Dan. 5. Nabal. 1. Samuel. 25. Epulo. Luc. 16. Est enim via stricta, quæ ad vitam ducit. Matth. 7. Sobrii estote, vigilate, 1. Pet. 5.

IV. Iter facturi graues, molestas & non necessarias sarcinas deponunt. Ita deponenda opera carnis, odium, inuidia, & cætera, quæ nos remorantur in itinere, vel ab ingressu portæ cœlestis prohibent. Galat. 5. 1. Corinth. 6. Est enim porta angusta, Matth. 7. per quam intrandum. Pertinet huc etiam id Matth. 5. reconciliare fratri, dum in via es.

V. Viatici non obliuiscamur, ne in via deficiamus. Illud erit verbum & Sacramenta. Hic est ille baculus Dauidis, Psal. 23. v 4.

VI. Vt tuti simus in hoc itinere aduersus insidias hostium, Diaboli, mundi, &c. non negligenda erunt illa arma, Ephes. 6. Imprimis vero gladius spiritus erit necessarius, qui est verbum Dei: orandumque in omni tempore & vigilandum, vide ibi.

THEMA VII. CLASSIS I.

1.Sam.25.v.1. Manual.pag.470.

De morte & sepultura Samuelis Iudicis & Prophetæ Israelitici.

DISPOSITIO.

Heb. 13. vult Apostolus nos intueri finem vitæ eorum, qui verbum Dei syncerè docuerunt. Hanc ob causam scriptura sacra historiam mortis talium virorum nobis ob oculos statuit, vt vitæ conuersationem honestam & fidem illorum imprimis imitari studeamus. Ex eorum numero quoque est Samuel, magnus ille Propheta Domini, qui inter heroas Dei numeratur, Syr.46. & Hebr. 11. Paucissimis autem verbis descripta extant, 1. mors, & 2. sepultura Samuelis. 3. Luctus populi super ipsius obitu.

I. *Pars.*

Natus fuit Samuel patre Elkana, & matre Hanna sterili, non sine diuino miraculo. 1. Samuel. 1. donatus precibus matris. Ibid. vers. 20. Consecratus Deo à pueritia, 1. Sam. 1. vers. 28. Deo charissimus puer admodum ipsum audit loquentem 1. Sam. 3. vers. 11. Propheta Domini fidelissimus agnoscitur ab omni Israële, Ibid. vers. 20. Iudex Israëlis tandem fit, & Princeps populi, qui ius dicebat simul, & domino sacrificabat, 1. Samuel. 7. vers. 15. & sequentibus.

Vir adeoque magnus & Dei locum tenens. Ideo non te, sed me reiecerunt, ait Dominus, 1. Samuel. 8. vers. 7.

Necessaria Israëli illius opera, cum Saulem haberent Regem furiosum & Dæmoniacum.

At moritur tamen, homo cum fuerit, & peccator. Ideo viam omnis terræ ingredi necesse habet. Nec malè cum ipso agitur, senex cum fuerit, pertæsus videre & audire insaniam Saulis.

LOCVS I. Eadem omnium etiam præclarissimorum hominum fortuna in hoc mundo, quod ex æquo omnes mo-

moriuntur. Sic enim de omnibus primæuis patribus ſcriptura dicit, Geneſ.5. Et mortuus eſt.

Mors nemini parcit. Pallida mors æquo pede pulſat pauperum tabernas, Regumque turres. Sic ne piis quidem parcit. At viuunt nihilominus pii cum Deo in æternum. Nec deletur memoria eorum ſuper terram. Quod inde patet, quod Samuelem Dominus poſt aliquot annorum centurias commendat à pietate. Ier.15. v.1. Pſal. 99. v.6. Non igitur eſt quod quiſquam putet, malè agi cum piis & præclaris hominibus. Beati qui in Domino moriuntur. Apocal.14. Requieſcunt in pace. Eſa.56. in fine. In manu Dei animæ iuſtorum. Sapientiæ 3.

2. Illorum verò fidem & pietatem imitemur, vt relinquamus poſt nos nomen præclarum. De quo Prou.22.v. 1. Syr. 42. v.15. Eccleſiaſt.7.v.2.

II. Moriuntur pij plerumque temporibus afflictiſſimis, ſicut Samuel viuente & inſaniente Saule. 1. Partim vt ipſi ſubtrahantur malis, ne cogantur videre oculi ipſorum omne malum, quod inducturus eſt Dominus. Exemplum Ioſiæ. 2. Paralip. 34.v.28. Etiam citauimus illa Eſa.56. Apoc.14.2. Partim verò hoc fit in pœnam impiorum, qui non ſunt digni vt conuerſentur tantis viris. Heb.11.v.38.

Illis autem abreptis plerumque imminet interitus. Quamprimum Loth ex Sodoma exiuit, ignis de cœlo decidit. Gen. 19. Præſentibus ipſis Dominus non poteſt perdere, Gen. 19.v.22. Stant enim contra Dominum oppoſiti, ſicut murus. Vide Ezech.13. v.5. & 22.v.30.

Ita ergò tractandi, ne affligamus animam iuſtam, 2 Pet.2. v.8. ne exeant vel educantur à nobis.

II. Pars.

Sepultus legitur Samuel in Ramath, in domo ſua. Ib enim habitauit. 1. Sam.7. v.17. Sepelitur igitur honeſtiſſimè ab omni Iſraele, in patria ſua, iuxta cognatos ſuo qui ante ipſum deceſſerant.

L. I. Mortuos honestè sepeliendos, supra diximus in tractatione Thematis 4. parte 3. vide ibi.

L. II. Pars est benedictionis temporalis, Mori in patria, & sepeliri in domo sua, cum suis. De hoc 2. Paral. 34. v. 28. Dominus ad Iosiam: Infereris in sepulchrum tuum. Et sæpè scriptura repetit, sepultus est in domo sua, aut sepultus cum patribus, vel sepultus in ciuitate Dauid. De filio Ieroboami Abia dicit Dominus 1. Reg. 14. vers. 13. Iste solus inferetur in sepulchrum: quia bonum inuentum est in eo.

Etenim patet ex contrario, quod impiis interdum Deus honorem sepulturę negauerit. Exemplum Ieroboami, loco citato, & 1. Reg 15. Sepulturam asini minatur Regi Ioiakimo. Ierem. 22. v. 19. Impia Iesabel laceratur a canibus, iuxta verbum Domini. 1. Reg. 23. v. 23. Vide 2. Reg. 9. v. 35. Idem minatur Dominus Regi impio Baesa. 1. Reg. 15. Vide etiam Ierem. 16. v. 4. & 19. v. 7. & 34. v. 20. Videntur saniores Ethnici hoc intellexisse. Virgil. 10. Æneid.

——Non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra sepulchro.
Alitibus linquere feris: aut gurgite mersum
Vnda feret: piscesq; impasti vulnera lambent.

Et 1. Reg. 13. dicitur Prophetæ, quia inobediens fuisti ori Domini, nō infereris in sepulchrum patrum. Notandum autem, quod interdum etiam pii honore sepulturæ careant. De quo Psal. 79. v. 2. Posuerunt corpora seruorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Item: Non erat qui sepeliret. Nihil hoc saluti illorum officit, sed inter temporales calamitates, easq; minimas, est referendum. Vide August. de ciuit. Dei libr. 1. cap 12. Tom. 5. pag. 14. cuius hæc sunt verba de tali casu: Multa Christianorum corpora terra non texit, sed nullum eorum quisquam à cœlo & à terra separauit. Et mox: Quamuis hæc in conspectu hominum dura & dira videantur: sed pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et cap. seq. 13. Nec viuorum culpa est, qui

non

non potuerunt ista præbere, nec pœna mortuorum, qui non possunt ista sentire. Hæc ille. Sufficiat illorum animas in manu Dei asseruari. Nemó ergò multum solicitus sit, quid de corpore ipsius mortuo fiat. Animam Deo commendet. Psal. 31. v. 6. Ita tamen viuat, vt dignus habeatur cuius cadauer in terram recondatur: ne propter scelera sua asini sepulturam experiatur, cum Ioiakimo; neve volatilibus cœli deuorandus exponatur, sicut minatur nonnullis Salómon Prou. 30. v. 17. Huc pertinent etiam ea quæ supra ex Ierem. 16. 19. 34. allegata sunt.

III. Pars.

Mortuum Samuelem lugent Israelitæ. Nec vnus tantum & alter. Nec cognati tantum ipsius & propinqui. Nec tantum ciues in Rhamata, & conciues defuncti, sed vniuersus Israel congregatus est & planxerunt eum. Nec immerito. Habuerunt enim luctus sui causas haud leues. Agnoscunt quàm fidelem Prophetam amiserint. Non malè quidem actum cum Samuele, sed cum omni Israel.

LOCVS C. I. Ita plerumque fit, vt populus Magistratum viuum odio prosequatur & defunctum lugeat. Samuelem æquissimum Iudicem reiecerant & Regem postularant. 1. Sam. 8. Vide etiam 1. Sam. 12. vers. 3. Datur illis Rex, sed quando illum vident longè aliis esse moribus, quam fuit Samuel Iudex, tum demum Iudicem priorem optant. Sie hetten jhne darnach gern wider auß der Erden gekratzet. Non intellexerunt antea, posteriores priorib. rarò esse meliores. Magno autem suo malo sunt experti, statum Reip. non in melius mutatum viuente Saule. Sie haben ein Roß vmb ein Pfeiffen geben.

Frustra autem & nimis serò reposcimus eos quos præsentes sæpè fastidimus. Et offenditur DEVS grauissimè hac ingratitudine, quando boni Magistratus fastidiuntur.

Agnoscamus potius grato animo si quem dedit Dominus Magistratum, præditum zelo Religionis & iusticiæ:

licet næuis non careat ſuis. Tegendæ potius illæ infirmitates boni Magiſtratus, cum Semo & Iapheto, quàm reuelandæ cum Chamo, Geneſ.9. Patres enim ſunt patriæ Cogitandum ipſos etiam homines & humani ab ipſis nihil alienum eſſe. Condonandum aliquid infirmitati.

Pro illis orandum, 1.Tim.2.v.2. Pro omni Magiſtratu vt Deus dirigat illorum conſilia & actiones, cum cor Regis (Prouerb.20) in manu Dei ſit, & ipſe quocunq; voluerit, inclinet.

L.II. Grauiſſimè peccant qui Magiſtratui defuncto, & iam in terris quieſcenti conuitium faciunt, præter illius meritum. Plangendi ſunt, non calumniandi Magiſtratus benè de Repub. vel Eccleſia meriti: quod improbi alioquin Hebræi hoc loco obſeruant. Contrarium faciunt illorum poſteri, qui Salomonem vita functum criminantur, nihil tale meritum, 1.Reg.12.v.4. At pœnas calumniæ iſtius poſtmodum dederunt grauiſſimas.

THEMA VIII. CLASSIS I.

1.Reg.2.v.10. Manual.pag.470.

De morte & ſepultura Dauidis Regis.

DISPOSITIO.

Paucis verbis mors & ſepultura Dauidis deſcribitur. Fuit autem Dauid vir ſecundum cor Dei, & commendatur à Deo, quod ſeruauerit mandata & pacta illius, 1.Reg. 11.v.34. Ideoq; Dominus multa ipſi contulit bona, & dedit illi nomen quale eſt magnorum in terra, 2. Sam.7.verſ.9. Interim tamen variis calamitatibus fuit ſubiectus, partim antequam perueniret ad Regiam dignitatem, partim etiam poſt, cum domeſtica illum exercerent mala. His omnibus tandem malis ipſum vult eximere Dominus: cum per mortem illum euocat ex hac vita, & animam illius ad vitam cœleſtem, Corpus autem ad quietem perduxit.

Videamus ergo 1. mortem, 2. & deinde ſepulturam

magni

magni huius viri, vt inde consolationem vel doctrinam petere possimus.

I. Pars.

Dauid pius & Deum timens, electus in regem, cum pasceret oues patris sui. At prius quàm veniret in possessionē regni, diu multumq; ille hinc inde iactatus à Saule. Rex factus, multa quoq; bello passus (1. Par. 29. v. 3.) dum caperet vrbem Hierosolymam, vicinasq; gentes subigeret. Voluit autem Dominus hunc insignē pietate virum tot adire labores, tot voluere casus, vt in studio pietatis exerceretur, vtque alii haberent exemplūm, quod imitarentur. Quemadmodum sæpissimè Dauidis sui exemplum subsequentibus Regibus Iudæ & Israëlis imitādum proposuit. Noluit autem Deus in æternum dare fluctuationem iusto, Psalm. 55. sed tandem ipsum omnibus eximere malis. Ideò cum septuagenarius esset, rebus omnibus bene dispositis, & filio successore relicto, moritur. Sic autem de ipsius morte loquitur scriptura, vt facilè intelligi possit, eum placida morte decessisse. Non enim dicitur mortuus esse, sed obdormiuisse. Obdormiuit cum patribus, scilic. collectus ad pios suos maiores, cum quibus in æterna felicitate viuit. Non diu lectulo affixus, variisq; morborum generibus laceratus, non furens frendensq; animam tandem inuitus exhalauit, non in propria viscera insanus sæuiit, sicut antecessor in Regno Saul impius, sed virib. naturalibus paulatim deficientibus placidè absq; cruciatu expirauit. Er ist sanfft vnd selig entschlaffen. Plenus dierum, honorum & gloriæ, in senectute bona, 1. Par. 30. v. 28.

L. Videmus verè dictum esse à Paulo, Pietas ad omnia vtilis, 1. Timoth. 4. Et si nulla ex pietate ad nos rediret vtilitas, præterquam in morte, sufficeret id tamen. Videmus enim quanta sit diuersitas mortis inter pios & impios. Pii non dicuntur mori, sed obdormire. Sic non hic tantum, sed & alibi ipse Deus de Dauide loquitur, si dormieris, 2. Sam. 7. v. 12.

Laza-

Lazarus amicus noster dormit, ait Christus. Ioan.11. Puella non mortua est sed dormit. Mar.5.ver.39.De Stephano lapidibus obruto dicitur, obdormiuit. Act.7.ver. 60.Quomodocunque enim moriantur coram hominibus, coram Deo tamen pij obdormiunt. Quia Spiritus sanctus cordibus illorum instillat consolationem illam Roman 8.ver.16.vt mors ipsis non sit acerba.

De impiis autem longè alia est ratio. De Saule scriptura non dicit, obdormiuit cum patribus, sed mortuus est in peccatis.1. Paralip. 11. ver. 13.Item ibidem: Occidit ipsum Dominus. De Nabalo dicitur.1.Sam.25. Percussit illum Dominus & mortuus est. De Diuite Luc.12.dicitur, Stulte, hac nocte auferetur anima tua. Impiorum enim vita cum gemitu fugit indignata sub vmbras.

Sectemur itaque pietatem, vel hanc vnam ob causam, vt placida atque tranquilla morte possimus decedere. Verum enim manet Prouerbium, Wohl gelebt/wohl gestorben. Vitam congrua fata decent. Et alio Prouerbio vtũtur nostrates, Wer dort wohl ligen wil/der muß jme selbs hie wohl betthen. De impiis autem Psalm. 73. Cum terrore finiunt vitam. Quia non rogarunt Deum pro vitæ exitu beato: non cogitarunt de hora mortis: non abstinuerunt à peccatis contra conscientiam, sed in diem vixerunt sicut illi, Sapient.2. ver.6.Incautos ergo & nihil tale cogitantes dira & acerba mors opprimit. Ibi tum nihil consolationis habent, sed aut desperant, aut sine mente descendunt ad orcum.

II. Pars.

Dauid ex terra fuit.Ideoque in terram reuertitur. Sepelitur autem vti par erat, honorificè, in ciuitate Dauid: in propria & spatiosa illa arce, contigua vrbi Hyerusalem, quæ appellabatur Ciuitas Dauid.

L. Est & hoc pietatis Dauidicæ præmium, quod sepelitur eo in loco, in quo habitauit viuus, & in quo sepeliri optauit: non in terra peregrina. Sicut Samuel supra legitur sepultus in domo sua, in Rhamata.

Recur-

Recurrit hic planè idē locus qui in præcedentis Thematis diſpoſitione parte II. prolixè pertractatus eſt. Videatur ibi.

Locvs generalis eſt, mortuos honeſtè ſepeliendos. De quo ſupra ſuo loco.

Et pro qualitate perſonarum etiam ſepultura ſplendidior non diſplicet Deo. Syr. 38. v. 16. Contege corpus illius pro qualitate viri.

Abſit tamen luxus & immodicus apparatus. Quid enim opus ornare terram & cinerem? Vermibus corrodenda relinquuntur omnia. Modus itaq; ſeruetur in omnibus.

Thema IX. Classis I.

2. Reg. 2. verſ. 11. & 12.

De translatione Eliæ, & querela Eliſæ.

DISPOSITIO.

Singularis hęc eſt & admiranda hiſtoria, de translatione Eliæ Prophetę in cœlū, cui nulla ſimilis legitur in ſcriptura. Deſcripta autem à Spiritu ſancto & ad noſtra tempora ſingulari Dei conſilio aſſeruata, non tam in honorem ipſius Eliæ, quàm in noſtram conſolationem. Hanc itaque in deductione præſentis funeris conſiderabimus. Quoniam autem ex hiſtoria ſacra vobis omnibus ſatis conſtare arbitror, quis fuerit Elias, ſc. Magnus ille Propheta Domini, qui & alia miracula diuina virtute edidit & mortuos excitauit; ideoque de his tantum breuitatis cauſa dicemus, quæ verbis prælectis deſcripta extant.

1. Qualis hic currus & quales equi vehentes Eliam.
2. Quo his ignitis equis & curru vectus peruenerit.
3. Querelam & luctum Eliſæ ſuper diſceſſu Magiſtri conſiderabimus.

I. Pars.

Cum de abitu Eliæ (qui ipſi à Deo reuelatus fuerat) ſermones conferrent ipſe & Eliſa diſcipulus, ecce ſubito & ex

ex improuiso adueniunt, currus & equi igniti, & Eliam atque Elisæum ab inuicem separant. Vnde venerint facile est coniicere, de cœlo scilicet, quo iterum pergunt.

Et cum in cœlo Deus neque plaustrariorum, aut carpentariorum, neq; fabrorum vel restiariorum, nec Stratariorum, &c. neq; etiam Carpenti aut equorum opera vtatur, mirum vnde hic apparatus. At cum ignita dicantur omnia & equi & currus, ideo non de vulgaribus equis & curru visitato hominibus hæc sunt intelligenda.

Nihil ergò hic aliud quam ministerium sanctorum Angelorum. Apparent sancti Angeli abducturi Eliam in forma currus & equorum ignitorum. Sicut etiam post Elisæ apparent. 2. Reg. 6. v. 17. De his Psal. 68. v. 18. Currus Domini multa millium millia.

Potuisset Dominus Eliam alia ratione in cœlum transferre, absque tali spectaculo, sicut Enoch. Gen. 5. At facit hoc propter nos.

Consolatio enim hinc magna proponitur, quod Angeli Spiritus illi ministratorij. Heb. 1. in mandatis habeant nostras animas deferre in cœlum. Licet enim non externa spectacula talia obiiciantur nobis, cõstat tamen Angelos deportare animas nostras in sinum Abrahæ ex Euangelij historia de Lazaro. Luc. 16. Vbi simul etiam hoc apparet, Non magnum Prophetam tantum Angelorum ministerio sublatum in cœlum, sed etiam animam abiectissimi illius & morbidi mendici Lazari. De Angelis autem & quomodo curam agant fidelium, alias. Matth. 18. v. 10. & quod lætentur super salute pœnitentium Luc. 15.

II. Pars

Licet ex dictis facilè fuerit coniicere, quorsum abductus fuerit Elias, tamen clarius hoc demonstrat historia.

1. Vehebatur (inquit) Elias in cœlum. 2. additur, in turbine vel tempestate, Im Wetter. Deus enim tonitru significare voluit, discessum tanti Prophetæ singularis clementiæ signum esse. Voluitque sic etiam Ministerium Prophetæ de cœlo confirmare.

Trans-

Translatus itaque eſt Elias magna cum ſolennitate in cœleſtem illam & beatam vitam, vbi cum Deo & beatis Angelis viuit in gloria & felicitate ineffabili.

Notandum 1. hoc loco, non eſſe multum diſputandum de cœlo illo, in quod translatus fuerit Elias, quanto illud ſpacio diſtet à terra: quod multi faciunt qui nugis delectantur. Certum eſt illum viuere cum Deo. Hoc potius agamus, vt ad eundem locum beatum perueniamus.

2. Hoc fuit priuilegium Eliæ ſingulare in hac translatione, quod nullo mortis interuentu, corpore & anima ſimul in vitam beatam traductus eſt. At ſubita illa transmutatio (quæ etiam fiet in illis, quos nouiſſimus dies viuos deprehenſurus eſt, 1. Corint. 15. 1. Theſſ. 4.) fuit inſtar mortis, quia ſic corpora, ſubitò tamen, in ſtatum immortalitatis transformata ſunt.

3. Tempeſtas illa coorta in translatione Eliæ, ſubduxit ipſum è conſpectu Eliſæi, & filiorum Prophetarum, quemadmodum nubes Chriſtum ſubduxit è conſpectu diſcipulorum, Act. 1. v. 9.

Locvs. Voluit ſic Deus nos exemplo illuſtri docere, Reſtare aliam eamque cœleſtem & glorioſam vitam poſt hanc temporalẽ, vbi anima cum corpore in cœleſti gaudio perpetuo ſit manſura. Et viſum eſt Deo (ſecundum quorundam ſententiam) in omni ætate mundi ſpecimen aliquod translationis in cœlum edere in hominibus piis. Etenim in prima ætate mundi ante legem tranſtulit in cœlum ex Patriarchis Enochum, Gen. 5. Sub lege tempore Prophetarum, Eliam, hoc loco, ſub Euangelio Chriſtum, Marc. 16.

Et ſanè iterum viſus eſt Elias in monte, Matth. 17. vt intelligatur ipſum non periiſſe, ſed cum Deo viuere.

Quod verò non eadem ratione transformamur ſubitò, abſque omni dolore, cum Elia, de hoc non eſt, quod multum conqueramur. Sufficiat nobis hæc gratia Dei, quod per mortem, qui piis eſt ſomnus, Ioan. 11 Marc. 5. ingredimur ad vitam æternam, Ioan. 5. v. 24.

Solo-

Soletur nos illud 1. Theſſ. 4. quod vehemur aliquando in occurſum Domini in nubibus, & cum Domino erimus ſemper, corpore & anima, ſicut Elias.

L. II. Qui autem cum Elia optant adduci in conſpectũ Domini, in his terris etiam imitentur fidem Eliæ, quę prædicatur paſſim in hiſtoria Regum. Imitemur illius conſtantiam, ſi maximè ſoli videamur relinqui. 1. Reg. 19. verſ. 10. Imitemur illius patientiam. 1. Reg. 17. & ſeqq. Simus in precibus cum Elia aſſidui. Ibidem. Et cum Elia etiam in cœlum deducemur.

III. Pars.

De Elia quidem benè agitur: ſed non item de Iſraele. Quia magno hoc & incomparabili viro orbati ſunt. De hoc conqueritur Eliſæus, qui intelligit huius Prophetæ præſentiam fuiſſe Iſraeli fructuoſam: Diſceſſum autem ipſius fore luctuoſum timet. Videns illum diſcedentem, querula voce clamat poſt ipſum, Pater mi, Pater mi. Currus & auriga, Germ. Equites Iſraelis.

Fuit enim Elias ipſi pater ſpiritualis, qui ipſum regenuit per verbum Dei, cum alioquin Idololatriam fuiſſet ſequutus. Patrem igitur ſe amiſiſſe dolet haud immerito. Vide 1. Reg. 19. v. 19.

Deinde deplorat damnum Iſraelis. Huic regno enim Elias currus fuit & equites. Collegit enim voce miniſterij ſui Eccleſiam in hoc regno, & deduxit illos ſicut auriga in via recta, vt videre eſt 1. Reg. 18. v. 21. Fuit illis quoque loco Equitũ, quia excubias egit pro ipſis apud Deum, & iram illius auertit ab Iſraele. Suis precib. fugauit omne malum. Et propter Eliam pepercit Deus Iſraeli non ſemel. Timet ergo Eliſęus, ne cum ipſo diſceſſerit omnę bonũ ex Iſraele.

Locvs. Videmus, quomodo lugendi ſint hi, qui vel Eccleſiam ſua doctrina rexerunt, vel Rempublicam gubernarunt. Agnoſcendum illos eſſe parentes noſtros. Et Magiſtratus eſt verè pater patriæ. Sicut ergo viuis debemus honorẽ, 1. Pet. 2. ſic etiam defunctos lugere debemus.

Ita

Ita concionatores sunt patres, quia per Euangelium nos regenerant, vt Paulus loquitur, Gal. 4. v. 19.

Sunt illi rectores & duces nostri, qui currum, in quo vehimur; dirigunt, ne deflectamus de via recta, vel doctrinæ vel vitæ ratione. Sunt Equites qui pro nobis excubias agunt. Vigilant pro animabus, Heb. 13. ver. 17. Sunt qui se opponunt ruinæ, Ezec. 13. & 22. Propter quos parcit Deus. Meritò itaque lugemus illos, quia vbi hos amisimus, currus facilè euertitur. Sublato Iosepho actum est de Israelitis. Mortuo Iosua, & Ioiada populus ad Idololatriam deflectit Iud. 2. 2. Par. 24. Summa, caremus curru & Equitibus, vbi hi sublati sunt. Nec est qui amplius detineat Deum iratum, qui dicit Mosi, sine me, Ex. 32. v. 10.

FINIS.

THEMA X. CLASSIS I.

2. Reg. 13. v. 14.

De ægritudine & morte Elisæi: atq; planctu regis Ioas.

DISPOSITIO.

Describitur paucis verbis historia, quę quidem & Regi Israelitarum Ioas, & toti Israeli fuit luctuosa, videlicet de ægrotante & mortuo magno Israelis Propheta Elisęo, viro immortalitate dignissimo: nobis autem hæc eadem multum esse potest vtilis atque fructuosa, cum ad doctrinam atq; consolationem multum nobis conferat. Hanc itaque in præsenti concione funebri tractandam suscipiemus. Hæc autem præcipuè notanda erunt.

1. Morbus & hunc subsequutus obitus Prophetæ Elisæi.
2. Rex Israel visitans decumbentem Prophetam.
3. Encomion, quo rex Elisæum ornauit, quod est loco Epicedij.

I. Pars.

Vocatus fuit Elisæus ad munus Propheticum iubente Deo, 1. Reg. 19. tempore tristissimo, regnante & sæuiente

Achabo atque Isabele. Et vixit vsque ad Regem ab Achabo in ordine quintum, Ioas nomine, nepotem Iehu, ex filio Rege Ioachas.

In ministerio Prophetico transegit annos plus minus septuaginta. Tot enim anni elapsi sunt ab anno Achabi duodecimo ad quintum annum Ioas, circiter.

Fuit quidem in officio fidelis & miraculis clarus. Interim tamen multis subiectus calamitatib. & insidiis etiam hostium, 2. Reg. 6. & 8. Sic inter multas miserias senescit. Exprobrant illi pueri caluitium, 2. Reg. 3. Senio confectus ægrotare cœpit; idq; (vt apparet) non exigui temporis spacio durat; sed & morbo aliquantisper grauatus tandem moritur: nec absq; dolore dissoluuntur corpus & anima.

L. I. Mirabilis Deus in ducendis sanctis suis, Ps. 4. v. 4. Quod vel hinc apparet: Eliam absq; mortis interuentu magna cum solennitate viuum, corpore & anima simul in cœlum per Angelos deduxit, 2. Reg. 2. Elisæum verò æquè miraculis clarum, (cum viuus & defunctus mortuos excitasse legatur, 2 Reg. 4. & 2 Reg. 13. v. 20.) post multos exantlatos labores, morbo diuexatum nonnihil diuturno, tandē etiā mori sinit, non aliter ac si vulgaris fuisset persona.

Quæ huius diuersitatis causa? Nulla alia, quam beneplacitum Dei. Interim tamen haud paulò deterioris conditionis est Elia: cum anima Elisæi ad eundem locum peruenerit, in quo beatitudine cœlesti fruitur Elias. Corpus in terra requieuit: & videbit olim Deum anima & corpore in nouissimo die.

Sensit etiam consolationem Dei internam. Imò externam quoq; adhibuit consolationem Dominus, qui mittit ipsi Regem decumbenti, vt visitaret eum: sicq; ostendit, laborem ipsius in munere Prophetico fuisse acceptū ipsi.

Ideoque benè sperandum, si maximè interdum pios Deus sinat aliquantisper conflictari cum morbis.

II. Consolationem namq; hinc petere licet ægrotantibus maximam: hanc videl. Non esse signum irati Dei, si cum morbis atq; morte conflictentur Christiani. Alioquin

quin sequeretur, Deum Elisæo fuisse inimicum. Cum tamen Dominus singulariter ipsum post mortem honorauerit, vt per attactu cadaueris defuncti mortuum excitaret, 2.Reg.13. Sunt quidē morbi mortis nuncij, & stipendia peccati, sicut mors, Rom.6. At piis ita sanctificauit Christus varia morborum genera, vt nihil ipsis nocere possint: dum is in corpore suo varias infirmitates pertulit, de quibus Psal.22. & Esa.53. prolixè disserunt Prophetæ. Cogitemus idem accidisse multis bonis viris & familiarib. Dei, vt Dauidi, & Paulo. Vide 2.Cor.6. 11.Rom.8.v.23. Inprimis verò 2.Corin.1.v.8. Et soletur nos illud, 2.Cor.1.v.5. abundant consolationes. Et Rom.8.v.18. 2.Cor.4.v.17. 2. Tim. 2.v.11. Rom.8.v.17. si compatimur. Et infinita alia.

II. Pars.

Audiens Ioas Rex Israelis (quantumuis impius & Idololatra) magnum illum Elisam decumbere lethaliter, descendit ad ipsum, vt visitaret ægrotum, antequam ex hac lachrymarum valle discedat. Est quidem hæc humanitas in Rege commendanda: Interim tamen non sectatur Religionem Prophetæ, verum propter stupenda miracula senem Prophetam suspicit & veneratur.

Deinde videns Rex instare finem vitæ Elisæi, lachrymis testatur suam non tantùm erga venerandum senem commiserationem, sed agnoscit, quàm malè cum Israele agatur, si hic Propheta moriatur, cuius consiliis tam Reges Israelis, quàm subditi hactenus feliciter vsi fuerant, vt patet ex 2.Reg.2. 3. 4. 5. 6. &c. Idq; quod lachrymas expresserit, ipse ostendit his verbis: Pater mi, Currus & Equitatus Israel, &c. De quo parte sequenti: innuens scilicet, se Prophetæ opera plusquam paterna hactenus vsum fuisse.

L. Visitandi ægroti. Hoc enim opus esse pietatis, Christus testatur Matth.25. Infirmus fui, & visitastis me.

Præsertim hi, qui benè sunt meriti de Ecclesia vel Repub. non sunt negligendi, quando exhausti viribus, morti vicini sunt, & officium amplius facere non possunt. Nec laudandi, qui valentes suspiciunt, ęgros autē fugiunt. Nec

locum demus prouerbio: Wer reit der reit / wer leit der leit. Si enim Deus eadem ratione nobiſcum velit agere, væ nobis.

L. II. Principes & illuſtres, vel excellentes perſonas decet hęc humanitas, quæ in Rege Ioas cernitur, vt non negligant Miniſtros fideles, ſi quando contingat illos langueſcere, vt non poſſint ſatis facere officio. Et ſi ipſi non volūt ad Eliſæum decumbentem deſcendere, faciant hoc per Medicos, per alios, & iuuent ipſos ſolatio, nummis, & quacunq; debēt ac poſſunt alia ratione. Deus erit merces.

Non dicant: Hat er lang gedient / ſo hat man jme lang gelohnet. Hæc n. magna eſt ingratitudo, quam Deus puniuit in Amalechitis, qui propter neglectum ſeruū in extremū vitę periculum ſeipſos præcipitarūt, 1 Sam. 30. v. 13.

L. III. In genere omnes Chriſtiani debent compati ægrotis quibuſcunque. Flete cum flentibus. Rom. 12. Sicut Chriſtus etiam nobis compatitur. Heb. 2. verſ. 18. & 5. ab initio ferè capitis, verſ. germanica.

III. Pars.

Quo loco Rex Ioas hactenus Prophetam habuerit, his verbis oſtendit. 1. Pater mi, pater mi. 2. Currus & equitatus Iſrael. Hoc quaſi Epicedio & Epitaphio honorare voluit Rex Eliſęum, cum morituro iam aliud beneficium pręſtare non poſſet. Inde conſtat paternis conſiliis iuuiſſe Prophetam ſæpius hunc alioquin impium Regem.

Deinde agnoſcit Rex fuiſſe Prophetam hactenus & Rectorem populi, & eiuſdem etiam defenſorem.

Vide tertiam partem Thematis præcedentis de Elia, vbi hæc eadem verba ſunt pertractata, addito Loco communi, qui hîc recurrit. Breuitatis cauſa lectorem illuc remittimus.

THEMA XI. CLASSIS I.

2. Paralip. 24. v. 15. & 16.

De morte Ioiada & honorifica illius ſepultura.

DIS-

DISPOSITIO.

Senibus honorem haberi vult ſcriptura. Leuit. 19. Coram cano capite aſſurges. Sicut autem viui ſenes ſunt honorandi, ita etiam defuncti, præſertim bene meriti. Illud obſeruatum in Ioiada venerando ſene & ſummo Sacerdote docet præſens hiſtoria, cuius explicatione non tàm ipſum piiſſimum ſenem honorare, quàm vos in huius funeris deductione erudire viſum eſt. Videamus ergo 1. mortem ſummi Sacerdotis Ioiadæ.

2. Quem illi Rex & ſubditi honorem habuerint defuncto, & quare.

I. Pars.

Fuit Ioiada ſummus Sacerdos in Iuda, vir optimus, qui vxorem habuit Ioſeba filiam Ioram, ſororem Ahaſiæ, regum Iuda. Præfuit is Sacerdotio cum ſumma laude, temporibus difficilimis. Quæ illius fuerint merita infrà dicetur. Et quia fidelis eſt Miniſter Dei, prorogauit illi Dominus vitam vſque ad annum 130. ætatis. Dicitur ergò hoc loco, Ioiadam ſenuiſſe: hoc eſt, non ante tempus ex his terris euocatum, ſed in ſenectute ſatis prouecta. Atque tum demum mortuum fuiſſe. At vix quiſquam eſt tam ſenex, vel ipſo Cicerone (in lib. de ſenectute) teſte, qui ſe annum non viuere poſſe putet: imò qui non cupiat diutius & vel tantum vnius anni ſpatio ſuperuiuere. Contrarium autem de Ioiadá ſcriptura pronunciat, quod fuerit plenus, vel ſatur dierum. Lebens ſatt. Vt non optarit viuere diutius, vel per vnam horulam. Etenim vnum id ſatis ipſi eſt, quod diu viuendo multa, quæ non vult, vidit, ſcilicet, Athaliæ furorem, Idololatriam populi, & ſexcenta alia.

Abſoluit curſum ſuum, ſcit ſibi repoſitam coronam iuſtitiæ 2. Tim. 4. Ideoque mors illi iucundior eſt vita.

L. I. Pro ſenibus hoc facit, vt imitentur Ioiada: nec quærant effugia, nec dilationem petant, ſi vitæ curriculum abſoluiſſe ſe intelligant, ex communi (noſtri ſæculi)

vitæ termino. Legitur idem quoque de aliis piis quod hic de Ioiada. Mortuus est Hiob satur dierum. Iob. 42. in fine, Dauid. 1. Par. 23. in fine.

Quid enim quæso est in hoc mundo, præsertim extremis his temporibus, quod vitam nobis possit facere iucundam?

O mors quàm iucunda recordatio homini seni, & cui de meliori fortuna spes nulla superest, Syr. 41.

Est & hoc in senecta miserrimum, videre quæ non velis, & sentire ea ætate se esse odiosum alteri. &c. Cicero.

Non sum melior patribus, inquit Elias, tolle animam. 1. Reg 19. Nunc dimittis, ait senex Simeon, Luc. 2. Cupio dissolui, inquit Paulus, antequam ad decrepitam senectutem peruenit. Phil. 1.

Sed etsi iuuenis etiam sis, cogita tamen id Sapient. 4. vbi Deus te voluerit euocare: Consummatus est in breui, & expleuit tempora multa. Placet enim Deo anima illius. Et ibidem. Honesta senectus non temporis longitudine, nec annorum numero metienda est: quin hominibus canities prudentia est, & senilis ætas intaminata vita.

L. II. Mortem nemini parcere, nec iuuenibus nec senibus, nec piis nec impiis, nec celeberrimis nec abiectissimis hominibus, cernimus hoc loco. Ergo in tempore cogitemus de vitæ fine. Nec procrastinemus pœnitentiam. Syr. 18. De his aliàs sæpius.

II. Pars.

Mortuus Ioiada sacerdos honorificè sepelitur, in ciuitate Dauid: imò inter ipsos Reges. Hoc multis Regibus fuit negatum, vt Ioram. 2. Par. 21. Vsiæ 2. Paralip. 26. Imò ipse etiam Ioas Rex Iuda, qui cum Ioiada vixit, inter Reges humatus non est 2. Par. 24. Sed quæ causa est, quod Ioiadæ præ multis Regibus hunc habuerunt honorem? Fortassis hæc, quod fuit affinis Regi Ioas? Quippe coniunx illius fuit soror Ahasiæ, & amita Ioas? At alia dicitur fuisse causa honorificentissimæ sepulturæ, sic enim habet

habet Textus: Eo quod fecisset bonum cum Israel, & cum Deo, & cum domo Dei, templo scilicet.

1. Benè erat meritus de Israële. Etenim opera ipsius & coniugis seruatus & coronatus, atque in possessionem regni immissus ipse Rex Ioas puer septem annorum. vide 2. Reg. 11. 2. Paralip. 23.

Ipsius opera Athalia pernicies regni oppressa, & pax regno fuit restituta. Ibidem.

2. Bonum fecit cum Deo. Promouit enim gloriam ipsius, restaurando cultum sincerum, & destruendo templa & altaria Baal. Ibidem.

3. Bonum fecit cum domo Dei, quam penè collapsam & mirificè fœdatam atque prophanatam restaurari & resarciri curauit. 2. Reg 12.

Hinc sibi laudem immortalem & nomen magnum conciliauit apud Deum & omnem piam posteritatem.

Locvs. Videmus qua ratione non tantum honestam sepulturam inuenire, sed etiam præclarum nomen consequi possint homines. Non si nummos corradant, & magnas post se diuitias relinquant. Non si audeant aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum, vt Herostratus. Non si seipsos extollant. Contra Christus Matth. 23. v. 12. &c. Sed si cum Ioiada studeant benè mereri de Ecclesia & Republica, pro ratione officii & conditionis vitæ cuiusque. Horum laus erit æterna.

1. Tu ergò quisquis es, facias bonum cum Deo, vt illius gloriam pro virili promoueas.

Hoc imprimis possunt & debent pii Magistratus: iuxta id Esa. 49. v. 23. & 60. v. 16. Id tum fiet si Ecclesias & scholas instituant, si cultum sacrum sartum tectumque conseruent. Si pecuniam curent in ærarium Ecclesiæ inferri, cum Ioiada. 2. Reg. 12. vers. 9. non inde auferri.

Possunt etiam priuati bonum facere cum Deo, si propter Deum benefaciant proximo. De quo Prou. 19. v. 17. Matth. 10. v. 42. Esa. 58 v. 7. Matth. 25. v. 40.

2. Deinde facias bonum cum templo & domo Dei:

vel ad illius instaurationem aut conseruationem contribuendo: vel templum sæpius visitando & audiendo in illo verbum Dei, ne vacuum appareat tempore concionis, neve ingemiscant contra te lapides, sicut alias de simili ædificiorum querela & clamoribus scriptura loquitur. Habac.3. cap.v.11.

3. Bonum facias cum omni Israële, hoc est, Inseruias Reipubl. si potes, & benè de proximo mereri stude. Non sis inutile pondus terræ, fruges consumere natus: Sed pro modulo donorum tuorum iuua Rempublicam, & quemcunque proximum tuum; & si plus non vales præstare, precibus tuis iuua patriam communem, & sta oppositus contra ruinam, Ezech.22. v.30. ne dissipetur terra.

Si bonum opus feceris, conseruabitur memoria tui, sicut Christus de muliere testatur, Matth.26.v.13. Sic semper honos nomenq; tuum laudesq; manebunt.

Et si maximè non sepeliaris inter Reges, tamen nomen tuum in cœlo scriptum extabit, Luc.10. ver.20. & in nouissimo die super multos Reges collocaberis, & accipies coronam immarcessibilem gloriæ propter Christum, 2.Tim.4. Iac.1.1.Pet.5.

THEMA XII. CLASSIS I.

2. Paralipom. 35. vers.25.

De luctu populi super obitu Regis Iosiæ, & Epicediis.

DISPOSITIO.

Syrac.49.v.1. sic legitur: Iosiæ memoria quasi quædam suffiminis cōpositio confecti arte vnguentarii, in omnium ore dulcis est vt mel, aut vt musica in vinoso conuiuio. Fuit enim tantæ pietatis Rex, vt similem non habuisse legatur. Hinc meritò illius memoria in benedictione est, Prou.10. & in memoria æterna iustus ille Iosias viuere debet. Psal.112. Ideoq; verbis prælectis non tantùm luxisse illum dicuntur omnes Iudæi & Hierosolymitani: sed etiam Prophetæ atq; Cantores scriptis super obitu illius

Car-

Carminibus & Epicediis ipſius nomen immortalitati conſecraſſe leguntur.

Dicemus 1. igitur de luctu ſuper morte Ioſię Regis. 2. De Næniis ſeu Epicediis ſuper hac conſcriptis & decantatis.

I. Pars.

Ioſias puer admodum Rex creatus, impio patri Manaſſi ſuccedit. Cultum reſtaurat, & Idololatriam abrogat, vt pote à Deo peculiariter ad hoc deſtinatus, vt habet Vaticinium, 1. Reg. 13. v. 2. Et dicitur puer adhuc quæſiuiſſe Dominum patris ſui Dauid, 2. Par. 34. Omnibus autem quæ ad Eccleſiam & Remp. pertinebant, rite diſpoſitis, pręmatura morte abreptus eſt anno ætatis trigeſimo nono, regni vero triceſimo primo. Etenim bello non neceſſario implicatus, ſagitta percuſſus interiit optimus Princeps.

Quantum verò ipſum Ioſiam attinet, clementiæ Diuinæ ſignum fuit præmaturus obitus hic, cum id ipſi fuerit iam antè prædictum à Domino, 2. Par. 34. v. 28. Poſteris verò & toti regno hic caſus fuit luctuoſus. Cum ipſo enim moritur ſalus & gloria Regum & totius Regni Iuda. Non igitur abſq; cauſa dicuntur illum luxiſſe omnes qui habitabant in Iuda & Ieruſalem. Quia poſt mortem illius Idololatria priſtina inſtituta, terra Iudæorum mulctata centum argenti, & vno auri talentis, Regibuſque Iudæoram partim in Ægyptum, aliis verò in Babylonem abductis, ſequuta fuit πανολεθρία, & triſtis illa captiuitas Babylonica ſeptuaginta annorum.

L. I. Poſſet tractari locus hic, Magiſtratum vel hanc ob cauſam pietati & iuſtitiæ ſtudere debere, vt aliquando cum luctu atq; deſiderio omnium bonorum moriantur, ſicut Ioſias. Multi ita vixerunt, vt plures mortuos ipſos, quam viuos optarint: plurimi autem triſti eorundem obitu exhilarati fuerint: vt Manaſſes, Herodes, &c. At nomen præclarum ſibi compararunt, Dauid, Hiskia, Ioſaphat, Ioſia, &c. Longè enim fama præferenda eſt diuitiis, auro & obryzo, Prou. 21. v. 1. Syr. 42. Eccleſiaſtis 7. v. 2.

Hoc vt fiat, à puero studeant pietati, & Deum quærant cum Iosia. Nam a teneris assuescere multum est.

L. II. Non sine causa subditi & ciues etiam aliorum imperio subiecti, lugent pios Principes, Magistratus vel Iudices suos defunctos. Sic enim suam charitatem testantur erga ordinationem Diuinam: (Non enim est potestas, nisi à Deo, Rom. 13.) & gratitudinem erga eos, quibus tanquam parentibus (est enim Magistratus bonus pater patriæ) vsi fuerunt.

Et quia posteriores rarò sunt prioribus meliores, iuxta Prouerbium, interdum satis iustas causas luctus habent subditi, si pios Magistratus amittant. Taceo quod illorum obitum plerumque sequuntur periculosæ mutationes, & infinita alia mala, de quibus alias. Vide Thematis 9. dispositionem parte vltima.

II. Pars.

Non lugent tantùm defunctum Iosiam diebus aliquot proximis ab obitu illius, quod alias fieri solet: Sed volunt etiam memoriam boni Principis consecrare æternitati, conscriptis Carminibus, Næniis & Epicediis variis.

1. Dicitur n. Ieremias Propheta condidisse super ipsum Næniam, vel Monodiam, in qua haud dubiè decantauit illius pietatē & res in Ecclesia & Rep. laudabiliter gestas.

2. Verùm non tantùm vnus & alter hoc præstitit defuncto, vt illius laudes decantaret: Sed omnes Cantores & Cantatrices per totum regnum, dictitarunt suas Nænias super Iosia. Dignus enim fuit, qui æternis laudibus ad cœlos vsque eueheretur.

3. Neq; verò mox obliuioni tradita fuerunt illa Carmina & Epicedia, sed in consuetudinem abierunt, vt multo tempore passim Carmina & Epicedia in omni regno Iuda audirentur. Fuerunt etiam aliis clarissimorum virorum Epicediis coniuncta & annexa.

Locvs I. Dici potest occasione horum verborum, de Epitaphiis & Epicediis.

Est

Est autem Epitaphiorum & Epicediorum mos antiquissimus. Et bono fuerunt consilio primitus introducta: partim

1. Vt posteri suum amorem testarentur erga defunctos.

2. Partim vt posteritas hac ratione excitaretur ad virtutis studium.

3. Partim verò vt mortalitatis admonerentur omnes cuiuscunque essent conditionis.

Abutũtur autem nostri seculi homines Epicediis multifariam. 1. Alii planè negliguntur, licet benè meriti fuerint de posteris & hæredibus: qui interdum sumptibus parcunt, vel ingrati, vel ἄστοργοι, vel inepti, & barbari.

2. Alii qui vix quicquam laudabiliter in omni vita fecerunt, tamen à suis prępostero quodam amore, ad cœlos euehuntur, & tantum non inter Diuos referuntur post mortem.

At frustra monumenta eorum honorantur in terris, quorum animæ torquentur in inferno.

Eorum verò memoria nobis sacrosancta esse debet, qui dum vixerunt Ecclesiæ & Reipub. adeoque communi patriæ vtiliter inseruierunt. Et licet non sint, qui ipsis tumulos erigant, Epitaphia & Epicedia scribant, illorũ tamen nomina animis inscribenda, vt grati simus erga ipsos: sicut etiam in cœlo descripta extant, Luc.10.

Nec quicquam intermittendum, quod ad celebrandum ipsorum nomen possit facere. Cum iusti memoria non sit delenda super terram, Psal.112. Prouer.10. vt sic etiam posteri habeant, quod imitentur, & ad simile virtutis studium inuitentur & accendantur.

L. II. Posset etiam hic tractari locus. Qui volunt sibi nomen comparare præclarum, & non tantùm in vita, sed etiam post mortem publicè priuatimque, Carminibus & annalium monumentis celebrari, illi sectentur studium pietatis, quod fuit in Iosia, ipso Spiritu sancto (in historiis Regum) teste. De his plura alias.

THEMA XIII. CLASSIS I.

Pſalm. 34. verſ. vlt.

Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum, & non rei erunt omnes qui confidunt in eo.

DISPOSITIO.

Gratiarum actionem continet hic Pſalmus 34. pro ſummis beneficiis Dauidi à Deo præſtitis: quorum aliqua in ſpecie enumerat, ſeptẽ potiſſimum; v. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 22. comprehenſa. Inter hæc vltimo loco & verſu vltimo Pſalmi continetur illud, quod omnium eſt maximum, & homini tàm in morte, quàm in vita ſummè neceſſariũ, imò tale, ſine quo cætera omnia parum vel nihil facerent ad ſalutem, ſc. quod dicitur Deus redimere animas ſeruorum ſuorum. Quia vero hæc non tantùm propter Dauidem, ſed ad doctrinam & conſolationem omnium ſeruorum Dei, ſcripta ſunt, agite hæc ad vſum noſtrũ transferamus. Vt autem rem iſtam rectius intelligamus, dicendum erit:

1. Quinam ſerui Dei ſint, de quib. Pſalmus loquitur.
2. Quantum illi tàm in morte, quàm in omni vita beneficii accipiant à Deo, ratione huius liberationis, de qua tractat Dauid.

I. Pars.

Quia Pſaltes innuit beneficia hæc, de quibus loquitur, non niſi ad ſeruos Dei pertinere, operæ pretium erit deſpicere, Quinam hoc nomine vocentur, & quos Deus pro ſeruis ſuis agnoſcat.

Et ſanè ſi volumus dicere quod res eſt, ſerui Dei eſſe debebant omnes omninò homines, qui Deum agnoſcunt Dominum & creatorem ſuum. Et ſicut omnes creaturæ etiam irrationales & inanimatæ ipſi promptiſſimè inſeruiunt, & ad nutum illius præſtò ſunt, vt patet ex Pſal. 148. verſ. 8. quod dicuntur facere verbum illius: ſicut etiam ſancti Angeli ſunt ſpiritus miniſtrantes, Hebræ. 1. Pſalm. 103. & Pſal. 104, & ſeruiunt Deo; ita omnes homines

nes serui Dei esse debebant. Atque tales quidem haberi volunt omnes.

Verum plurimi sunt serui nequam, quales illi Matth. 25. Luc.19. Quia Deo non seruiunt, sed Diabolo. Teste enim Paulo, cui homines obediunt, illius sunt serui. Roman.6.v.16. Et Petrus idem aliis verbis refert, 2. Pet.2. v.19. A quo quis victus est, huic etiam in seruitutem est addictus. Ideoque hi non habentur pro seruis Dei, nec possunt ita appellari, sed vocantur in scriptura serui peccati, Rom. 6.vers. 17. 20. &c. quia seruiunt Diabolo, qui ipsos instigat ad varia peccata. Vocantur iidem etiam serui hominum, 1. Cor.7. quia mundo, cuius princeps est Diabolus (Ioan.16. & 12.) seruiunt.

At serui Dei sunt, qui soli Deo seruiunt, & mandatis illius obtemperant, quantum adiuti gratia spiritus sancti possunt: quique Diaboli & mundi, in maligno positi, detrectant imperium: idque non tantum in peculiari vocatione, sed quocunque vitæ genere.

Dicuntur quidem in specie Ministri Dei 1. Magistratus, Roman.13.v.6. qui faciunt officium. 2. Ecclesiarum ministri, Ioël. 1. v.9. 1.Cor.4.v.1. 1.Th.3.v. 2. Sed hoc eodem nomine generaliter omnes pii & verè Christiani appellantur, hoc loco & in aliis. Esai.61. Ministri Dei nostri nuncupandi eritis. 2. Corin.6.v.4. In omnibus exhibete vos sicut ministros Dei decet.1. Pet.2.vers.16. tanquam serui Dei. Hinc Dauid seipsum vocat seruum Dei. Psal.116.v.16. Et Simeon Luc. 2. Nunc dimittis seruum tuum. Sic ipse Dominus vocat Seruum suum Iacob. Ezech.28. Seruum suum Israël. Ierem. 2.Et Seruum suum Dauid.Ezech.38. Et sæpissimè alias.

Et potest illud ipsum, quod hoc versu additur, esse explicatio præcedentium, quinam sint serui Dei, scil. qui confidunt in eo. Qui in Deo confidunt (quod de Dauide legitur multoties, Psal.11.v.1. In Domino confido, Psal. 25 v.2.) & ex fide faciunt officium, hi sunt serui Dei, atque hi placent Deo.

II. Pars.

II. Pars.

Hi igitur quid possunt sperare à Domino? Ingens illud beneficium & ineffabile præstat ipsis Deus, vt liberet animas illorum. Est autem hæc redemptio vel liberatio multiplex: Potissimum verò triplex. 1. Nam Christus pretioso suo sanguine mercatus est animas seruorum, & liberat à maledictione legis animas fidelium, Galat.3. Actor. 20.v.28. 1.Pet.1.v.19.

2. Deinde liberat etiam animas fidelium à contagione scelerum & peccatorum, ne falsa doctrina inquinentur, neve improbis mundi exemplis seducantur (Sapient. 4.) à recto pietatis tramite.

3. Tandem a calamitatibus temporalibus (quando hoc ipsis salutare intelligit futurũ) liberatos, in æternam beatitudinem asserit, & ab æternis cruciatib. liberat, animas illorum in manu sua custodit, vt nõ tangat illos tormentũ; Sap 3. Expertus hoc Lazarus, posset testari, Luc.16.

At, inquis, sumus miseri peccatores, & serui inobedientes interdum, voluntatem Domini scientes, nec semper facientes: ideoque metus est, ne hæc ad nos nihil pertineant? Huic tentationi occurrit Psaltes, his verbis: Et qui confidunt in eo, non erunt rei. Credentibus enim in Christum (quod faciunt verè pœnitentes) non imputabuntur peccata, non rei agentur suorum peccatorum. Mich.7. In profundum maris, &c. Quia Christus sustulit illa, qui est aduocatus, Rom.8. 1.Ioan.2. & passim.

VSVS.

I. Magna hæc est consolatio, quæ erigere potest animos tentatorum & afflictorum, quod Deum habent, qui non tantum ex omnibus huius vitæ calamitatibus liberat, de quo Paul.2.Tim.4.v.18. sed etiam ab æternis cruciatibus præseruat. Esa.54.v.17. Hæc est hæreditas seruorum Domini, & iusticia, q̃ habent à me Et consolatione plenissimũ illud Christi, Ioan.12.v.26. Vbi ego sum, ibi & minister meus erit. Beati enim cui non imputantur peccata, Psal.32.

II. Quia

II. Quia vero huius redemptionis non nisi serui Dei fiunt participes, ideo opera danda, vt inueniamur in numero seruorum Dei, qui ipsi vera fide adhærent, & ex fide mandata illius strenuè exequuntur, atque tempus liberationis (quam omnes Creaturæ gementes desiderant, Roman. 8. v. 19. & 22.) patienter expectant. At hoc loco nemo seipsum decipiat, putans se seruire Deo, cum seruiat Diabolo, mundo, & peccato, (quia qui facit peccatum, peccati seruus est, Ioan. 8. v. 34.) Sed exigat vitæ suæ actiones ad præcepta Domini sui, memor illius dicti, Psal. 123. Sicut oculi seruorum in manibus Dominorum, &c. accuratè obseruet vocem Domini Dei sui, neq; illum offendat. Hinc illud Luc. 12. v. 43. Beatus seruus, quem sic inuenerit Dominus. Quod si verò peccatis ipsum offendit, deprecetur culpam, credat in Christum, & absoluetur ab omni peccato, Esa. 1. v. 18.

THEMA XIV. CLASSIS I.

Psalm. 112.

In memoria æterna erit iustus.

DISPOSITIO.

Inter alias vanitates huius mundi deplorat Salomon etiam hanc Eccles. 9. v. 5. quod mortuorum memoria tradatur obliuioni. Contrarium videtur Psalmus hic asserere, Memoriam iustorum esse sempiternam. Et sanè vtrumq; verum est, partim respectu hominum, partim respectu Dei. Vt autem hanc rem intelligamus, nec propterea angamur animo, quod metuimus memoriam nostram mox delendam, hæc verba Psalmi tractanda suscipiemus hoc pacto, vt audiamus:

1. Quorum memoria citò pereat, & contra quorum memoria sit æterna.

2. Quid faciendum, vt memoria nostri sit constans, & sempiterna.

I. Pars.

I. Pars.

Pars maledictionis eſt illud, de quo Pſalm.9.v.7. Perit memoria eorum cum ipſis. Et Pſalm.109.v.15. Diſpereat de terra memoria eorum.

Hoc autem de impiis dicit ſcriptura, vt clarè patet ex Pſalm.34.v.17. Vultus Domini contra eos qui operantur iniquitatem, vt deleatur memoria illorum de terra. Hinc Exod.17.v.14. Delebo memoriam Amalek, vt nemo ſit qui recordetur illius. Inobedientibus Iudęis minatur Dominus Deut.32.v.26. Dicam, vbi nam ſunt illi? Memoriam illorum tollam ex hominibus.

Eſaias cap.16.v.14. conqueritur, Perdidiſti omnem memoriam eorum.

Hoc ita intelligendum eſt, quemadmodū Prou.10.v.7. explicatur, Nō in benedictione, aut cum laudibus extare memoriam illorum. Man gedenckt jhrer nit im beſten/ vt Nehemias orat, Nehem.5.v.19. Memento mei in bonum.

Meminit enim Deus quidem malitiæ illorum, ſicut Pſalm.109.v.14. In memoriam redeat iniquitas patrum eius, & peccatum matris non deleatur.

Recordantur etiam homines ſcelerum & peccatorum, & hodie quoque famoſi ſunt Cain, Iudas, Saul, Ahitophel, Bileam, Herodeș. &c. qui ante multorum annorum centurias interierunt. Vide Sap.10.v.7.

At ſatius ipſis eſſet de his nec Deum nec homines cogitare vnquam, quia non ad bonum nec ad laudem illorum cedit hæc recordatio. Man gedencket jhr wie deß Judas im Paſſion / vnd wie deß Pilati im Glauben / dicitur Prou. Iob.13.v.2. Memoria veſtra ſimilis cineri.

At memoria iuſtorum cum laudibus & in benedictione in æternum conſeruatur. Prouer.10. Et hæc magna eſt pars Diuinæ benedictionis. Syr.39.v.13. Nunquam delebitur aut deficiet memoria illius, quin eius nomen viuet in perpetua ſęcula. De muliere illa Chriſtus Mar.14. inquit, Narrabitur hoc in memoriam eius. Quia bonum opus operata fuit. Etenim omnes boni ſemper & omnibus

tempo-

temporibus celebrant benefacta antiquorum, & recordantur ipsorum cum honore & laude maxima.

Sicut recens semper est nobis memoria pietatis Iosephi, Dauidis, Iosiæ, Iosaphati, Mosis, Ieremiæ, Danielis, Zachariæ, Ioannis Baptistæ. &c.

Quod si verò maximè memoria hominum excidant pii & boni, & benè etiam de nobis meriti, iuxta id, **Auß den Augen auß dem Sinn:** tamen in memoria æterna iustus erit apud Deum. Fit interdum id quod Es. 56. habetur, Iustus perit & nemo est qui obseruet, tamen Deus non obliuiscitur piorum, nec benefactorum, in omnem æternitatem. Et renouabit tum demum in die Nouissimo illorum memoriam, vbi quod in abscondito factum producet.

Et si videatur ipse etiam obliuisci, de quo conqueritur Dauid Psalm. 13. v. 2. & 42. v. 10. tamen retinet nomina piorum in recentissima memoria. Quia si mulier etiam posset obliuisci infantem, Deus tamen non obliuiscitur. &c. In manu mea signaui vos. Esai. 49. v. 15. & 16.

CONSOLATIONEM pii ex hoc loco petere possunt, quando cogitant benefacta illorum nullam habitura in seculo hoc compensationem, & memoriam illorum, mox vbi diem suum obierint, interituram: vt tamen optimè sperent, cum benè apud Deum (nostri semper memorem) veteris stet gratia facti. Exemplum habemus in Mose. Nullam is rerum optimè gestarum sensit in his terris compensationem, at è terra euocatum in cœlos à Deo esse translatum, historia Matth. 17. testatur.

In cœlis copiosa erit piorum merces. In cœlo scripta nomina illorum. Luc. 10. v. 20. Celebrabuntur illorum merita. Mat. 25. v. 35. In libro enim vitæ annotantur pii, vt non pereat nomen illorum. Apoc. 20. v. 12. Et facta illorum sequuntur ipsos. Apoc. 14. vers. 13. Et hoc ipso Psalm. 112. Iustitia eius permanet in seculum. Et generatio etiam rectorum benedicetur. Psalm. 112. vers. 2. & 102. v. vltimo.

II Pars.

Quo pacto igitur immortalitatem & nominis æternitatem conciliare poterimus? Vno verbo id hîc exprimitur, quod dicitur, Iustus erit in memoria ęterna. Intelligit hominem pium & talem, qui fide iustificatus facit, quod Deo placet propter Christum, licet multis alioquin humanis infirmitatibus laboret. Notandum autem in hoc multum elaborasse Ethnicos etiam, vt nominis immortalitatem sibi pararēt, & fama illorum passim per orbem volitaret. Hinc alij præsentissimam pro patria subierunt mortem, vt Curtius, alij pyramides vel obeliscos, (quod Absalom etiam fecisse legitur, 2. Sam. 18. v. 18.) vel ædificia splendida, vel sepulchra sumptuosa extruxerunt, alij libros ediderunt, &c. At præter famam terrenam nihil sunt consequuti. Apud Deum enim, & omnes sanctos Angelos hæc nihil valent. Neque durabit illorum fama in altera vita: quin potius memoria illorum delebitur.

At pietas vna & sola est, quæ huius & futuræ vitæ promissiones habet, quod Paulus affirmat, 1. Timot. 4. & quæ perpetuis laudibus famam illorum apud Deum amplificat, vt licet ab hominibus negligantur, aut persequutionem patiantur, tamen coram Deo in honore & pretio sint, qui non patietur nomen illorum interire in cœlis, & apud omnes sanctos.

Apostoli & Prophetæ exemplo esse possunt. Qui licet fuerint suis temporibus obscuri, imò exosi, & ad necem traditi, tamen hodiè apud omnes Christianos in magna sunt gloria, & erunt etiam in altera vita, magisq; gloriosi, de quo Christus, Luc. 22. v. 30.

Qui igitur cupiunt memoriam nominis sui extare ad omnem posteritatem, & nomina sua etiam in cœlo scribi, non poterunt hoc consequi, nisi studio pietatis & iusticiæ. Colant ritè Deum Creatorem, credant & fidem retineant cum bona conscientia, 1. Tim. 1. v. 19. Benefaciant proximo de suis bonis. Hæc immortalia erunt, vt patet Esa. 58. v. 7. Matth. 25. & Luc. 16. v. 9.

THE-

THEMA XV. CLASSIS I.
Prouer. 10. verſ. 7.

Memoria iuſti in benedictione.

Eadem eſt ſententia huius dicti & Thematis, quæ fuit præcedentis: Ideoque eadem planè ratione tractari poterit: vt hæc ſit propoſitio, vel partitio, 1. Quorum memoria in benedictione, & viciſſim quorum memoria in maledictione ſit.

2. Quid faciendum, vt memoria in benedictione perpetuò maneat. Vbi eadem recurrunt, quæ in præcedentis Thematis tractatione habentur. Ideò ſupra ſemper præſens hoc dictum verbis Pſalmi coniunximus.

Ne igitur nimium excreſcat hic libellus, peculiarem huius Thematis tractationem inſtituere noluimus.

THEMA XVI. CLASSIS I.
Prouerb. 14. verſ. 32.

Etiam in morte ſperat (Seu confidens eſt) iuſtus.

DISPOSITIO.

Scripturæ hic eſt vſus inter præcipuos, vt per illius conſolationem ſpem habeamus, Rom. 15. Et niſi verbũ Domini nos tentatos reficeret, actum eſſet de nobis, quod Dauid fatetur, Pſal. 119. v. 92.

At tum demum conſolatione opus eſt, & magna confidentia, quando moriendum. Tum enim plerumque illud accidit, quod Hiskias habet, Eſa. 38. v. 17. Ecce angebar deſiderio conſolationis. At Salomon hoc loco iuſtum & pium hominem benè ſperare, & in morte etiam ſemper confidentem eſſe poſſe aſſerit.

Diſpiciendum igitur erit, 1. Quæ ſpes aut conſolatio iuſti in morte, vel (vt germ. verſioni reſpondeant noſtra) Quid iuſtum in morte etiam faciat confidentem.

2. Et quis præterea huius loci Vſus.

I. Pars.

1. Iuſtum confidentem non faciunt diuitiæ. Prouer. 11.

 verſ. 4.

v.4. Diuitiæ non proderunt in die iræ. Imò affligunt possessorem, quia relinquendæ, Ecclesiast.5.v.14.

2. Nec confidentem faciunt bona opera & propria iusticia. Quia iusticiæ nostræ pannus menstruatæ, Esa. 64. Serui inutiles sumus, Luc.17.

Sed confidentem faciunt consolationes scripturæ, quæ iubent ipsum benè sperare.

Fallit interdum spes illa, quā habemus in temporalib.

Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

At spes iusti firma est in Deo, & his nititur consolationibus.

1. Mors non potest nocere, sed est transitus ad vitam. Sublata enim causa mortis, hoc est, peccato, tollitur etiam mortis in nos imperium, Heb.2.

Christus enim credentibus (hi autem iusti illi sunt, de quibus hic sermo est) mortem in dulcem somnum conuertit. Ioan. 11. 1. Thess. 4. Mar. 5. vers.39. Luc.8. Mortis aculeum sustulit, qui est peccatum. 1. Cor.15.v. 55. Esa.38. Proiecisti peccata mea post tergum.

Deuicta igitur morte, Ose 13. Ero mors tua, &c. Christiani iam per mortem transeunt ad vitam, Ioan. 5.ver. 24.

Hoc facit iustum moriturum confidentem. Sed sequuntur etiam plura alia.

2. Per mortem non separamur à Deo. Ideoque mors non est indicium irati Dei. Pii namque etiam moriuntur, qui sunt Deo amicissimi. Mose, Abraham, Dauid, Iob, Iosias, Paulus.

Imò mortui propius (si tamen ita dicere licet) ad Deum accedimus. Sic enim Prouerbio germanico dicimus de defunctis, cum Deo est. Er ist bey vnserm HErren Gott. Sap.3. In manu Dei sunt.

Enoch translatus & assumptus est à Deo, Gen.5.

Lazarus in sinu Abrahæ, Luc. 16.

Imò in ipso mortis articulo non abest Dominus à nobis, Iob.13. Etiamsi occiderit me, salus tamen mihi. Psal. 23. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, tu mecum es.

Phil.

Phil. 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo.
Summa, Rom. 8. Quis separabit nos?
3. Mortui ergò non malè habent. Cessant ab omni labore, & carent omni miseria, eximūtur omnibus malis.
Esa. 26. Intra in cubile tuum, & abscondere.
Apoc. 14. Quiescunt à laboribus.
Esa. 56. In cubilibus suis quiescunt.
Sap. 4. Iustus eripitur ex hac vita, &c.
Ideoq; illos aufert Dominus, vt hoc sit ipsis magni beneficij loco. Exemplum Iosiæ, 2. Reg. 2. 2. Par. 34.
4. Et quod illis est gratissimum, Colliguntur ad suos maiores, & charissimos quosque ante defunctos.
Gen. 15. Ibis ad patres tuos.
Num. 20. v. 24. & Num. 27. Colligatur ad populū suum.
Gen. 49. Congregatus est Iacob ad populum suum.
1. Reg. 22. Dormiuit Iosaphat cum patribus.
2. Sam. 12. Dauid, Ego vadam ad eum.
5. Quia verò gaudium non est perfectum, nisi anima iterum iungatur corpori. Ideoq; confidentem facit moriturum, quod resurrecturi sumus.
Iob. 19. Scio quod redemptor. Item, Esa. 25. Esa. 26.
1. Thess. 4. Ioan. 5. Dan. 12. 1. Cor. 15. Apoc. 11. & 20.
6. Magis verò hoc quod sequitur, confidentem facit, quod tum perfectissimum gaudium anima cum corpore sentiet, in vita æterna. Hinc illud, Beati mortui, Apocalyp. 14. Luc. 16. solatio fruitur. Psalm. 16. plena gaudiorum cōpia, & in dextera Dei perennes voluptates.
Summa, oculus non vidit, Esa. 64. 1. Cor. 2.

II. Pars.

Hæc ideò dicuntur, 1. vt non anxii de hora mortis tristissima (quam multi sibi imaginantur) cogitemus, sed vt magno animo simus, scientes, quod meditatio prædictorum confidentem possit reddere moriturum. Et propterea hæc nunquam animo nostro elabi patiamur. Nunc dimittis, ait Simeon, Luc. 2. Quia viderunt oculi salutare.

2. Quia verò hæc tantum de Iustis, hoc est, credentibus, fide iustificatis & piis pronuntiantur, faciunt ad correctionem. Longè enim alia est ratio de impiis. Illi morientes non possunt esse confidentes, quia sciunt illa omnia, quæ supra enumerauimus, nihil ad se pertinere. Ideoque cum horrore finiunt vitam, Psalm. 73.

Iam negatiuè omnia supra scripta possunt reduci.

1. Mors est illis transitus ad mortem secundam, Apoc. 21. Quia peccata ipsis detinentur.

2. Auersatur illos Dominus, Psal. 5. v. 7.

3. Mox sentiunt iudicium Domini, Syr. 11. v. 28. & 29.

4. Cum damnatis agunt, qui nihil solatii afferunt. Ideò timet Epulo, ne ad ipsum quoq; fratres colligantur, Luc. 16.

5. Resurgēt, sed ad ignominiam, Dan. 12. Ioan. 5. v. 29.

6. Et tum demum anima & corpore cruciabuntur, Esa. 66. v. 24. Apoc. 21. v. 8. Matth. 22. v. 13.

Ergo non sine causa trepidant impii morituri. Hoc ne fiat, sectemur iusticiam. Credamus in eum, qui factus est nobis iusticia, 1. Cor. 1.

Quæramus iusticiam fidei, de qua Rom. 4. v. 5.

Apprehendamus eum, q iustificabit multos, Es. 53. & 11.

Iustè etiam agamus ex fide, Tit. 2. v. 12. Castè & iustè viuamus, &c.

THEMA XVII. CLASSIS I.

Prouerb. 22. vers. 1.

Melius est nomē (bonum) (germ. fama) quàm diuitiæ multæ, & gratia bona (fauor) super argentū & aurum.

DISPOSITIO.

Pleriq; ita affecti sunt, vt appetant magnas diuitias, aurum atq; argētum. In his enim magnam partem felicitatis collocāt homines minus rectè sentientes. At sapientissimus ille Rex Salomon hoc loco ostēdit, quod auro atq; argento & multis diuitiis longè est præstantius: quodq; mino-

minori cum periculo possumus acquirere quam diuitias, quæ interdum interitum accersere solent quærentibus. 1. Tim. 6. v 9. Quid hoc igitur, vt istud q̄ramus ante omnia? Nomen bonum siue bona fama, & gratia bona siue fauor.

Huc itaque intendamus animum, & videamus:

1. Quid intelligatur per famam & fauorem.
2. Quanti bona fama & bona gratia æstimanda.
3. Qua ratione acquiratur.

I. Pars.

1. Fama dicitur à fando, & significat sermones de aliquo homine. Was man von einem sagt. Lutherus expressit germ. Gerücht / quod videtur habere suam deriuationem ab odore, Gerücht / quasi Geruch / das man von ferne reucht: Sicut erat fragrantissimus odor vnguenti super Christum effusi, Ioan. 11. Et hanc ob causam comparatur fama bona vnguento pretioso Eccles. 7. v. 2. Sicut vicissim mala fama comparatur fœtori. Gen. 34. v. 30. 2. Sam. 10. v. 6. Sumitur autem fama latinè, & Gerücht germanicè in bonam & malam partem. Coniungit Paulus vtramque 2. Cor. 6. v. 8. per bonam & malam famam, hoc est, per conuitia & laudes. Etenim fama etiam malorum vulgatur per orbem. Vt Saulis, Caini, Iudæ, Pontij Pilati, & multorum hæreticorum.

At illa fama non est pretiosa, & satius esset illorum nomina & facta penitus ignorari. Ideoque Salomon hic cõmendat bonam famam, sicut Eccl. 7. addit vocabulum bona fama. Vbi homines boni & laudati (ab illis enim laudari laus est, non item ab alijs) honorificè loquuntur de bonis. Sic Christus factum mulieris in Bethania per orbem prædicatum iri asserit. Ioan. 11. Sic prædicatur à bonis Abrahami fides, Iosephi castitas, Iobis patientia, Mosis & Samuelis fidelitas in officio, &c.

2. Bona gratia autem siue fauor à fauendo, quod homines alicui faueant & benè cupiant, dicitur. Ita germ. Gunst / from gönnen. Estq; hic fauor, cũ homines honestè

ſentiunt de alicuius virtutibus & benefactis, & propter illius merita fauent illi omnem fortunam proſperam. Fauent quidem impij impiorum factis, ſicut Sauli Doegus nequam admodum eſt fauorabilis perſona 1. Sam. 22. At Salomon de fauore bonorum ergà bonos loquitur: vbi Deus inclinat corda hominum vt cogantur fauere bonis, propter merita ipſorum.

II. Pars.

Quanti æſtimanda hæc fama & gratia oſtendit Salomon. Etenim auro, argento & multis diuitiis pretioſiorem iudicat. Nec dubium quin ſapientiſſimus ille Rex intellexerit hoc negotium: cum ille & auri atq; argenti ditiſſimus, & fama etiam nominis toto terrarum orbe celebratiſſimus fuerit. Hinc iudicium ferre poteſt de vtroque.

Et ſi ipſi etiam hanc rem accuratius penſitemus, idem iudicabimus.

1. Aurum & argentum tantum inter homines locum habet. At fama etiam Deo grata, qui diuitias nullas curat. Etenim benefactis celebratur, & inuitantur multi ad idem ſtudium virtutis. Hoc gratum eſt Deo, qui hac ratione glorificatur. Matth. 5. Luceat lux.

2. Deinde diuitias etiam improbi poſſident, nec propterea in maiori pretio habẽtur. Luc. 16. & 12. Diuites. Nabal diues at ſtultus. 1. Sam. 25. At fama hominem facit gratum atque celebrem.

3. Et quid læticiæ in diuitiis, ſi omnes inuideant? Sed fauor hominem exhilarare poteſt, ſi omnes illum velint ſaluum & benedicant ipſi. Cum diuitibus multi maledicant & extinctos cupiant illos.

4. Diuitiæ relinquendæ, & non niſi viuentibus proſunt. At fama etiam poſt mortem durat. Hinc Syrach cap. 42. Manet nomen certius auro.

5. Imò cum vita breuis ſit, & vſura auri exigui ſit temporis, Syrach 42. fama tamen hominem immortalem facit. Viuit nobis adhuc Ioſeph, Dauid, Moſe, Iob, Daniel & ſocij.

ſocij. Hinc gentes famam ſemper & fauorem maximi fecerunt.

Omnia ſi perdas famam ſeruare memento,
Qua ſemel amiſſa poſtea nullus eris.

Eſtque fama propter nos atque poſteros, atque propter alios etiam magni facienda.

1. Propter nos, vt habeamus bonam conſcientiam. Iuge conuiuium, Prou.15.

2. Propter alios, vt poſſint obturari ora obtrectatoribus, ſicut poſſunt Moſes & Samuel. Deuter.31.ver.28. 1. Sam. 12.

3. Propter poſteros: vt illi habeant qui ipſis benefaciant. Sicut Mephiboſeth propter Patrem Ionathan in gratia eſt apud Dauidem.2.Sam.9.

III. Pars.

Quomodo igitur fama bona, & celebritas nominis, atque bona gratia & fauor poterunt comparari?

Gentes virtutibus ſibi aliquam compararunt famam, vt Codrus Rex, Ancurus Midæ filius, Marcus Curtius. Alij verò alia ratione voluerunt celebritatem nominis ſibi conciliare, factis ſcilicet temerariis & non admodum laudabilibus. Nonnullis hoc fuit frequens in ore:

Aude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquid.

Heroſtratus templum Epheſinum incendit, vt eſſent, qui de ipſo loquerentur. Extruentes turrim Babel. Gen. 11. Item voces illorum Sapient.2.v.9.

Sed nec Chriſtiani omnes famam & fauorem captant, ea qua decet pios ratione.

Alij ſunt hypocritæ, ſpeciem habentes pietatis. 2. Timoth.3. Tit. 1. Sic Phariſæi volebant videri coram hominibus. Matth.6.verſ.2.

Alij ſunt Paraſiti, qui blandiuntur hominibus, vt captent auram popularem. Sed plerique hos oderunt.

Alij iactatione & propria virtutum ſuarum commen-

datione laudem ſibi parare ſtudent. Sed quam vana ſint hæc omnia, res ipſa loquitur, & patet ex iam dictis.

Ethnici ſuis viam monſtrarunt hanc, quam Socrates fertur in ore habuiſſe, ſi talis eſſe ſtudeas, qualis vis haberi. Ageſilaus: Si loquatur optima, & faciat honeſtiſſima.

Vna autem eaque certiſſima via eſt, qua famam honeſtam conſequi, & fauorē captare poſſumus apud Deum, & omnes bonos: hæc ſcil. Piè credere, & honeſtè viuere. Sic honeſtè poterimus æmulari Maiorum virtutes. Et facere digna Deo, & vocatione noſtra. Conſeruatur etiam pietate erga Deum, Benè meritis erga homines, Candore, &c. De his alias plura. Sic fauor Dei atq; hominum, & fama conſtans manebit, in hoc & futuro ſeculo.

VSVS GENERALIS.

1. Patet hinc quam malè agant, qui ſuis ſceleribus famam auro pretioſiorem ipſi denigrant: ſicque ſibi & poſteris nocent.

2. Peccant qui famam negligunt, crudeles in ſemetipſos. Si enim licet cuſtodire bona, magis famam.

3. Peccant grauiſſimè Obtrectatores, furibus peiores, qui aliorum famam lædunt, vita chariorem. In illos Magiſtratus animaduertere debet, & poſtliminio reducere pœnam illam talionis, Deut. 19. Et hæc hactenus.

THEMA XVIII. CLASSIS I.

Syrach. 42. De honeſta fama.

Cum omnia, quæ in tractatione huius Thematis conſideranda veniunt, in explicatione præcedentis ſint pertractata, peculiarem hoc loco Diſpoſitionem addere non lubet. Etenim quid bona fama, & quanti theſauri loco habenda, & quod ipſa vita charior eſſe debeat, id omne iam eſt præcedenti Diſpoſitioni inſertum. Illuc breuitatis cauſa Lectorem remittendum puto.

THE-

THEMA XIX. CLASSIS I.

Ecclesiast. 6. vers. 10.

Quid est, etiamsi aliquis celebritatem nominis sit consecutus? Etenim scitur quod homo sit, &c.

DISPOSITIO.

Breuis quidem sed neruosa est hæc, quam prælegimus, sententiola Salomonis Regis sapientissimi. Cuius consideratio non tantùm eos, qui iam nominis sui celebritatem sunt consecuti, in officio continebit, sed & abiectos atq; miseros haud parum solabitur. Eius itaque breuissimam tractationem suscipiemus, & audiemus:

1. Quā vana, imò nulla sit omnium mortalium gloria.
2. Quæ huius vanitatis causa, vel, quid omnem humanam gloriam euertere, & in nihilum redigere soleat.

I. *Pars.*

Pleriq; hoc agunt, vt gloriolam aliquam consequantur apud homines. Præsertim qui illustri & magno loco nati sunt.

Alij bellis, alij sumptuosis ædificiis, alij editis libris, &c. inclarescere voluerunt. Exempla sunt multa. Alexander Magnus, Iulius Cæsar, Nebucadnezar, Statua Absalonis, 2. Sam. 18.

Alij alia tentant. Ædificantes turrim Babel, Gen. 11. Imo artifex quisq; manuarius hoc agit, vt suo artificio fiat celebris. Nonnulli id malis artibus tentarunt, vt Herostratus.

Sed & qui rerum præclarè gestarum ratione celebres facti fuerunt, licet à mundo celebrentur, & habeant nomen, quale est magnorum in terra, singulari Dei benedictione, 2. Sam. 7. v. 9. tamen Salomon, licet ipse in regione Austri non tantum, 1. Reg. 10. ver. 1. sed toto celeberrimus orbe fuerit, tamen vno verbo admonet, non esse, quod multum glorientur, cum sint homines, non Dij.

Ipse Alexander, licèt Iouis Ammonij filius haberi vo-

luerit, fateri tamen necesse habet, se non nisi hominem esse:Ideoq; suis adulatoribus dicit: Ergóne Dii moriuntur, ecce sanguinem Deorum. Quod si hoc nolint fateri, tamen Salomon inquit: Scitur. Multa enim ipsum produnt esse hominem. Antequam nascatur, ignotus est.

Vbi natus est, humani nihil ab illo alienum.

Quod si velit negare, se hominem esse, scitur tamen illud, ipsum non carere næuis humanis. Et quo maior, tanto maiora vitia, Psal. 62. v. 10. Quin ipsa mors illum mortalem esse, luculenter docet.

Locvs. Notanda hæc sunt, vt nosmetipsos cognoscamus, scilicet quod simus homines. Licet enim hoc sciamus nos, sciant etiam id alii, rarò tamen de hoc cogitamus, cum Diabolus soleat nobis diuersum persuadere. Hinc Philippus ille Macedo quotidiè voluit se moneri, Philippe, homo es.

In memoriam sibi hoc non sine causa reuocat Abrahamus, Genes. 18. Puluis sum & cinis. Putredo inquit Iob, & cineres, Iob. 13. & 17. Vermis.

Syr. 10. Quid superbis terra & cinis.

Esa. 40. Nihil coram Deo omnes homines.

Facit hoc ad doctrinam & admonitionem pro his, qui sunt valdè celebres, & in authoritate constituti, vt non superbiant, cùm tantùm sint homines.

Alii autem ipsos non tantopere admirētur, nec confidant ipsis, cū sint homines mortales. Exibit spiritus eius, Psal. 146. v. 4. Et Ier. 17. v. 5. Psal. 118. v. 8. Malè agunt, qui adulandi causa ipsos laudib. vltra omnes cœlos euehunt.

Facit ad consolationem pro abiectis, ne putent se coram Deo esse deterioris conditionis, quàm sunt celeberrimi quique. Cum tamen constet etiam nobilissimos quosque esse homines, & communi hominum lege teneri, Iob. 21. v. 26.

II. Pars.

Sed quæ causa est, quod vana est omnium hominū gloria,

ria, aut quare homo ita deiicitur de summo celebritatis etiam fastigio? Quia, inquit Salomon, non potest contendere in iudicio contra fortiorem se: Hoc est, neque cum Deo, qui mortis habet imperium, neque cum ipsa morte diuini iudicij exequutrice potest contendere. Maior enim est Dei potentia, quàm vt illam possit homo mortalis infringere. Mortis etiam maior sæuitia (propter peccatum) quàm vt parcat vllius hominis dignitati vel honori. Etenim mors æquo pede pulsat pauperum tabernas, Regumque turres.

L. Videmus non contendendum cum Deo, nec viuentibus, nec morituris. At inquis, quis tàm sit temerarius, ut Deo ausit mouere litem, cum sciamus illud Iobi, cap. 9.v.2. & Psalmi 51.v.6. quod vincat, cùm iudicatur.

Multi tamen vellent (siquidem possent) Deum in ius vocare. Vt Ierem. 12.v.1. & Psalm.73.v.2. Item, Ierem.20. v.7. Et Iob. 27.vers. 2. Maxime verò Iob. 19.v.6. Et 23.v.6.

Morituris etiam videtur Deus vim facere, Iob.16. in fine, ideoque cum illo litigare satagunt. Ad minimum tamen conqueruntur cum Hiskia, Esa.38.vers.10.11.12.

Hinc sæpè iustificatur sapientia Dei à filiis hominum, (Luc.7.) Quare hunc vel illum Deus tempore tam alieno, morte immatura abripuit? &c.

At quis cum Deo creatore litigabit. Væ illi, iuxta id Esa.45.v.9. Et Esa.10.v.15. Iob 39.v.35. Et si quis desiderat potentiam, &c. Iob.9.v.19.

Non enim similis nobis, cum quo possimus contendere, Iob.9.v.32. Ergò patienter subeamus mortem. Es muß doch seyn. Syr.41.in fine. Was weigerst du dich/ꝛc.

L. II. Non est quod tantoperè miremur clarissimorum & celeberrimorum virorum casus admodum graues, si quando deturbantur de summo dignitatis gradu. Sunt enim homines.

Deus fortis. Ipsi verò sicut fœnum, aut flos agri, & sicut aquæ guttula, Esa.40.v.15. Saul, Nebucadnezar, Belsazer, Pharao, Alexander, Iulius Cæsar, &c.

THE-

THEMA XX. CLASSIS I.
Esa. 3. vers. 1. 2. & 3.

Ecce Dominus auferet fortem, sapientem, bellatorem.

DISPOSITIO.

Iratus Dominus Deus Zebaoth, populo suo, propter peccata grauissima, & potissimum hanc ob causam, quod more Sodomitarum gloriabantur in peccatis suis, versu huius cap. 9. minatur illis internecionem. Ostendit autem initio capitis verbis prælectis, quo pacto velit eos tractare, vt tandem excindantur, hoc nimirùm, vt primò omnium ipsis subtrahat omne id, quod posset ipsis venire in auxilium, vel afferre solatium: & quo carere non possint, sc. victum, & viuentes, præclaros homines. Vorrath an Victualien vnd an Leuten. De his autem, quæ ad corporis sustentationem pertinent, non dicemus, cum per Dei gratiam his temporibus nihil tale sentiamus. De posteriori autem dicendum erit, cum præsens funus testetur, Deum hoc agere, vt paulatim rebus humanis eximat viros Ecclesiæ & Reip. vtiles, &c. Quia verò ipse Dominus tres hominum ordines, vel classes aut status hoc loco recenset, quibus carere non possumus, de tribus his ordine dicemus, & qui ad singulas classes referendi sint, ostendemus, additis doctrinis necessariis & vtilibus.

I. Pars.

Primus hominum ordo vel status complectitur Magistratum Politicũ, quo & belli & pacis tempore non possumus carere. Ideoque in duas classes partitur ipsos Magistratus.

Et hos, qui rebus pacatis sedent ad gubernacula Reip. vocat 1. Iudices, 2. Seniores, 3. Consiliarios, 4. Oratores, 5. Diuinatores, Wahrsager. Non autẽ intelligit ariolos, qui Deo sunt abominationi, Deuter. 18. v. 11. sed homines prudentes, & qui habent experientiam rerum, vt possint iudicare & vaticinari de futuris euentib. Non enim tantùm vnius generis sunt Magistratus: alij ad iudicandum,

alii

alij ad consulendum, alij ad perorandum, vel coram Senatu & iudicio, vel corā populo sunt destinati. Et nonulli etiam Magistratus suis consiliis vel alia ratione iuuant.

Tempore belli opus habemus fortibus viris & bellatoribus, & Capitaneis etiam, qui pugnent pro patria, pro aris & focis.

Hos inquit Dominus auferam. Et vt intelligant hoc singulariter a Deo fieri, ecce ait, Dominus Zebaoth hoc faciet. Non mentietur.

DOCTRINA. Pauci sunt qui intelligunt, quantum Dei beneficium sit, habere & pacis & belli tempore qui ius dicant, iusticiam administrent, consiliis Rempublicam iuuent, aut fortitudine sua defendant patriam.

Nec curant si maximè illi abripiantur. Putant enim facile inueniri posse, qui in locum defunctorum succedant. Et sunt quidem semper & vbique, qui his rebus gerendis sibi videntur satis idonei. At res sæpe loquitur, & experientia magno cum Reip. damno testatur, non semper prioribus succedere vel pares vel meliores. Interdum in locum æquissimorum Iudicum succedunt iniquissimi pauperum excoriatores. De quibus Mich. 3. vers. 2. & 3. Et qui in gratiam aliorum ius peruertunt Mich. 7. vers. 3. In locum seniorum candidissimorū interdum succedunt prophani Iuuenes non habentes conscientiam: qui ius in absynthium peruertunt, Amos 6. & bonum dicūt malū, Esa. 5. v. 20. In locum Consiliariorum sæpe succedunt, qui omnis iniquitatis patrocinium audacter suscipiunt, vt placeant Magnatibus, & opprimant miseros. Hinc Prouerb. Multi Placentini, pauci Veronenses. Exemplo esse possunt Consiliarij Rehabeami, qui in locum Consiliariorum Salomonis successerunt. In locum fortissimorum bellatorum succedunt effœminati, imbelles, patriæ suæ haud raro proditores.

Agnoscamus vnde hæc omnia proueniant. A Deo. Qui aufert bonos, & substituit malos. Quare? vt puniat ingratos, & peccatores, sicut ex hoc ipso loco satis manife-

stum

ſtum eſt. Orandum igitur ſedulo pro illis, 1.Timot. 2. Non offendendi aut contumelia afficiendi,ſed honorandi, corde, ore,opere,1. Pet.2.v.14.& 17.De cæteris alias.

II. *Pars.*

Alter hominum ordo comprehendit eos, qui in Eccleſia faciunt officium. Vno verbo hos vocat Prophetas. Per Prophetas autem in ſcriptura non tantum hi intelliguntur, qui futura prædixerunt, quales fuerunt Elias & Eliſæus, Eſaias,Ieremias,Daniel,& alii,ſed etiam hi,qui docent populum, & interpretantur ſacras ſcripturas. Rom. 12.v.6. Prophetia,hoc eſt,interpretatio ſcripturæ,ſit analoga fidei, 1.Cor.12. Alii data eſt prophetia, 1.Cor.14. v.3. Qui prophetizat, &c.

Hos etiam minatur Dominus ſe ablaturum, vt non amplius habeant, qui ipſos doceant.

L. Grauiſſima omnium pœna eſt, ſi Dominus auferat prophetas, hoc eſt, Eccleſiæ Doctores, qui verbum Dei proponant populo & ſic paſcant gregem Domini. Quod enim ſunt oues ſine paſtore, id eſt etiam Eccleſiola ſine Paſtore Eccleſiæ. Hoc patet ex Matt.9.v.39. Mar.6.v.34. Act.20.v.28.& 29.

Sequitur enim his ablatis fames illa Amos 8. v.11.vel laniena illa Luporum, de qua Act. 20.v.29.

Iubet igitur ipſe filius Dei,rogare Dominum meſſis,vt extrudat operarios(multos eosq; bonos.)Matth.9. At inquiunt,Pfafforum plena ſunt omnia hodie, vt nō neceſſe ſit illos de longe vocari. At vide ne numerus aliquando decreſcat,Deo auferente ipſos. Vel ne hoc fiat vt ſublatis Miniſtris illis fidelibus ſuccedant operarii ſubdoli, quos Paulus ita vocat, 2.Cor.11. v.13.& mali,Phil.3.v.2. Aut cœci cœcorum duces, Matth. 15. aut canes muti neſcientes latrare. Eſa.56. v.10. & 11. Hinc nihil niſi interitus ſequitur præſentiſſimus. In promptu ſunt exempla noſtri ſeculi, ſed odioſa ſunt. Notent hoc contemptores illi Miniſterii, qui putant Eccleſiam facile poſſe carere paſtoribus,

bus: imò feliciores ipsos fore, si Ministri Ecclesiæ vel à Deo vel à Diabolo abripiantur, cum molesti sint rusticis & ciuibus, perpetuis suis clamoribus de pœnitentia, & vt illi vocant, suis in populum debacchationibus. Experientur illi fortassis aliquando in extremo mortis agone, quanto cum dispendio ministrorum fidelium opera carendum sit. Aliter affecti erant Ephesii, qui Paulum discedentem multis lachrymis prosequuntur, Actor. 20. vers. 37.

III. Pars.

Tertius ordo priuatorum est, quorum opera in communi vita nobis vtilis atq; necessaria est. Illos partim vocat prudentes architectos, seu artifices manuarios: Allerley gute Meister vnd Handwercksleut. Partim verò honorabiles viros, Ehrliche Leut / qui precibus suis nobis multa apud Deum impetrare possunt.

L. Quotusquisq;, quæso, ex nobis vnquam cogitauit inter pœnas diuinas numerandam etiam illam si quosuis priuatos bonos & artifices Deus eximat rebus humanis. Imò communis hodie ferè omniū querela est, plures esse artifices manuarios quā hæc nostra patria ferre possit. Alle Handtwerck seyen vbersetzt. Et in genere plures esse homines, quam hic Ducatus possit alere. At impiorum has esse voces præsens locus testatur, cum Deus loco pœnæ numeret si abripiantur vel artifices vel alij boni viri. Cogita quàm facili momento fieri possit, vt numerus illorum magno cum nostro damno imminuatur, sicut tempore Saulis, cum non esset faber in Israele, 1. Sam. 13. v. 19. Imò conqueritur Debora, Iud. 5. v. 7. an Bawren gebrauch es in Israel / quod mirum nobis videtur. Vide Esa. 13. v. 12. Et quidem (fateor) magna hominum copia, sed honorabilium & bonorum non tantus est numerus. Sunt quidem opifices multi sed artifices prudentes pauci. Illos singulariter instrui à Deo constat ex Exod. 31. v. 3. Quod si horum opera non nisi hac in parte nobis sit ne-

cessaria, vt stent tanquam murus, Ezech. 13. v. 5. & 22. v. 30. rogandus Deus, vt crescat, non vt imminuatur numerus.

Thema XXI. Classis I.

Esa. 22. vers. 24. ad finem.

Eliakim figam paxillum in loco fideli, &c.

Potest hoc Thema aptari funeribus clarorum virorum, qui clauum Reipub. tenuerunt aliquando.

DISPOSITIO.

In hoc capite Esaiæ Dominus iubet per Prophetam denunciari Sobnæ thesaurario Regis pœnam grauissimam, quod videlicet propter insignem illius fastum & superbiam è dignitatis gradu deturbandus, & honor sepulturæ ipsi denegandus sit. Vicissim autem nominat Dominus alterum, Eliakimum videlicet, qui in locum Sobnæ impij sit substituendus. Illum verò Dominus comparat paxillo siue clauo, qui infixus est parieti, & ostendit, 1. se aliquando ipsum parieti fortissimè infigere. 2. Eundem verò post etiam suo tempore inde euellere & confringere velle. Quæ similitudo dignitatem officij illius, deinde etiam mortem eiusdem denotat. Videamus vtrumque.

I. Pars.

Eliakimi fit mentio 2. Reg. 18. & Esa. 37. Legitur enim fuisse temporibus Regis Hiskiæ præpositus domus Regiæ, cum Sobna eodem tempore Scribam Regis ageret. Videtur autem is tempore impij Manassis deturbatus de ea dignitate, & Sobna à Manásse exaltatus fuisse. Atqui hoc loco prædicit Dominus, se ipsum restituturum, & maiori etiam præfecturum muneri, quando Sobna iam abiectus sit. Hoc autem similitudine ista, sumpta à paxillo seu clauo, egregiè depingitur.

Ego, inquit Dominus, clauum pangam. Et quidem in loco firmo, vt sit immobilis.

Quid hoc sit, explicat ipse Dominus, collocabo ipsum in solium dignitatis, in domo patris sui: Hoc est, Ego

Ego cumulabo ipſum multis dignitatibus, & nemo illi præripiet ſuum honorem. Infigam enim ipſum firmiſſime, vt nemo poſſit illum loco mouere.

Addit, Et ſupendet ſuper eum Dominus omnem gloriam domus patris eius. Quemadmodum in paxillo affixo parieti domus ſuſpendūtur varia, (quæ neglecta alioquin pedibus conculcanda eſſent) vt mox in conſpectu, & in oculis omnium ſint, vt pilei, claues, gladij, &c. Ita ego ipſum eueham ad magnas dignitates, vt totius familiæ ſplendor pendeat ex hoc viro. Durch jhne ſol ſein gantz Geſchlecht zu Ehren gebracht werden. Imò filii & nepotes per ipſum futuri ſunt glorioſi. Kinder vnd Kindskinder werden durch jhne hochgebracht.

Appendentur etiam in hoc clauo ſiue paxillo, non tantum vaſa exigua, ſed etiam pocula & varia vaſa alia, atq; inſtrumenta quoque Muſica: hoc eſt, per ipſum cōficienda erunt omnia negotia à minimo ad maximum, ſiue luctus ſiue gaudij temporibus. Es ſol alles durch ſeine Hand gehn/was man handelt in Frewd vnd Leid. Omnia per ipſum gubernabuntur, & pendebunt ex ipſo.

LOCVS. Videmus non niſi à Deo euehi homines, qui ſedent ad gubernacula Reipublicæ. Sicut enim Dominus Regna potentum prout vult transfert & conſtituit, iuxta id Daniel. 4.v. 29. ita etiam in omni genere dignitatis agit, & hunc Eliakimum extollit ad magnam gloriam, quæ redundare debet etiam ad poſteros, contra verò Sobnam deprimit & circumagitat paſſim vt non habeat locum fixum. Eſa. 22. verſu 18.

Ad doctrinam facit hoc, 1. vt agnoſcamus non eſſe poteſtatem & honorem niſi à Deo. Rom. 13. Vtque honoremus eos, quos Dominus voluit eſſe glorioſos. Honorem cui honorem. ibid.

2. Vt illi qui euehuntur ad honores, cogitent, ſe à Deo in hac ſtatione collocatos, non vt faciāt quod lubet, non vt ſuperbiant cum Sobna, ſed vt Deo ſeruiant. Alioquin illud audient, Depoſuit potentes de ſede, Luc. 1. verſ. 52.

3. Nemo conetur illos deturbare de gradu dignitatis, per calumnias, mendacia, aut quacunque alia ratione, cum Deus illos parieti infixerit, & quidem in loco firmo. **Es solle jhnen niemand zukommen mögen.**

4. Consolationē verò hinc sumant ipsi, si faciant officium fideliter, Deum ita infixisse ipsos, vt nemo sit præter Deum, qui illos possit euellere. Hinc illud Syr. 10. v. 31.

L. II. Videmus quàm graue officium pii Magistratus sit, vt ex illo pendeat omne negotium expediendum. Debet enim Magistratus bonus, præter Ecclesiæ curam sedulam, prouidere Reipublicæ, ne quid detrimenti patiatur. Ideo Prouerb. 20. comparatur oculo videnti & auri audienti, quod à Domino sit. Imò Dii vocantur Ex. 21. Psal. 82. Ministri Dei. Rom. 13.

Pendet enim ex illis pœna scelerum atque gladius. Ibid. vers. 4. pendet ex illis iusticia, Esa. 1. Subuenite oppresso. &c. Pendet ex illis pax Ecclesiæ & Republicæ, quæ est loco Instrumentorum Musicorum exhilarantium homines. Magistratus enim facit, vt vnusquisque sub vite & ficu sua lætus possit viuere. 1. Reg. 4. v. 20.

Hæc sunt gratis animis agnoscenda. Rogandus Deus pro Magistratu. 1. Ti. 2. Serò enim tum demum agnoscimus nostra bona, cū q̄ in potestate habuimus, amisimus.

L. III. Non displicet Deo, si filii & nepotes eorum, qui benè meriti sunt de Rep. propter merita suorum, præ cæteris euehantur ad honores: ita tamen si digni sint, & Maiorum vestigiis insistant. Hoc enim innuit Dominus, Propter Eliakimum etiam in honore habendos filios atque nepotes. Si autem sint alieni à virtutibus suorum Maiorum, illorum non est habenda ratio, præ aliis dignioribus.

II. Pars.

Qui paxillum infixit, idem etiam euellere vult & confringere. Sequitur ergo de Eliakimo, in die illa. Suo tempore, vbi officio suo defunctus fuerit Eliakimus meus:

Aufere-

Auferetur paxillus de loco firmo & frangetur. Per morbum infringam vires corporis & ex hac vita illum abripiam. Et peribit quod pependerat in eo: h. e. Respublica ex illius obitu magnum sentiet incommodũ, quando priuabitur salutaribus illius consiliis, & gubernatione fideli. Tum lugebunt defunctum, quando experientur ruinam Reipublicæ. Hæc certò euenient. Dicit enim hoc Dominus Zebaoth.

Locvs I. Quàm sit Reipublicæ damnosus vel vnius præclari viri obitus, hoc loco patet. Sæpè vnus potest toti regno, Ducatui, Ciuitati, &c. salutem afferre, si bonus sit Propter vnum Iosephum tota Ægyptus gaudet frumento. Propter eundem tota domus Putipharis sentit benedictionem, Gen. 39. Vnus Moses obstat quo minus deleatur tota gens Israelitica. Ex. 32. v. 10. Vide exempla, quid boni per vnum Husai, Obadia, Ebedmelech, Danielem &c. fuerit Ecclesiæ vel Reip. præstitum. Pauci hoc agnoscunt, & dicunt, Moriatur sanè Eliakimus, & succedat alius. Perinde nobis est: semper inuenietur successor, Stirbt Contz/ so kompt Bentz wider. Stultè hoc & impiè dicitur, cũ euulso clauo Eliakimo, pereat omne id, quod pendebat ex eo. Man schüttelt solche Leut nicht ab den Baũmen. Et tristia plerumque tempora sequuntur obitus magnorum virorum. Testantur exempla mortis Iosuæ, Ioiadæ, Iosiæ, Samuelis, Elisæ &c. Ideo inter pœnas numeratur, si auferatur Iudex, fortis &c. Es. 3.

L. II. Qui in loco firmò infixi sunt, cogitent tamen se posse iterum euelli à Deo, hoc est, Mortales esse, & aliquando moriendum. Ideoque pietatem sectentur & iustitiam, vt mortui aliquando viuant, hoc est, vt nomen illorum extet ad omnem posteritatem. Psal. 112. Prou. 10. Syr. 42. De quibus singulis supra suo loco.

L. III. Magnorum virorum filii & nepotes, affines & amici, quorum gloria dependet ab vno clauo, non confidant in ipsis, licet claris hominibus, Ierem. 17. Psalm 118. v. 8. non superbè glorientur, non fastidiant nec despiciant

alios, quos se longè inferiores putant: cum facilè frangi possit paxillus, & illo fracto pereat omne quod ab eo pependit. Vide Psalm.146.v.4.

Thema XXII. Classis I.

Esa. 56. in fine.

Iustus perit, & non est qui recogitet, &c.

DISPOSITIO.

Quando pij & præclari viri moriuntur, duplices semper sunt hominum cogitationes, piorum aliæ, sed & aliæ impiorum vel securorum. Hi enim non curant, siue viuant, siue moriantur pij, dummodò ipsos mors non aggrediatur. Dicunt, Wenn nur niemand auß meinen Schuhen stirbt / so laß jmmer hinfahren. Illi verò tristi obitu piorum & desideratissimorum hominum afficiuntur & anguntur animo, & Deum iniquè agere putant, dum tolerat malos, & abripit bonos. Vtrisq; occurrit Dominus hoc loco per Prophetam Esaiam.

Primum enim securos reprehendit, qui piorum morte nihil afficiuntur.

Deinde etiam solatur bonos, ostendens, quàm benè cum piis defunctis agatur. Vtrumq; iam tractabimus.

I. Pars.

Iustus perit. Sancti abripiuntur, inquit Esaias. Per mortem enim alius post alium ex hac vita euocatur. Quinam illi iusti? Iustificati fide cum Deo pacem habentes, Rom.5. Cognitione sui iustificat Christus iustus omnes credentes, Esa.53. Hi propter Christi iusticiam, quæ illis imputatur, iusti vocantur, licèt sint peccatores. Sic vocatur Noha iustus, Heb.11. Gen.6. Et Loth iusti anima, 2.Pet.2.v.8.

Ita sancti iidem dicuntur, non quod absq; peccato, aut per se sancti sint, (cum omnes in peccato concepti & nati careant gloria apud Deum, Rom.3. Psal.51.) Sed quod sanctificati sint per sanctissima Iesu Christi vulnera. De quo Ioan.17.v.19. Sanctifico me pro ipsis, vt & ipsi sanctificati

sint,

ſint, Eph.5. Chriſtus ſanctificans Eccleſiam. Hinc Corinthii, 1. Cor.1. ſanctificati in Chriſto Ieſu dicuntur.

Hi, inquit Propheta, abripiuntur & pereunt, ſicut nos iudicamus, quando defuncti computreſcunt, & in nihilum rediguntur. At non eſt quiſquam ex ſecuris & imperitis hominibus, qui hoc perpendat in corde ſuo, nemo hoc obſeruat, ſed pleriq; iſtud ſecurè contemnunt.

LOCVS. Sunt etiam noſtro tempore ſecuri & Epicuræi, quibus perinde eſt, ſiue moriantur ſiue viuant boni, & de Eccleſia atq; Repub. optimè meriti viri. De his Sap. 4.v.17. Vident finem ſapientis, ſed non curant. Imò nonnulli interdum impij ſibiipſis gratulantur, quando illi moriuntur, quos neceſſe erat reuereri, aut timere, præſertim ſi fuêre in officio conſtituti, & officij ratione impietatem illorum aliquando cohercere fuerunt coacti: O factum benè, quod Diabolus illum abripuit, inquiunt. At ſtulti homines iudicia Domini non intelligunt, ſic enim illos excœcauit malitia, Sap.2.v.21.

Chriſtianos autem decet obſeruare iudicia Domini, & accuratè penſitare, quod ſublatis piis ſequantur multa mala. Poſt illorum mortem ſequitur interitus. Quam primũ Noha abſcõditur in arca, diluuium perdit cęteros. Lotho egreſſo ex Sodomis incẽdio perit Ciuitas, Gen.19.

Mortuo Ioiada Rex cum populo deficit à Deo, & ſequitur interitus, 2.Reg.12.verſ.2. Plura exempla ſupra in præced. Fuerunt enim pii murus, & ſepes, Ezech.13.& 22.

Itaque pios non extinctos cupiamus, ſed pro ipſorum longæuitate oremus. Quia, quandiu Loth eſt in Sodomis, Dominus non poteſt facere quicquam, Gen.19.v.22. Imò propter decem pios parcere vult Dominus quinque ciuitatibus, Geneſ.18.verſ.32.

LOCVS II. Videmus in quanto pretio apud Deum ſint pii homines. Qui licet ſint peccatores, tamen per pœnitentiam cum Deo in gratiam redeunt, & cauent, ne Deum peccatis contra conſcientiam offendant. Hi iuſti vocantur & reputantur coram Deo: Imò ſunt ſancti.

Lebendige Heiligen. Quia beati quorum remissæ sunt iniquitates, Psal. 32.

Ergo non curandum, si maxime mundus malè de ipsis loquatur vel sentiat: & vel viuos vel mortuos calumnietur. Sufficit ipsis gratia Dei: & mors illorum (vtpote sanctorum) pretiosa in conspectu ipsius erit, Psal. 116.

II. *Pars.*

At sunt tamen semper, qui propter obitum piorum contristantur & afficiuntur: præsertim qui opera illorum vsi sunt: vel qui ipsis sanguinis vel alia ratione fuêre coniuncti: vel alii, qui intelligunt, quantum ex illorum obitu detrimenti capiat Ecclesia, vel Respublica, aut priuata tamen illorum Oeconomia. Et hi quidem varias habent cogitationes. Vellent (si possent) interdum Deo litem intendere, quod bonos istos viros prematura morte abripuit. Videtur Deus iniquè agere cum eiusmodi hominibus. Es ist schad daß ein solcher Mañ faulen sol/ inquiunt. At non malè agi cum ipsis ostendit Propheta noster.

1. Etenim a facie mali sublatus est iustus. Non vult Deus illum diutius aspicere huius mundi vanitates. Et quia Deus inducturus est mala, ideo præripere illum & his malis subtrahere voluit.

2. Nec periit omninò iustus, neque penitus actum est de ipso: Sed qui rectè ambulant coram Deo, pacem habebunt mortui, vt non necesse sit amplius illos conflictari cum Diabolo, Mundo, carne & omni miseria.

3. Nec sunt deterioris conditionis mortui quàm viui. Etenim cum labore & dolore viuunt hi, illi vero quiescunt in cubilibus suis. Corpora enim ipsorum tantisper in terra quiescunt, donec adueniat nouissimus dies, &c.

Locvs I. Non accusandus Deus, si abripiat præmatura morte pios, bonos & magnos viros. Quia id magni beneficii loco est ipsis, ne diutius torqueantur in his terris. Et rectius intelligit sapientissimus Deus, quid sit è re piorum. Illius cogitationes diuersæ sunt à nostris. Esa. 55. vers. 8.

verſ.8. Et licet videamur ſplendidiſſima argumenta proferre poſſe contra Deum, tamen Dei ſtulticia ſapientior eſt omni humana ſapientia, 1.Cor.1.

L.II. Magna conſolationum pondera hinc ſumere poſſunt pii morituri, vt mors ſit ipſis dulciſſima.

1. Si ſuſpenſos teneat ipſos ſpes magnæ felicitatis, quam videre optant in his terris, reſpondet Propheta, mala inſtare tempora, Deum inducere velle calamitates, quas non cupias videre. Exemplum Ioſiæ, 2.Reg.22. Etenim nouiſſima hora imminet, 1. Ioan. 2. Tempora mala ſunt, Epheſ.5. Et calamitoſiſſima, Matth.24.v.21.

2. Mors videtur tibi inimica eſſe. At militia eſt hominis vita ſuper terram, Iob.7. & per mortem pax tibi reſtituetur.

3. Chara & dulcis tibi eſt vita. At ſi pretioſiſſima ſit, labor & dolor eſt, Pſalm.90. Mortuus autem quieſces ab omnibus laboribus, Apocal.14.

4. Sepulchrũ horres. At illud tibi eſt dulce κοιμητήριον, cubile & dormitorium, in quo dormies ſuauiter. Quantum igitur cœlum præſtat terra, quantũ pax ſuperat militiam, dolorẽ quies, tantò melior eſt dies mortis omni vita noſtra. Ergo eligas mori, diſſolui, Phil.1. dimitti, Luc.2.

L.III. Monentur omnes qui volunt præſeruari à malis, & ſubtrahi pœnis, & qui optant poſt mortem quieſcere, vt iuſti ſint & ambulent rectè coram Deo: exemplo Abrahami, Gen.17. v.1. & Zachariæ atque coniugis, Luc.1. verſ.6. Ad hos enim pertinet iſthæc conſolatio, qui ambulant corde recto, Vffrichtig / Redlich / ſchlecht vnnd recht. Pſal.25.v.21. Doloſi enim, impii & peruerſi, triſti fato ſunt perituri.

FINIS.

THEMA XXIII. CLASSIS I.

Eſai.38. verſ.1.

Diſpone domui tuæ, quia morieris.

DISPOSITIO.

Esaias Propheta sępius accessit suum Regem Hiskiam, nec rarò lætum & exoptatum eidem apportauit nūcium, præsertim cum Esa.37.nunciaret illi Regis Assyrii Ierosolymam obsidentis fugam & interitum. At nunc grauior nuntius aures & cor Hiskiæ Regis ægrotantis vulnerat, & triste mortis nuncium affert. Ita enim officii ratio postulat, vt non tantum læta, sed interdum etiam tristia concionatores suis auditoribus denunciare cogantur: Vbi ne quidem Regibus parcere licet, mandante Domino. Quia verò idem quod hîc Hiskiæ dicitur, aliquando nobis omnibus nuntiabitur, breuiter tractabimus hæc duo:

1. Denunciationem mortis.

2. Mandatum, vt omnia ritè disponat, priusquam moriatur.

I. Pars.

Æger est Hiskias ex vlcere lethali, vt patet in fine huius capitis. Sentiunt pleriq; ipsum peste infectum fuisse. Ægrotanti igitur Esaias tale affert nuntium, quod ex hoc morbo non conualescere neque pristinæ sanitati restitui possit, quodcunque tentet medium. Morieris inquit. Et citò quidem, atque ex hoc morbo. Non viues diutius. At vndè tam audacter hoc audet pronunciare Esaias, vndè scit, Regem esse moriturum? Dominus hoc illi reuelauit, & iussit ipsum hoc Regi nunciare, quantumuis ingratum. Ideoq; sic præfatur Propheta, Hæc dicit Dominus. Ego non excogitaui, nec cupio tibi sine causa incutere metum. Nec est quod dubites. Certò eueniet quod dixi. Sic enim Dominus decreuit.

Quid autem posteà acciderit, & quomodo hanc sententiam mortis retractauerit Dominus, de eo iam nihil dicemus, sed tantum verba prælecta quid moneant, attendemus.

L. I. Potest tractari hic locus, Quam instabilis & caduca sit piorum felicitas & lætitia. Iam modò liberauit

Domi-

Dominus hunc Regem ab obsidione Assyrij: at sequitur mox aliud malum, morbus hic lethalis. Solet enim Deus suos, quos diligit, continuè exercere sub cruce, ne insolescant secundis rebus, ne Deum obliuiscantur, ne cessent à precibus, ne occasiones peccandi quærant, &c. Hoc agnoscit Dauid, Psal.119. Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me. 1.Cor.11. Cum iudicamur à Domino, &c.

L. II. Idem quod hic Esaias Regi affert nuntium, sæpius etiam nobis afferunt Ecclesiarum Ministri, Morieris, dum ex sacra scriptura multoties nos admonent mortalitatis nostræ & instabilitatis vitæ. Et quamuis tempus non possit definiri, certum tamen est hoc, quod simus morituri. Illud verò nobis valdè ingratum est nuntium. Et putant nonnulli sine causa nobis non toties illum metum incutiendum: quin potius expectandum, vsq; dum mortis hora instet. Diu alias nos torqueri.

At longè errant, qui ita sentiunt. Etenim quàm sit necessarium nos sæpè admoneri, quod simus mortales, docent Psal.139. & 90. Doce nos moriendum esse, vt ambulemus corde sapienti.

Facit hæc mortis crebrior meditatio, vt abstineamus à peccatis. Memorare nouissima, & non peccabis, Syr.7.

L. III. Videmus quid hoc sit, quod morbos & ipsam mortem nobis solet accersere. Alij causam esse putant astrorum positum, constellationem diuersam, cœli intemperiem. Alij horam natiuitatis inspiciunt, & ex genitura calculare solent obitum hominis. Alij alias solent adferre speculationes. At nulla legitur tempore Iehiskiæ fuisse aeris infectio: non est ipsi lethalis constellatio aliqua: Sed vnum est, quod vitam illi abrogat, videlicet illud, Dicit Dominus. Etenim qui in libro suo annotatos habet vitæ dies, antequam esset vnus, Psalm. 139. qui terminum vitæ posuit, Hiob.14.vers.5. qui ex vtero matris extraxit, Psal. 22. idem etiam mortem accelerat, pro sua clementissima voluntate. Mediis tamen naturalibus vt plurimum vtitur. Hæc cum ita sint, non solicitè inquiramus causam mor-

mortis huius vel alterius, cum satis sit Dominum dixisse, morieris. Sine cuius voluntate ne capillus quidem de capite, nec passer de tecto decidit, Matth.10.vers.29. Hic est, qui redigit homines in puluerem, & filios hominum redire iubet, Psal.90.v.3.

II. Pars.

Non tantùm instare dicit Esaias finem vitæ Regis, sed iubet illum etiam disponere domui suæ: hoc est, condere testamentum, & singula ritè disponere, vt & hæredes & Ministri post obitum illius sciant, quid faciendum ipsis sit vel non sit. Eratq; hoc vel vno nomine summè necessarium, vt se, regni hæredem & successorem designaret. Carebat enim tum prole mascula. Quod hinc patet, quod Manasse filius & successor regni, 12. annorum puer est, cum moreretur Iehiskia parens: ideoque sequitur illum triennio post hunc morbum demum natum fuisse.

LOCVS hic insignis est, quo monentur non Reges tantùm & Principes, sed & quicunq; alii, vt prius disponant ritè singula inter suos liberos vel hæredes, quàm moriantur: ne post mortem relinquant liberis materiam litis: Obseruauit hoc bonus ille Abrahamus, qui prius quàm moriatur, de hæreditate & bonis inter filium Isaacum, & eos, qui ex Cethura nati sunt, statuit, quod æquum erat, Gen.25. Nec erat hoc infrequens Patriarchis.

Hoc tamen loco monendi estis, ne hæc res differatur vsq; in articulum mortis, vbi magis necessaria, & ea, quæ ad salutem animæ pertinent, tractanda essent. Multi enim (quod experientia testatur) timent, ne si testamentum condant, tanto citius moriantur, & tantisper suspendunt, quod in animo habent, vsque dum hora mortis instet, & tum vel morte præuenti, vel sensibus turbatis semimortui, non possunt id exsequi, quod diu agitarunt animo.

Qui vero inter liberos vel hæredes dispositiuri sunt (condito testamento) bona sua, caueant, ne data opera filiis

filiis vel hæredibus ex testamento successuris in bonis, maiorē litium copiam ferant, quàm si ab intestato (quod sic vocant) hæreditas fuisset adita. Quo in loco æquitas rem omnem moderari potest.

3. Sed & illi, qui operam suam condendis testamentis nauare solent, caueant, ne studiosè ludant verbis ambiguis, neve vel hæredes vel testatores ludificent, sicque testamentum irritum faciant.

4. Tandem debet etiam testamentum ritè conscriptum, inuiolatū ac sacrosanctum esse, Paulo teste, Gal. 3.

THEMA XXIV. CLASSIS I.

Matth. 25. vers. 21.

Euge serue bone, in minimo fidelis fuisti, &c.

DISPOSITIO.

Nota est absq; dubio vobis omnibus Parabola ista, de peregrè abituro, distribuente bona sua inter seruos suos. Quia verò nos omnes sub nomine seruorum illorū comprehendi certum est, ex 1. Pet. 2. v. 16. Ephes. 6. v. 6. Rom. 6. v. 22. ideoque hoc agamus, vt & cōmendationem & præmium feramus à Domino, quod huic seruo, de quo verba prælecta sonant, contigisse videmus. Hoc alia ratione fieri non potest, quàm si fideles simus. Id enim requiritur ab omnibus ministris & dispensatoribus, 1. Corin. 4. v. 2. Nos igitur cæteris Parabolæ circumstantiis breuiter tantum repetitis, vt instituto seruiant, hæc paucula tractabimus.

1. Quis coram Deo bonus & fidelis minister.
2. Quodnam illius futurum sit præmium.

I. *Pars.*

Fidelem seruum vocat Christus eum, qui cum accepisset à Domino talenta quinque, hisce quinque alia superlucratus est. Similiter & qui duobus talentis acceptis negotiando fideliter in commodum Domini sui lucratus est & ipse altera duo talenta. Contra inutilis & nequam ser-

seruus audit, qui occultans talentum suum in terra, nihil est lucratus Domino. Eadem habentur Luc.19.v.17.

Alia quoque Parabola Matth. 24. Christus explicuit, quem Dominus habiturus sit pro seruo fideli. Quis putas, inquit, fidelis seruus est? Is scil. qui iussa Domini sui fideliter exsequitur, vt veniens Dominus inueniat ipsum facientem, quod in mandatis habet. Idē exstat Lu.12.v.42.

L. Quia ex dictis constat quis fidelis seruus Domini sit, demus operam vt fideles etiam nos omnes reperiamur. 1. Corin.4. Quia autem variorum Dei donorum sumus dispensatores, ideo operandum & negotiandum Domino. 1. Nec bona dilapidanda, quod fecisse legitur seruus is nequam. Luc.16.

2. Nec grauanda multo ære alieno, hoc est non indulgendum peccatis, quibus vocatio dehonestatur, ne inueniamur debitores sicut is Matth.18.

3. Nec etiam defodiendum talentum, quod faciunt serui inutiles, qui neque Deo neq; hominibus inseruire cupiunt, cum maximè possent: sicque patrem familias vsufructu defraudant.

Bonum itaque operemur Gal.6. vt simus boni dispensatores variæ gratiæ Dei. 1. Pet.4.

Nec est quod quis existimet, hoc nihil ad se pertinere, cum sit infimæ sortis vel conditionis homo. Etenim qui vnum accepit talentum, tantum in vno negotiare debet. Et qui duo, in duobus, qui quinque accepit, plus etiam laborabit.

Qui in minimo fidelis est, fidelis etiam est in maximo Luc.16.v.10.

Moses & Paulus acceperunt quinque talenta, & magnis fuerunt præfecti negotiis. Fideles illi inuenti. Num. 12. & 1. Cor.4.

Fidelis etiam Stephanus & Barnabas qui duo acceperunt talenta. Fideles etiam Petrus & Andreas, & Ioannes atque Iacobus cum patre Zebedeo, cum adhuc essent piscatores, & vnum tantum talentum accepissent.

At

At siue multum siue parum acceperis, cogita tamen reddendam esse aliquando rationem villicationis. Luc. 16. v. 2. De his etiam Ecclesiast. 12. v. 14. & 2. Cor. 5. v. 10. Etiam de verbo otioso. Mat. 12. v. 36. Sic itaque agendum vt possis stare, & rationem reddere.

II. Pars.

Porrò ostendit Christus, Quomodo fidelitatem in officio sit compensaturus pater Cœlestis.

1. Commendabit seruum. Euge serue bone & fidelis. Grato animo fidelitatem Dominus prædicabit.

2. Super minima fuisti fidelis, maioribus ergo præficiendus eris, vt honore & bonis cummulatissimus præmium habeas fidelitatis.

3. Imò iubebit illum intrare in gaudium Domini sui, vt iisdem cum Domino perfruatur bonis.

L. Videmus neminem frustrà laborare in officio suo, sed omnes à Deo expectare debere compensationem. Quanquam enim ad bona opera facienda iam ante sumus obstricti Deo, vi ipsius mandati: tamen adeò est benignus & clemens erga seruos fideles, vt eorum benefacta neutiquam relinquat irremunerata. Hinc id, Pietas ad omnia vtilis est, promissiones habens &c. 1. Tim. 4. Et 1. Cor. 3. vnusquisq; mercedem accipiet iuxta suũ laborem.

Et sæpè in hac vita etiam compensationem accipiunt aliquam pii & fideles ministri, vt cum in humili vocatione fideles fuerunt, magnis honoribus cumulentur. Dauid fidelis opilio, fidelis etiam seruus & capitaneus Saulis Rex creatur. Iosua fidelis seruus Mosis dux fit populi. Elisa fidelis in faciendis operis rusticis magnus fit Propheta Domini. 1. Reg. 19. Ioannes & Iacobus, Petrus & Andreas fideles piscatores in mari, constituuntur piscatores hominum.

Nemo itaque dicat aut cogitet, Quorsum opus vt tanta cum sedulitate & tanto sudore faciam officium, cum nihil mercedis possim sperare apud homines ingratissimos,

tissimos. Man gibt eim doch zu letzt deß Teuffels danck. Sicut populus non remuneratus est Mosis fidelitatem: & Samueli malam rependit gratiam. At si mundus non agnoscat nec remuneretur benefacta tua, tamen Deus hoc agnoscet, & prædicabit coram omnibus electis, euge serue bone. Quantus hic erit honor?

Et compensabit etiam tuam fidelitatem, si non in hoc, tamen in futuro seculo: vbi Moses & Paulus etiam suam inuenerunt compensationem.

In cœlo copiosa merces, Matth. 5. Et quod in occulto videris benè fecisse, compensabit Pater in propatulo, Matth. 6.

QVÆ SEQVVNTVR THEMATA, FVNERIBVS MINISTRORVM Ecclesiæ benè meritorum potissimum accommodari possunt.

THEMA XXV. CLASSIS I.

1. Tim. 6. vers. 11.

Sectare iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, &c.

DISPOSITIO.

Scripsit quidem Paulus hæc Timotheo, discipulo suo & Ecclesiæ ministro, non quod nihil attineant cæteros, sed vt ipse primum sciat, quomodo piè viuere debeat, & vt id ipsum etiam alios doceat. Ideoq; cap. 4. v. 8. hortatur, Exerce teipsum ad pietatem, sc. vt possis esse exemplar fidelium non tantùm in sermone, sed & in conuersatione, v. 12. Turpe enim est Doctori cum culpa redarguit ipsum. Auditores autem fidem & pietatem Ministrorum imitari debent, Hebr. 13. Itaque quid sit, quod & Ecclesiæ ministrum & Christianum quemlibet deceat, videamus.

Triplex autem est mandatum Pauli, cum tria sint necessaria, scil. vt 1. benè viuamus, 2. aduersa vincamus, 3. & vitam

vitam æternam consequamur. Iuxta hæc tria etiam instituendus erit sermo noster.

I. Pars.

Sed hoc loco Paulus enumerat virtutes, quas sectari debeat, cum bonus Ecclesiæ minister, tum omnis Christianus. Non quod aliæ nullæ sint, sed quod sub his cæteræ omnes comprehendãtur, quæ & ipsæ Christianos decent.

1. Sectare iusticiam. Intelligit primò obedientiam erga præcepta Dei, & idem quod Esai.1.dicitur, Desistite à malo, & discite benè agere. Hinc Tit. 2. vult nos iustè viuere. Deinde quia iusticia est, quę suum cuiq; tribuit, innuit iustè agendum cum proximo: vt ausit prouocare ad omnes cum Samuele, 1.Sam.12.v.3.

2. Pietatem sectare inquit. Etenim piè viuere est Deum timere, & cauere à peccatis contra conscientiam. Pietas autem ad omnia vtilis, 1. Tim. 4. Hæc omnia sub se comprehendit.

3. Virtus est Fides. Hæc summè est necessaria. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Hebr. 11. Et quicquid non ex fide fit, peccatum est. Roman.14.

Intelligitur autem fiducia firma, quæ est omnis pietatis fundamentum.

4. Charitas est fructus & effectus fidei, quæ demonstrat, hominem veram habere fidem. Hinc fides requiritur, quæ sit efficax per charitatem. Gal. 5. Et si maximè quis aliis donis satis superque sit instructus, charitatem autem non habeat, nihil est, 1.Cor.13. Durabit enim charitas etiam in altera vita: ideoque maxima virtus, Ibidem v. 8. Ideoque toties hortatur Apostolus, vt in hac vita illius initium faciamus. Charitatem vehementem habete. 1. Pet. 4. vide Rom.12.v.10. Col.3.v.14. Et pertinet charitas ad omnia præcepta secundæ tabulæ.

5. Quinta autem est patientia, virtus excellens qua nos in afflictionibus omnibus voluntati diuinæ subiicimus, & patienter ferimus, quicquid imposuerit Deus.

Hinc Hebr. 10. Patientia opus, vt faciatis voluntatem Dei. Roman. 12. Patientes in ſpe. Omnia enim vincit patientia. Hinc Chriſtus, in patientia poſſidete animas veſtras, Lucæ 21. Eſaiæ 30. In ſilentio & ſpe fortitudo veſtra.

6. Sexta virtus eſt manſuetudo. Sicut patientia opus, vt aduerſus Deum non inſurgamus: Ita manſuetudine, placabilitate ſeu lenitate vtendum erga homines.

Pertinet hæc ad charitatem, quæ omnia ſuffert, omnia ſperat, &c. 1. Cor. 13. De hac Phil. 4. Lenitas veſtra nota ſit omnibus. Diſcite à me, quia mitis vel manſuetus, Matth. 11. Beati manſueti, Matth. 5.

His virtutibus opera danda, ſi Chriſtiani eſſe & vitæ honeſtate ornare velimus conditionem noſtram.

II. Pars.

Quia verò vita hominis Chriſtiani etiam militia eſt perpetua, Iob. 7. & nobis ſemper in acie ſtandum aduerſus Diabolum, Epheſ. 6. 1. Petr. 5. & mundum, in quo nos oppugnant hæretici, falſi fratres, & alij, imò & propriam carnem, Roman. 7. & vix vllum ſit momentum, quo nobiſcum non depugnet hoſtis; ideoque neceſſe eſt, vt certemus, & vt vincamus. Vincenti enim dabitur de ligno vitæ, Apoc. 2.

De hoc certamine Paulus, 2. Tim. 2. & 4.

Fidei autem certamen Paulus requirit. Eſt enim fides victoria noſtra, 1. Ioan. 5. Fide vicerunt, Hebr. 11. v. 33. Fide vincenda auaritia, libido, inuidia, ſuperbia, vindictæ cupiditas, &c. exemplo eorum, de quibus Hebr. 11. & aliorum. Etenim qui credit, Chriſtum pro peccatis mortuum, à peccatis abſtinebit. Qui credit Chriſtum pro nobis fudiſſe ſanguinem, vt à Satana liberaret, non tradet ſe ipſi denuò. Summa, omnia poſſibilia ſunt credenti, Marci 9. ver. 23.

Fides autem verbo & ſacramentis accenditur & roboratur.

III. Pars.

III. Pars.

Quia verò non tantum ad hanc vitam nati ſumus, ſed poſt ſuperata multa certamina expectanda nobis corona gloriæ & iuſticiæ, 2. Tim. 4. ideoq; tandem hortatur Paulus Timotheum, vt apprehendat vitam æternam. Apprehenderem dicat Timotheus, ſi poſſem? Addit ergo Paulus, Ad quam vocatus es. Vocauit enim illum Dominus per verbum & Miniſterium Apoſtoli Pauli.

Eodem modo nos omnes ſumus vocati per verbum & ſacramenta. Ideoque hoc agendum, vt firmam faciamus vocationem noſtram, 2. Pet. 10. v. 10. Qui pereunt, ſua culpa pereunt.

Offert nobis Deus vitam æternam, & vocauit nos ad illam, vocatione ſancta, 2. Tim. 1. v. 9. dummodo illam apprehendamus. Non ſatis eſt eſſe vocatum, niſi apprehendamus. Sunt, qui omnes actiones, cogitationes, omnia conſilia & ſtudia eò dirigunt, vt nominis ſui famam latè extendant, opes vndiquaq; corradant, in delitiis viuant, &c. Quæ tamen omnia incertiſſima, momentanea, & vt plurimum damnoſa atque periculoſa ſunt, Chriſtiani autem hoc agant, vt fide (tanquam manu) vitam æternam oblatam (vocatione ſcilic. per verbum) apprehendant, & non excutiant.

Pauci de hoc cogitant, & terrena tantum ſapiunt, oculos defigunt in commoda huius vitæ. At quid prodeſt lucrari hunc mundum, Matt. 16. cum πολίτευμα noſtrum in cœlis, Phil. 3.

Tu verò quiſquis es homo Dei, quære ſuperna, Col. 3. reiice omnia poſt tergum, quæ terrena ſunt, & auocant à meditatione cœleſtium, Matth. 6. v. 33.

THEMA XXVI. CLASSIS I.

2. Timoth. 4. verſ. 6. ad 9.

Iam immolor, & inſtat tempus reſolutionis meæ. Bonum certamen certaui, fidem ſeruaui, &c.

DISPOSITIO.

Tres ſunt cuiuſque hominis ſtatus conſiderandi, ſi illius vel commendationem vel reprehenſionem inſtituere velimus. Primum enim conſiderari ſolet, quomodo vixerit, benè an malè. Deinde quia dici beatus ante obitum nemo ſupremaq; funera debet, conſideratur etiam quis fuerit vitæ illius exitus. Et quia poſt mortem demum experitur homo quomodo vixerit, teſte Syracide cap.11.v.29. Ideo etiam conſideratur quid poſt mortem ipſi ſit euenturum. Ecce autem hæc tria de ſe Paulus breuiter & accuratiſſimè, atq; nõ minus verè quam eleganter ſcripſit verbis prælectis. Illa in manus ſumemus, & non ſecundum ſeriem verborum, ſed ſecundum Ordinem naturæ & Euentus 1. De vita. 2. De morte. 3. De his quæ poſt mortem illi ſunt euentura, breuiter dicemus.

I. Pars.

Quis fuerit Paulus, conſtat ex Act. 8.9.22.2. Corinth. 11. & 12. At ſi de vitæ illius curſu dicendum, initium faciendum à conuerſione illius ad Apoſtolatum. Ipſe verò nobis compendio rem omnem tradit: comparans vitam & Apoſtolatum ſuum 1. Certamini. 2. Decurſioni. Similitudines ſumpſit partim à pugilibus & athletis, qui pro brabeo pugnant. Partim a Curſoribus, qui in ſtadio vel ad metam currunt. Intelligit autem vitam & vocationem ſuam fuiſſe plenam moleſtiæ, laboris & periculi. Sicut hoc clarius oſtendit 1. Cor.4.v.9. & 2. Cor.11. Explicari poſſunt ſimilitudines latius. Teſtantur hoc ipſum Acta Apoſtolorum & hiſt. Eccleſiaſt.

Qualem autem ſe geſſerit in hoc certamine, addit, Bonũ certamen certaui: Curſum abſolui. Quia enim nemo coronatur, niſi legitimè certauerit, & nemo accipit brabeum, niſi qui curſum abſoluerit, 2. Tim. 2. ideò Paulus nõ mox, vbi certaminis moleſtias expertus fuit, ceſſauit, nec inter currendum ſubſtitit, ſed ſtrenuè perrexit, faciendo voluntatem Dei in officio ſuo. Wie ſawer es jme worden.

Idem

Idem repetit & explicat aliis verbis. Fidem seruaui Deo meo, quam semel dedi vocanti. Promisi me facturum officium. Seruaui ergo fidem. Fidelis enim miles fuit Duci suo ad extremum. Fideliter ipse in sua doctrina perstitit, & eandem quoq; aliis tradidit.

Verè hæc omnia dici a Paulo, testantur ea, quæ supra diximus. Acta Apostolorum, & historiæ Ecclesiasticæ, testantur hoc scripta Pauli ad varias Ecclesias, Romanos, Corinthios, Galatas, Ephes. Philippens. &c. Et hic quidem fuit totius vitæ Pauli cursus.

L. Nota. Si in funere Ministri Ecclesiæ dicendum sit, possunt ex hoc loco moneri auditores, quàm difficilis sit fidelium Ecclesiæ Ministrorũ vocatio. Multa illis certamina cum Satana & illius mancipiis, hæreticis, impiis, &c. Multa quæ Satan obiicit illis ante pedes, si forte possit illos impedire in hoc cursu. Vulgus de hoc parum cogitat. At pugnant & vigilant illi pro animabus auditorum, Hebr. 13. Decebat ergò auditores iuuare illos piis precibus, sicut Paulus etiam suorum deprecationes pro se requirit, Coloss. 4. 1. Thess. 5.

Debebant agnoscere, quantum Dei beneficium sit fidelis Minister, quem duplici honore dignum Paulus pronunciat, 1. Timot. 5. Rogare debebant Dominum assiduè pro vita & incolumitate eorum, & affici illorum miseriis & morte. Sicuti Ephesij deflent abitum Pauli, Act. 20. De Epaphrodito vide Phil. 2. v. 26. At multi illos extinctos & perditos optant, præsertim si faciunt officium, arguendo, increpando, instando opportunè & importunè, iuxta id, 2. Timoth. 4.

L. II. Generaliter autem pertinet hoc ad omnes Christianos, vt imitentur Paulum, certãdo bonum certamen, & currendo ad metam. Hoc enim inculcat Apostolus suis, 1. Cor. 9. v. 24. & seqq. 2. Tim. 2. v. 4. Suum exemplum proponit Phil. 3. v. 12. & seq.

Hostes autem Christianorum, quibus cum certandum, sunt, 1. Satan, 1. Pet. 5. Ephes. 6. 2. Mundus, Ioan. 15.

vers.19.3. Caro. Rom.7. Hi vincendi fide. De his supra suo loco.

L.III. Nõ satis est initium facere certaminis, & aliquousque progredi, sed cursus absoluendus; Fides seruanda cum bona conscientia.1. Tim.1.v.19. Luc.9.v.62. Qui retrospexerit. Matt.10. Qui perseuerauerit. Fides seruanda. Apocal.2.vers.10.

II. Pars.

Absoluto huius vitæ cursu, scit Paulus instare horam mortis. De qua Paulus paucis verbis viuus ita loquitur, ac si iam præ oculis esset. 1. Inquit, Ego iam immolor. Non frustra vtitur hoc vocabulo immolationis, sed ut genus mortis ostendat. Intelligit se occidendum à Nerone, cum iam multo tempore captiuus Romæ fuisset, sicut victimæ occidebantur olim in Vet. Testamento. Paratus autem est fundere sanguinem pro Christi nomine. Et hoc sibi gloriosum esse nouit, & gratam se futurum hostiam Deo, nihil dubitat. Vide Phil.2.vers.17.

2. Deinde verò ostendit se nihil horrere mortem, quia intelligat se nõ interiturum. Sic enim inquit, instat tempus resolutionis meæ. Quod tempus instet, absque dubio illi fuit diuinitus reuelatum. Resolui autem tãtum animam à corpore asserit, vt doceat, non interire se, sed animam paulisper à corpore segregandam, vt quiescat corpus & lætetur anima, vsq; dum iterum coniungantur in Nouissimo die cum gaudio.

L.I. Si Deo ita visum fuerit, parati simus fieri victima pro gloria Christi. Hæc mors licet in oculis hominum probrosa videatur, pretiosa tamẽ est in conspectu Domini. Psal. 116. Hoc intellexerunt Paulus & alij Martyres plurimi.

Sin verò Dominus nobis velit parcere, hoc tamen agamus vt viui immolemur, corpora nostra scil. Deo offerendo, tanquam hostiam, Rom. 12.vers.1.

L.II. Videmus quid pij de sua morte debeant sentire, scil.

ſcil. quod ſit ſolutio quidem animæ & corporis, ſed non interitus.

Facit hæc meditatio contra mortis horrorem, qui inde oritur quod in morte cogitāt homines interitum. Hinc vel ad nudam mortis mentionem multi conſternantur.

At quamvis naturalis ſit hic affectus, qui in totum vix poteſt exui, vt mortem homo fugiat atq; horreat: tamen metus ille vincēdus eſt fide, ne impediat quo minus obedienter hinc migremus, quando Deus nos euocauerit. Ideoque mors piorum ſomnus ſæpius vocatur, Ioan. 11. 1. Theſſ. 4. Mar. 5. Dan. 12.

III. Pars.

Nondum audio quicquam, inquis, quod Paulo acciderit optatum, in vita perpetuum certamē, in morte immolatio. Si poſt mortem non meliori fortuna gaudebit, non optarim illi ſimilis fieri. At iam læta affulgebit fortuna. 1. Repoſita eſt mihi corona iuſticiæ, quam imponet mihi Dominus. Spero largiſſimam compenſationem. Certaui & iam coronabor, iam accipiam brabeum, & quidem tale, quod cum Regio diademate permutare nolim. 2. Nec dubius eſt de hoc tanto prę mio, quia accipiet illam coronam à iuſto Iudice, DOMINO. 3. Non autem in hac vita ſpero præmium, quia illud eſſet caducum, ſed in illa die nouiſſima, vbi æterna gaudia porrò erūt. 4. Coronam autem illam non ego ſolus accipiam, cum nō ſolus certauerim, ſed omnes qui diligunt aduentum Domini, qui non tantum in terrena oculos habent defixos, ſed in cœleſtia.

LOCVS. Magnam non tantum Eccleſię Miniſtri, ſed & omnes pij, qui exoptatum Chriſti aduentum exſpectant, conſolationem ex hoc loco petere poſſunt, quod ſi maximè videantur omnem ſuam operam coram mundo perdere, & nullam inde reportare gratiam, tamen ampliſſimum ſint pro ſuis laboribus accepturi prę miū in die illa, hoc eſt, in altero ſeculo. Si præmium hîc acciperemus, parū eſſet felicitatis. Ideo Paulus non dignas iudicat affli-

ctiones huius vitæ, quæ cum gloria reuelanda comparari debeant, Roman. 8. Reges enim illos futuros pronunciat Christus, dum inquit: Disponam vobis regnum. Coronam nobis pollicetur Paulus hoc loco, Petrus, 1. Pet. 5. Iacobus, cap. 1. Et Ioannes Apoc. 2. Liber Sapientiæ, cap. 5. v. 17. Summa, oculus non vidit, Esa. 64. 1. Corin. 2.

Patientiam hæc in animis Ecclesiæ Ministrorum, & omnium fidelium excitare debent, 2. Cor. 4. v. 17. Momentanea afflictio. Nec quicquam relinquetur, quod suam non habiturum sit compensationem, nec potus quidem aquæ frigidæ, Matth. 10.

THEMA XXVII. CLASSIS I.

Daniel. 12. vers. 3.

Fulgebunt Doctores sicut splendor firmamenti.

DISPOSITIO.

Conuenimus hodie frequentes ad deducendum funus venerandi huius Ecclesiæ Pastoris N. qui pro vestris animabus vigilauit multo tempore, Heb. 13. Ideoq; non tantum in honorem defuncti, sed etiam ad doctrinam & consolationem nostram, hæc Angeli verba, descripta per Danielem, excellentissimum Prophetam (qui & ipse insignis Ecclesiæ Dei Doctor fuit, in Babylone) breuiter tractabimus. Dicemus autem, 1. Quo nomine appellentur veri & fideles Ecclesiæ Dei Ministri.

2. Quodnam illi pro officij laboribus præmium exspectare debeant.

I. Pars.

Angelus Domini missus ad Danielem, inter alia etiam de Resurrectione mortuorum prædicit nonnulla. Et cum eorum, qui resurrecturi sunt, duo sint ordines, scil. auditorum & doctorum, ideoq; hîc in specie loquitur de Doctoribus Ecclesiæ, atque de præmiis eorum, Danieli spem facit.

1. Vocat autem illos Doctores. Est enim hoc præcipuum

puum illorum officium, docere alios. 2. Quomodo autem docere debeant, his subsequentibus verbis explicat, qui ad iusticiam alios erudiunt. His verbis ostendit, quod qui iusti fieri debeant, & sibi impetrare iusticiam Christi, (quæ illis imputata iustificat) illi prius necesse habeant erudiri per prædicationem verbi Dei. Nisi enim de iusticia Christi, fide apprehendenda, erudiantur, tantum de propria iusticia sua cogitant, & sic iusticiæ, quæ coram Deo valet, non fiunt subditi, Rom. 10. v. 3.

Officium igitur Ecclesiæ Doctorum est, alios ad iusticiam Christi fide amplectendam erudire. (Quod Paulus in Epistola ad Romanos potissimum, sed & in plerisq; aliis fecisse legitur.) Deinde etiam hortari suos auditores, vt & in hoc mundo iustè & benè viuant, & valedicant iniusticiæ, iuxta id, discedat ab iniusticia, 2. Tim. 2. v. 19.

DOCENT autem hæc Angeli verba, quàm necessaria & vtilis sit nobis Ministrorum Ecclesiæ fidelis opera. Etenim per ipsos ad iusticiam erudimur. Per ipsos salus nobis offertur. Legatione fungimur, pro Christo. Per nomen Christi oramus, reconciliamini Deo, 2. Cor. 5. Possunt illi nos prædicatione verbi saluos facere. Sic enim Deo placuit, 1. Cor. 1. v. 21. Teipsum saluabis, & eos, qui te audiunt, 1. Tim. 4. in fine. Et sine prædicatione fidem non vult Deus conferre adultis. Ex auditu fides. Quomodo audient sine prædicante? Rom. 10. Rectè igitur dicuntur vigilare pro animabus nostris, Hebr. 13. sicut Deus etiam iussit ipsos habere peruigiles oculos, Ezech. 33. v. 7. & cæteris. Et sanè grauissimè iniunctum, vt faciant officium, Ibid. & Esa. 58. v. 1. Dicuntur hæc non tantum propter verbi Ministros, vt sciant, quid ab ipsis requiratur: sed etiam propter auditores potissimum, 1. vt agnoscant, quantum sit Dei beneficium, si fideles ipsis Dominus mittat operarios, Matth. 9. 2. & vt ipsos ita tractent, tanquam Dei legatos. Quo nomine Paulus commendat Galatas, Gal. 4. vers. 14. & 15. vtque 3. obediant suis Doctoribus, & fidem illorum imitentur, Heb. 13. vers. 17. At multi execrantur

fideles Ministros, & optant habere tales, qui dicant ipsis placentia, Esa.30.v.10. De his alias.

L. II. Discrimen autem inter Doctores obseruandum. Omnes quidem videntur docere, at multi etiam sunt falsi Doctores, Pseudoprophetæ, Matth.7. Lupi rapaces, ibidem, & Act.20. Operarij subdoli, 2.Corin.11.v.3. Canes, mali operarij, Phil.3.v.2. Ab his cauendum, Matthæi 7. 1.Ioan.3. Phil.3.v.2. At quomodo discernendi mali à bonis? Hoc pacto, sicut Angelus innuit. Quicunque erudiunt ad iusticiam, illi veri sunt Doctores, cæteri non item. Nam qui sua doctrina vel iniusticiam atq; securitatem promouent, vel à iusticia fidei ad iusticiam legis abducunt cum Iudæis, Rom.9.vers.31. vel iniustis etiam cœlum & vitam beatam pollicentur, quiq; non in sola Christi iusticia nos tutò acquiescere posse docent, illi omnes non sunt veri Doctores, sed Pseudoprophetæ. Ideoq; Spiritus probandi erunt, 1.Ioan.3.

II. Pars.

At quodnam est futurum præmium syncerorum & fidelium Ecclesiæ Doctorum? Fulgebunt illi in altera vita, postquam à mortuis resurrexerint, sicut splendor firmamenti, & sicut stellæ lucidissimæ. Tanta erit illorum præ aliis gloria. Idque non ad tempus aliquod durabit, sed in omnem æternitatem.

L. I. Primum videmus ex hoc loco generaliter, Fore gradus beatitudinis æternæ. Quod Paulus hac eadem similitudine à stellis sumpta explicat, 1.Cor.15.v.42. Quantum quidem attinet perfectissimam cognitionem & contemplationem Dei Creatoris, in qua æternum gaudium consistit, ex æquo omnes eadem fruentur beatitudine cœlesti: & nemini Electorum quicquam felicitatis defuturum est.

Interim tamen alius alio maiori gloria & claritate ornabitur, prout vel in Ecclesia vel in Repub. Deo plures lucrifecit. Aberit autem omnis æmulatio, omnis inuidia: &

quia

quia charitas erit perfectiſſima, fauebit vnusquiſque alteri hanc maiorem claritatem.

L. II. In ſpecie autem ex hoc loco habent fideles Eccleſiæ Doctores magnam conſolationem: Qua freti poterunt in officio ſtrenuè pergere, & omnem mundi ingratitudinem magno animo contemnere. Si enim maximè in hoc mundo nullum poſſint ab ingratis auditorib. ſperare præmium pro labore, & mundus illis nullā aliam rependat gratiam, quam Marc. 6. Ioannes Baptiſta, Zacharias filius Ioiadæ, 2.Paral.24. Ieremias, Ier.20. & Paulus atq; cæteri Apoſtoli, 1.Corin.4.v.12.& 13. acceperunt, multum tamen recreare poſſunt miniſtros hæc Angeli verba. Et ſufficiat Doctori, quod copioſam accepturus eſt mercedem in altera vita, Matth.5. non talem, quæ exiguo tempore durare poſſit, ſed quæ in omnem æternitatem non auferetur, Ioan.16.v.22. Qui verò idem cum Eccleſiæ Doctoribus præmium ſperare volunt, præſtēt proximo id genus officij, quod Iacobus cap.5.v.20. requirit.

THEMA XXVIII. CLASSIS I.

Hebr. 11. verſ.37.

Circumierunt in ouillis, &c. quorum mundus non erat dignus.

Nota. Hoc thema commodiſſimè tractari poteſt in funere boni alicuius & fidelis Eccleſiæ Miniſtri, qui tamen tenuioris eſt fortunæ: vel ingratos habuit auditores.

DISPOSITIO.

In hoc capite Apoſtolus recenſet multa exempla fidelium, qui ex fide multa laudabiliter fecerunt: addit etiam quanta mala in hoc mundo perpeſſi fuerint. Inprimis verò reſpicit exempla Prophetarum & aliorum, qui Eccleſiæ Dei fidelem nauarunt operam. Et his verbis paucis prælectis oſtendit: 1. quàm fuerint olim miſeri in hoc mundo fideles Eccleſiarum Doctores.

2. Quare mundus illos tam miſerè tractārit.

I. Pars.

I. *Pars.*

Semper mundus ſui ſimilis. Ideoque ſicut Maiores antiquitus malè tractarunt pios & inprimis Dei Miniſtros, ita hūc morem ſemper obſeruarunt poſteri. Alij quidem crudelius aliis fuerunt tractati: alij gladio occiſi, vt Iacobus Act. 12. & Paulus, teſte hiſtoria Eccleſ. alij lapidati, vt Stephanus Act. 7. & ipſe Paulus 2. Cor. 11. v. 25. alij transfixi, vt ſanctus Thomas, qui lancea confoſſus legitur; alij cruci affixi, vt Petrus, Andreas, Simon Zelotes; alij igne cremati, vt Marcus Euangeliſta, &c. alij alia ratione trucidati. De his nobis in præſentia ſermo non eſt, ſed de his tantum dicemus, quibuſcum reſpectu præcedentium mitiſſimè fuit actum in hoc mundo. Illi tamen fuerunt neglecti, & ſi non armis, fame tamen, inedia & frigore tantum non enecati, vitam miſerè finierunt.

Sic enim ait Apoſtolus. 1. Circumierunt in ouillis & pellibus caprinis. Videtur reſpicere ad exemplum Eliæ & Ioannis & ſimilium, qui in deſertis habitarunt, & pellibus induti, interdum penè ſeminudi fuerunt, vix habentes, vt corpus aduerſus iniurias aëris & tempeſtatum poſſent contegere.

Hinc Paulus inter cætera 2. Cor. 11. v. 25. ait, in frigore & nuditate.

2. Egeni circumierunt, *ὑστερούμενοι*, Deſtituti. Plerumque enim tenuioris fuerunt fortunæ, ſicut & ipſe filius Dei non habuit quò reclinare caput potuerit. Luc. 9. v. 58. Cum tamen plerumque Pſeudoprophetæ vixerint in delitiis: ſicut Sacerdotes Baal qui viuebant de menſa Iſabelis. 1. Reg. 18.

3. Circumierunt preſſi, *θλιβόμενοι*, attriti & vbique oppreſſi, variis periculis circumuenti, & omnium iniuriæ expoſiti. Cuius rei vel vnus Paulus teſtis eſſe poteſt, 2. Corinth. 11. & 2. Corinth. 6. Petrus carceri includitur, Act. 12. Paulus & Sylas. Act. 16. Apoſtoli omnes Act. 5. verſ. 18.

4. Summa, malè habiti ſunt paſſim, circumierunt *κακουχούμενοι*, Mit vngemach/ vnd groſſer Vngelegenheit

Leibs

Leibs vnd anderer Notturfft. Nuſpiam enim fixam potuerunt habere ſedem. Paſſim fuêre faſtiditi, eiecti vrbibus & vicis, igni & aqua ſæpè ipſis interdictum.

Locvs. Non nouum hodiè quod plerique Eccleſiarum Miniſtri ſunt egeni, & cum ſuis interdum penè nudi, pauperes, abiecti. Non dico de omnibus. De pleriſque tamen hoc verum eſt. Ratio. Qui enim ſunt in hoc mundo potentes, diuites, magno loco nati, vtplurimum horrent Miniſterium verbi, cum Miniſtros paſſim videant contemni & malè tractari. Quod ſi inter illos ſint, qui diuites habentur, tamen inter centum Paſtores vix decem reperias, quorum ſubſtantia non adeò tenuis ſit, vt liberaliter inde vidua & liberi paſtoris defuncti poſſint ſubſtentari.

Quod ſi maximè liberalitate clementiſſimi Magiſtratus Miniſtris Eccleſiæ ita proſpectum eſt, vt non egeant, dum viunt, tamen mox vbi diem ſuum obierunt, egeſtate premuntur illorum poſteri, liberi ſc. & viduæ. Et tum verè illi ſunt (vt Apoſtoli verbis vtar) κακουχούμενοι, malè habiti ab omnibus. Nam multùm affliguntur, premunturque ab ingratis ruſticis, quorum multi illorum bonis (ſi quæ tamen ſunt) multo ſudore partis, & vix ad famem ſatiandam ſufficientibus, inhiant, nec prius illos affligere ceſſant, quàm ſuis bonis exuerint, aut loco habitationis eiecerint. Exempla huius rei adduci poſſent, niſi eſſent odioſa. Hæc ideò hoc loco recenſentur, 1. vt patienter hanc fortunam & ipſi Paſtores viui, & poſt illorum obitum poſteri, ferant, cùm non inter primos ſint, quibus hoc accidit, ſed ante ſe habuerint complures, qui eadem fuere experti. Imagini filij ſui, nihilo rectius habentis, ſic conformes ipſos fieri vult Deus, vt in altera vita cum ipſo ſint glorioſi. Roman. 8. Tum enim fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti Dan. 12.

2. Auditores autem, (ſiue oppidani ſiue ruſtici) nunquam hoc admittant, vt affligantur ipſorum culpa Eccleſiarum Miniſtri, ne officium cogantur facere gementes.

Non

Non enim bonum ipsis hoc erit, Apostolo teste, Heb. 13. v.17. Cumq; Ecclesiarum nutricij Principes seu Magistratus boni, Esa. 49. v. 23. & Esa. 60. vers. 16. de certis & honestis stipendiis ipsis prospexerunt, nō hoc agant Dispensatores bonorū Ecclesiasticorum, vt ipsi ex illis bonis ditescant, Ministri verò fame contabescant, ipsorum iniuria & inuidia aut maleuolentia. Nec ingrati sint auditores erga defuncti Pastoris posteros, nec miseros egere patiantur, sed subleuent ipsorum inopiam sua abundantia, 2. Cor. 8. Seminata enim ipsis sunt spiritualia, 1. Cor. 9. v. 11.

II. Pars.

At quare mundus tam malè tractauit fideles Ecclesiarum Doctores? Respondet Apostolus, Mundum propter suam ingratitudinem indignum fuisse, qui tantis viris & fidelibus seruis Dei gaudeat. Hinc patet, Mundum tales non curasse, nec agnouisse quod sint Legati Dei, 2. Cor. 5. & quòd ipsorum opera ad salutem ipsis quicquam sit necessaria. Alioquin non neglexissent eos, nec concessissent vt perirent fame, frigore, &c.

L. Hinc æstimare licet, quantus sit alicuius loci vel Regionis thesaurus, quando Dominus ipsis fideles Ecclesiæ Ministros largitur, qui ad iusticiam erudiant, Daniel. 12. Viamq; ad æternam salutem commonstrent, sicque se suosque saluos faciant, 1. Tim. 4. vers. 16.

At ingratus mundus hoc parum curat, qui oneri sibi eiusmodi Ecclesiæ Ministros esse putat: atq; felicius nos sine ipsis viuere posse existimat, si non essent qui vitam & mores mundi reprehenderent. Possent nominatim adduci exempla eorum, qui optârunt, vt Pastore carerent omnibus diebus vitæ suæ.

Hanc ingratitudinem Deus grauiter puniuit sæpissimè, quando post obitum Ioiadæ, Zachariæ, &c. innumera secuta sunt mala. Et cum indignum iudicat Dominus mundum his bonis viris, abripit illos. Esa. 3. & 56. in fine. Interdum falsos Doctores in locum ipsorum substituit, &

pro

pro Zacharia vel Ieremia, mittit Ahab filium Kolaia, & Zedekiam filium Maſeia, Ier. 29. v. 21. Rarò enim ingrati ſunt felices. Ne idem aliquando noſtratibus ingratiſſimis auditoribus eueniat, orandum.

FINIS.

THEMA XXIX. CLASSIS I.

Hebr. 13. verſ. 7.

Memores eſtote eorum, qui præſunt vobis, &c.

DISPOSITIO.

In memoria æterna erit iuſtus, Pſalm. 112. Et memoria iuſti cum laudibus ſeu in benedictione erit, Prou. 10. Ideoque Apoſtolus hoc loco etiam vult auditores vſurpare memoriam fidelium Doctorum Eccleſiæ cum charitate. Non tàm propter honorem nominis illorum, quàm propter commodum ipſorummet auditorum. De his nobis dicendum erit. Et poſſemus quidem ex hoc loco demonſtrare primum, quodnam ſit officium Doctorum, ſcil. verbum Dei annuntiare, fide & honeſta conuerſatione exemplum præbere auditoribus, quod imitari poſſint, atq; quia non ad Doctores, ſed ad auditores dirigenda eſt noſtra oratio, hoc vnum tractabimus, qua ratione auditores in memoriam Doctorum Eccleſię defunctorum redire debeant. Cum autem tria ſint, quæ recordationẽ veterum Doctorum renouare debent, de his ordine dicemus.

I. *Pars.*

Subeat nobis memoria Doctorum Eccleſiæ, qui nobis præfuerunt, hoc modo, vt recordemur verbi diuini, quod loquuti ſunt nobis. Hæc enim ſunt verba Apoſtoli. Et ſanè conſeruanda & celebranda eſt memoria inprimis Prophetarum & Apoſtolorum, atq; omnium eorum, qui Eccleſię Dei, docendo & erudiendo gregem Domini, fideliter ſeruierunt. At bifariam hoc loco peccatur. Alij putarunt, ſe magnum illis honorem habere, dicando ipſis templa, & tribuendo illis cultum ſacrum, &c. quem tamen

tamen nec ipsi petierunt, nec sacræ literæ nobis præscripserunt. Hac ratione ignominia magis quàm honore afficiillos nemini dubium esse debet. Alij mox obliti verbum Dei, quod ex ore suorum Doctorum audiuerunt, nec verbum nec memoriam Ministrorum curant, in diem viunt, & cum corpore Doctoris omnem etiam doctrinam, admonitionẽ, &c. illius sepeliunt: nihilo pluris facientes ea quæ pro concione audiuerunt, quàm si fabellas Æsopi recitari audiuissent. Imò has forsitan altius animis suis infigerent, quàm sacra oracula.

Verùm tum demum ritè memoriam defunctorum Ecclesiæ Doctorum recolimus, quando doctrinam, quam ipsi ex verbo Dei nobis ore tradiderunt, sartam tectam seruauerimus, & nunquam ex animis nostris elabi passi fuerimus. Hoc enim Christus vult, vt verbum auditum custodiamus Luc. 11. v. 28. & quidem in corde puro, vt fructum feramus in patientia. Luc. 8. Sicq; grata mente recordetur auditor sui Doctoris, vt dum peccare cõcupiscit caro illius, frænum illi iniiciat, & dicat memini me audire Pastorem meum grauitatem huius peccati ex scriptura grauissimè exaggerantẽ, &c. Contra vt virtuti studeat, cogitet, quod audiuerit olim ex scripturis hanc virtutem populo commendari, de quo Paulus, Si quæ laus. &c, Phil. 4. Si affligitur aut tentatur, secum repetat dulcissimas consolationes, quas olim audiuit ex suo Pastore, &c. Hoc est recordari Doctorum.

De hic Petrus 2. Pet. 3. v. 2. Memores sitis verborũ quæ prædicta sunt à Prophetis, & mandati nostri, &c. Et Paulus 1. Thess. 2. Scitis, quomodo vnumquemq; vestrum obtestati & consolati fuerimus. Et ibidem dixerat ante, Meministis laboris atque sudoris nostri, &c. Epist. Iudæ vers. 17. Memores estis verborum, quæ dicta sunt antehac ab Apostolis.

II. Pars.

Secundo subeat animos nostros recordatio Doctorum

hoc

hoc pacto, vt fidem illorum imitari studeamus. Non enim sufficit audiuisse aliquando Doctores de fidei Christianæ partibus verba facientes, sed illorum fidem & quæcunq; ex fide laudabiliter gesserunt imitari debent auditores. 1. Corinth. 10. in fine. Imitatores mei estote. Et 1. Cor. 11. vers. 2. Collaudo vos fratres, quod omnia mea memoria tenetis. Quomodo? Sicut tradidi vobis instituta tenete. Philip. 3. Imitatores mei estote, &c. sicut nos habetis pro Exemplaribus. Talia multa extant. 1. Corinth. 4. vers. 16. 1. Thessalon. 1. vers. 6. & 2. v. 14. Et 2. Thessal. 3. vers. 7.

Notandum autem, quod cautè admodum loquatur Apostolus hoc loco. Non enim, inquit, Imitamini vitam & mores vestrorum Doctorum, sed fidem illorum, & quæ ex fide fecerunt opera.

Nouit enim Apostolus, Doctores etiam Ecclesiæ, licet fidelissimos, homines esse, & humani nihil ab ipsis alienum. Vasa sunt testacea. 2. Corinth. 4. Infirmitatibus multis obnoxij, quod exempla Apostolorum testantur.

Nouit etiam hoc Apostolus, quod multi vel imperiti vel peruersi magis respiciant in vitam quàm doctrinam suorum Doctorum. Hinc si vitiis corruptos Ministros, si infirmitatibus laborantes eos videant, mox sibi hoc imitandum esse putant, dicentes, Ists jhme recht / so ists mir billich. Nihil cogitant autem de hoc, quod ipse Paulus de se inquit: posse Apostolum aliis prædicare ad salutem, & tamen ipsum fieri reprobum. 1. Cor. 9. in fine.

Hoc igitur vt caueatur, iubet Apostolus imitari fidem, non vitam Doctorum. Quamuis enim doctrinam vitæ honestate ornare debeant ministri Ecclesiarum: tamen non omnes semper & vbiuis carent etiam suis næuis. At sunt tamen etiam inculpatæ vitæ ministri. Sicut autem ministrorum est, bono exemplo antecedere auditores, vt sint exemplaria gregis 1. Pet. 5. ita auditorum est hæc exempla innocentis vitæ imitari, maximè verò fidem illorum.

III. Pars.

Recordari auditores decet ſuorum Doctorum etiam hac ratione, vt conſiderent exitum conuerſationis illorum. Qui benè vixerunt, benè etiam vitam finient. Wohl gelebt/wohl geſtorben. Quandocunq; cogitamus de conſtantia & perſeuerantia, vel Apoſtolorum inter ſæuiſſima tormenta & perſecutiones grauiſſimas: vel noſtrorum etiam fidelium miniſtrorum patientiam, ſpem, & animi magnitudinem, in ipſis etiam ſæuiſſimæ mortis horroribus intuemur, præparare debemus animos noſtros ad eandem patientiam, fidem, ſpem, conſtantiam, ſiue in perſequutionibus (ſi Deo ita videatur) perferendis, ſiue in vincenda morte.

Si cogitamus (vt ſanè debemus frequenter) quanta cum lætitia & cupiditate viuendi cum Chriſto moriantur: imitari ſtudeamus id ipſum, vbi Deus euocauerit. Proponamus nobis exemplum Pauli, Philip. 1. Cupio diſſolui. Animum aduertamus ad dicta & loca ſcripturæ, quibus ignita Satanæ tela Eph. 6. excuſſerunt: & mortem ſua natura acerbam ſibiipſis reddiderunt dulcem, &c.

CLASSIS II.

CONTINENS THEMATA,

QVÆ IN FVNERIBVS SENIORVM 1. vel honoratiorum Virorum, 2. aut honeſtiſſimarum matronarum, 3. vel in genere eorum, qui ſenectam diem obierunt, commodè tractari poſſunt.

1. Exempla & hiſtoriæ longæuitatis vel prouectioris ætatis Patriarcharum, aliorumque celebriorum virorum ex Scripturis, in 1. parte huius claſſis pertractantur.

The-

THEMA I. CLASSIS II.

Ex Geneſ. 5. & 9. cap.

De longæuitate Adami, Sethi, Enos, Kenan, Mahalaleelis, Iareti, Methuſalemi, Lamechi, & Nohæ.

DISPOSITIO.

Paucis his verbis continetur inſigne Chronicon, in quo deſcribuntur Patriarchę primi, magni & præclari viri, qui à condito mundo vſq; ad Noha vixerunt. Et numerantur 1656. anni ab Adamo ad Noham, qui vixit tempore diluuij; & ante illud, quo tempore verè aureum ſæculum fuit: cum non tantum maior hominum fuerit vigor & experientia atque felicitas, ſed & omnia fuerint tum meliora & perfectiora, quæ ad nutriendum & ſuſtentandum corpus hominis faciebant. Tanta etiam hominum longæuitas, vt vnus ex illis diutius vixerit, quam apud nos decem aut duodecim ſibi ordine ſuccedentes.

Annotatur tamen quoq; obitus ſingulorum patrum, quorum nouem hîc recenſentur. Henoch enim ſeptimus ab Adam viuus in cœlum ſublatus eſt, ideoque illius nullam hic faciemus mentionem. Videbimus autem 1. horum Patriarcharum longæuitatem, 2. deinde etiam eorundem obitum.

I. Pars.

Recenſentur nomina Patriarcharum, qui ſibi ordinè ſucceſſerunt, & initium fit ab Adamo. Deducitur autẽ Genealogia per filium illius Sethum. Cum Abel abſq; prole mortuus, Cainus autẽ indignus ſit, cuius memoria extet ad poſteros. Et continuatur ſeries patrum vſq; ad Noham & diluuium. Quia autẽ Lucas hos Patriarchas inter Maiores Chriſti numerat, ideoque hinc colligere poſſumus, quare tantum horum & non aliorum collateralium fiat mentio. Ideoq; hanc genealogiã patrũ magnifaciamus.

1. Porrò ad inſtitutum noſtrum vt redeamus, videmus ex hoc loco, quam fuerint homines iſtis tempori-

bus longęui:cum plerique,excepto Mahalaleele &Lamecho patre Nohæ, attigerint nongentesimum annum.

2. Eratque hoc magni beneficii loco posteris, quod suos Maiores tam diu habuerunt viuentes,& de variis rebus potuerunt erudiri.

3. Et iucundum est auditu si consideres, quot cani Patriarchæ simul vixerint, & quos suauissimos inuicem contulerint sermones,de mundi primordio, & lapsu atq; reparatione generis humani. Contemporanei enim fuerunt nouem Patriarchæ, & vidit Adamus omnes suos nepotes, vsque ad Lamechum, cum quo annis quinquaginta vixit, quod ex supputatione patet.

4. Fuerunt tamen tum etiam alii aliis viuaciores, cum non præcisè omnes eosdem annos ætatis compleuerint, sicut etiamnum fit. Lamech enim 192. annis minor est Mathusalem:& Mahalaleel 73.annis eodē minor.

5. Ad Noham in specie quod attinet,cuius tota ætas capite 9. describitur, vixit is ante diluuium cum patre, auo & cæteris suis maioribus ante diluuium 600. annis & post diluuium 350. vixit annis, atque attigit ipsum etiam Abrahamum. Vixit enim vsque ad 58. annum Abrahami, fuitq; propterea tam diu superstes, vt posset posteros erudire de his quæ acciderunt tum in ipso diluuio, tum etiam quæ ante & post euenerunt: & quod maximū est, vt de semine mulieris posset erudire posteros.

6. Post Noham mox deficiunt anni vitæ humanæ, vt excepto Semo filio Nohæ, nemo omnium postea attigerit annum quingentesimum. Videmus enim Genes. 11. quomodo semper decreuerit numerus annorum, à Semo (qui vixit annos 600.) vsque ad Thara,patrem Abrahami, qui anno ætatis 205.moritur, Iacobus vero conqueritur anno ætatis 130. (Gen.47.) quod multum absint anni ipsius à longæuitate patrum. Etenim anni Noha (qui fuit ordine retrogrado ante Abrahamum decimus patriarcha Gen.11.) excedunt ætatem Abrahami annis 775. At Moses (qui Psalmi 90.author creditur) multo pauciores annos

vitæ

vitæ humanæ numerat, & ad ſummum 80. facit Pſal.90. verſ.10.

Locvs. Magna hæc eſt ætatis noſtræ, ſi ad patrum tempora conferantur, imminutio & attenuatio. Et vix credibilis nobis videtur illorum longæuitas, propter poſteritatis ſatis curtam vitam. Hinc nonnulli putarunt non eandem fuiſſe annorum rationem, quæ nunc eſt, & tum fuiſſe forſitan annos breuiores. At eandem quæ nunc eſt annorum ſuiſſe ſupputationem ex Gen. 7. patet. Quæ igitur fuerunt cauſæ longæuitatis ante diluuium? Plures haud dubiè. 1. Maior in illis vis vigorque naturalis. 2. victus ratio ſimpliciſſima & optima. 3. Temperantia in cibo & potu maior quam quæ nunc eſt. Apud nos enim iſtud iam verum eſt: Gula plus noxę, quam celer enſis habet. Multos occidit illud, de quo Salomon Prou. 23. v. 29. Et Syr. 31. v. 24. Et Syr. 38. verſu 1. 2. 3. & 4. iuxta verſ. german. 4. Omnia terræ naſcentia tum ſalubriora quam nunc, poſtquam per diluuium omnia miſerè ſunt vaſtata. Principales autem cauſas ego iudico has fuiſſe. 1. Quia Deus voluit per iſtorum longæuitatem genus humanum citius propagari. 2. voluit Deus illos tam diu ſuperſtites eſſe, vt poſſent de voluntate Dei erudire ſuos poſteros & Nepotes, vt ſic doctrina ſincera ſarta tectaque conſeruaretur multò tempore inter pios Adami poſteros, qui ex Setho deſcenderunt: cum poſteritas Cainica iam tum à Deo deflecteret: vt patet ex Geneſ. 6.

L. II. Non ægrè feramus vitæ noſtræ breuitatem: cum non hoc quæratur apud Deum quam diu, ſed quàm benè aliquis vixerit. Satis diu vixerimus, ſi Chriſtum cognouerimus. De infantibus enim & aliis mox abreptis Sapientiæ liber cap. 4. pronuntiat, quod ſatis diu vixerint, hi ſc. quorum animæ placeant Deo.

Et quia mille anni corā Deo tantum ſicut vna dies Pſ. 90. 2. Pet. 3. nullus autem mille annis vixit, ideoque coram Deo illorum vita non pro vna die numerata fuit. Et ſic non multum ſuperant nos.

Nec tantæ fuerunt prærogatiuæ Patriarcharum illorum, quin etiam maximis calamitatibus fuerint exercitati. Etenim quo vixerunt diutius, tantò grauius fuit ipsis videre Cainitarum impietatē. Quæ haud dubiè ipsis hanc vitam reddidit acerbissimam. Nec optanda nobis tanta longæuitas, mundo iam semper in peius proficiente. Dies certè mali sunt. Eph. 5. Et beati mortui. Apoc. 14.

II. Pars.

Non sine graui consilio Spiritus sancti singulorum Patriarcharum ætati subiicitur, & nouies repetitur particula ista: Et mortuus est. Et mortuus est, &c. De omnibus (excepto Enoch) dicitur.

I. Docere enim voluit Spiritus sanctus, vitam licet maximè diuturnam non liberare à morte: quin potius mors longissimam vitam excipit. Et si maximè quis ad mille ætatis annos perueniat (quod tamen nulli contigit) tamen tandem moriendum esse. Rectè igitur Syrach. 41. in fine. Non quæritur in morte. &c. Ergo non optes centum aut mille annis viuere, cum post tot annos mors futura sit acerbior. In tempore igitur præpara te ad mortem, vt in æternum viuere possis. Ioan. 5. v. 24.

II. Deinde cogitandum etiam quare optimi hi & sanctissimi patres post tot annorum centurias tamen necesse habuerint mori: sc. propter peccatum. Sic enim Adamo dictum, morieris. Gen. 2. In omnes. Rom. 5. v. 12.

FINIS.

THEMA II. CLASSIS II.

Ex Genes. 15. vers. 15.

Deus Abrahamo dicit:

Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.

DISPOSITIO.

Insignes continet hoc caput Geneseos XV. prædictiones

nes

nes Abrahamo factas, quibus Deus animum illius propter ἀτεκνίαν vehementer consternatum erigere voluit. Hîc enim illi non tantum filium ex Sara coniuge, sed etiam terram Canaan posteritàti ipsius promisit. Verbis autem prælectis Dominus Abrahamo spem facit de ætate prouectiori, morte placida, & honesta sepultura. Quæ cum singularem Dei gratiam singula nobis demonstrent, singula etiam ordine excutienda erunt.

VIDEAMVS.

1. Primum notandum est, quod cum Deus Abrahamo promisisset terram Canaan, expresse hoc adiecerit, post 400. annos illud demum completum iri, vbi iam Abrahamus mortuus fuerit. De morte autem ipsius eleganter loquitur hoc modo: Tu ibis ad patres tuos. Vsitata phrasis scripturæ, Colligi ad patres, Dormire cum patribus. Qua ostenditur, mortuos pios homines non interire, sed colligi vnum aliquem in locum, & ibi asseruari, dum etiam cæteri ad eundem locum deueniant.

Additur etiam, in pace. Placida morte ipsum decessurum significatur, Non violenta morte abripiendum: nō in prælio crudeli ferro occidendum. Non cum horrore & inuito atque reluctanti moriendum, &c.

Locvs. Insignem nobis consolationem præbet hic locus, quod pii defuncti non pereant, nec perpetua obliuione sepulti sint: Sed quod vna viuant cum Deo, & expectent suos posteros, vt colligantur ad ipsos. Nec pudet Deum, vocari Deum illorum, qui viuunt coram ipso, cum Mortuorum Deus non sit Matth. 22.

Non itaq; male agitur cum mortuis, cum ad patres colligantur, quos videre & quib. conuersari omnes boni desiderant. Hinc Elias 1. Reg. 19. Tolle animam meam. Non sum melior patribus meis. Faciunt hęc ad cōsolationem, ne mors tam acerba nobis sit. Es geth vns eben wie allen vnsern Vättern. Nihil noui accidit nobis. Et qui desiderat mox videre patres suos beatos, mori desiderat, vt cum illis viuat.

L. II. Singularis gratia Dei est, si cõtingat homini mori in pace. At mori in pace non tantum est domi apud suos mori, & non in bello ab hostibus occidi, non casu aliquo tristi interire: Sed hoc potissimum est in pace mori, si homo pius fide iustificatus in morte sentiat etiam se habere (Rom. 5.) pacem cum Deo, vt non moriatur cum horrore & gemitu, sicut impij, Ps. 73. v. 19. sed fretus merito filij Dei placidè & alacri animo spiritum suum Deo reddat.

Sic Iosias, quamuis in prælio vulneratus, & ex illo vulnere mortuus, tamen in pace mortuus dicitur. Sic enim illi Dominus promiserat, 1. Reg. 22. v. 20. Est autem mors piorum plerumque placida, quia deuictis hostibus, quibuscum in tota vita conflictantur, mortem non gustant. Rogandus itaque Dominus, vt dimittat nos seruos suos cum Simeone in pace, Luc. 2. Vtque anima etiam asseruetur in pace, Sap. 3. v. 3.

II. Deinde Dominus Abrahamo prædicit longæuitatem, & quod ad senectam sit peruenturus. At senectus si orba luminibus, & ægra tremulo veniat gradu, sanè grauis & tristis est, ita vt tum præstet mori quàm viuere? ideoque Deus addit, senectutem bonam consequuturum Abrahamum, nec sensurum pondera amaræ senectæ.

Idque Deus præstitit. Etenim Abrahamo centenario nascitur filius Isaacus, & post 42. annos supra centesimum plures etiam alij ex Cethura. Vnde colligitur, quàm fuerit etiam in senecta viuax & vegetus.

Locvs. Magnum & singulare Dei beneficium est, si detur homini viuere ad summam senectutem. Hæc enim promissio est haud vulgaris, annexa quarto præcepto, vt sis longæuus super terram, Ephes. 6. v. 2. Et pars pœnæ est, si decurtentur dies vitæ, Psalm. 55. v. 24. Non dimidiabunt. Et Psal. 58. Antequam maturescant spinæ.

Maior autem est gratia, si bona senectus sit, si ceruina & placida, viuax & matura sit.

Qualis hic promittitur Abrahamo, & qualis fuit Mosis, Deuter. 34.

Gratos

Gratos esse decet, quibus talis senectus contigit.

At videmus tamen, non omnibus eandem largiri Dominum senectam, nec piis semper. Grauior est senectus Isaaci quam patris, Gen. 27. Et pij etiam Prophetæ Ahiæ, 1. Reg. 14. Neq; tamen hoc irati Dei indicium. Habet autẽ sui cõsilij causas nobis occultas. Quia verò incertum est, quid Deus decreuerit, ideoq; non semper optanda senecta longæua, nec existimandum malè nobiscum agi, si citius Deus nos abripiat. Id enim cedere in nostrum commodum, testatur Sapientia cap. 4. v. 10. & seqq.

III. Tandem, cum post annosam etiam senectam Abrahamo sit moriendum, promittit illi Dominus honestam sepulturam. Terræ igitur demandatus legitur honorifice à filiis, Ismaële & Isaaco, in agro, quem pro vxore Sara, & se atque suis emerat, & in quo sepeliri voluerat, Gen. 25. v. 9.

L. Est & hoc gratiæ diuinæ argumentum, inferri in sepulchrum patrum. Quod licet impiis etiam haud rarò contingat, nonnullis tamen à Deo in pœnam scelerum fuit negatum: vt Ioiakimo Regi, Ier. 22. v. 19. cui asini sepulturam minatur Dominus.

Honestè autem sepeliendi & seminandi, tanquam in agro defuncti, 1. Corinth. 15. propter certam spem Resurrectionis.

Quod si interdum piis non detur locus sepulturę inter suos, est tamen hoc patienter ferendum, cum Domini sit terra & omnis plenitudo eius, Psal. 24. v. 1. nec saluti æternæ quicquam officiat. De his omnibus supra plura in Dispositione Thematum Classis primæ.

THEMA III. CLASSIS II.

Genes. 25. vers. 7. & 8.

De ætate, morte, & sepultura Abrahami.

DISPOSITIO.

Dauid commendat Deum hoc nomine, Psalm. 33. v. 4.

Verum est verbum Domini, & quęcunq; promiserit seruabit certissimè. Eius rei exemplum cernimus hoc ipso loco, & expertus id testabitur Abrahamus. Promiserat ipsi Dominus Genes. 15. longam & bonam senectutem & quod in pace sit moriturus, atq; sepeliendus honestè. Id omne præstitum fuisse a Domino, præsens docet historia: Quæ 1. de ætate, 2. de morte, 3. de sepultura Abrahami nos instruit. Singula ordinè tractabimus.

I. Pars.

Vixisse legitur Abrahamus annos centum & septuaginta quinque. Et id quidem post diluuium fuit satis longum vitæ tempus, cum multum decreuerit ætas hominum, mox post Abrahamum. Diutius illum viuere voluit Dominus, vt sit Doctor Ecclesiæ suæ domesticæ. Hoc enim illi Deus testimonium perhibet, Genes. 18. quod filios suos diligenter erudierit &c.

Erat autem illi senectus non grauis & amara, curua atque infirma, sed tranquilla & viuax. In einem rühigen Alter/ dicitur hoc loco. Habet enim bonam conscientiam & corpus vegetum.

LOCVS I. Planè idem hic recurrit locus, qui ex eadem materia thematis præcedentis parte secunda, fuit pertractatus. Hîc breuitatis causa non repetemus.

LOCVS II. Potest etiam tractari hic locus, Quam ob causam hominibus longæua interdum concedatur vita: non vt hoc mundo tam diu vtantur, nec vt voluptatibus indulgeant diutius, sed vt cum Abrahamo erudiant posteros & multos Deo lucrifaciant: vtquę suo exemplo alios possint inuitare ad idem pietatis studium. Vt autem hoc fiat, mox à Iuuentute decet nos meminisse creatoris nostri. Eccles. 12.

Qui vero vitæ longæuitate & senectute tranquilla abutuntur, ad complendum numerum malitiæ suæ, illi graues dabunt aliquando pœnas.

II. Pars.

II. Pars.

Tam viuax non est Abrahamus, quin non etiam cum annis paulatim vis vigorq; deficiat. Ideoque hic 1. sequitur, quod defecerit, vel expirauerit tandem: hoc est, quod calido natiuo, humidoq; radicali deficiẽtibus, turbataq; κράσει corporis ipsius ipsa simul vita paulatim defecerit.

2. Sicq; mortuus est, nõ inuitus, sed promptissimo animo reddidit spiritum suum Deo. Dicitur enim non senex tantum, sed & satur dierum fuisse, vt non optarit viuere diutius. Er hat deß lebens gnug gehabt.

3. Quò autem peruenerit post mortem, additur. Collectus est ad populum suum. Id non tantum intelligi debet de corpore, quod conditum fuit in terra, quæ mater est omnium, Syr. 40. & sic etiam maiorum Abrahami receptaculum (ratione corporis) sed potius de anima, quod illa in terram viuentium ad cæteros Abrahæ pios Maiores commigrauerit ex hac valle lachrymarum.

Locus I. est de morte piorum placida & in conspectu Domini pretiosa, adeò vt non mori verè dicatur, sed obdormire (qua phrasi scriptura aliàs vtitur) & requiescere tanquam in cubili. Esai. 26. & 56.

Coram impiis mors illorum apparet acerba & tristis. Sap. 3. vers. 2. Sed coram Domino suauissimum dormiunt somnum.

L. I. Vitam nostram aliquando habituram finem semper cogitandum & omnibus. Sunt, qui rarissime cogitent de morte, præsertim vbi sunt adhuc valido corpore. Sunt alii qui existimant indignum esse, vt tam pii quam impii moriantur. At nec Abrahamus effugit mortẽ, licet senex, vegetus, pius. Non enim est qui non videat mortem. Sicut omnes peccauerunt ita omnes moriũtur. Roman. 5. in Adamo omnibus dictum, terra es & in terram reuerteris. Gen. 3. Multum autem prodest crebra hæc & diligens mortis meditatio. Ideoque orat Psaltes Psal. 90. Domine doce nos. Idem Psalmo 39. Sæpè cogitandum, deficient aliquãdo vires, & destruetur tota corporis structura

velut

velut tuguriolum. Esa.38.v.12. Noli ergo confidere in tuis viribus, aut in corpore valido: Sed præpara te ad mortem in tempore, vt possis animam commendare Deo, cum Dauide Ps.31. Et lætus dissolui. Quia enim via omnis carnis hæc est 1. Reg. 2. non poteris effugere.

L.II. Videmus pios & bonos tandem huius vitæ temporalis satietate ita teneri, vt non optent vltra viuere. Hinc de Abrahamo dicitur quod fuerit satur dierum, licet tranquilla senecta vsus fuerit. Idem de Isaaco Gen. 35. de Hiobo, Iob. vlt. & de Dauide, 1. Par. 30. legitur.

Quin ipse Cicero dicere solitus est: Omnium rerum satietas vitæ facit satietatem. Abrahamus enim quantumuis abundârit opibus & omnium rerum affluentia, tamen satur dierum est. Quid igitur dicemus de his, qui omnium rerum inopia premuntur? quid de illis quibus senectus per se morbus & grauis est? quid de his qui lectulo sunt affixi, quibus dicitur mors melior vita. Syr. 30. v. 17. Quid de his qui variis sunt calamitatibus circumuenti? Certè illos haud immeritò capit huius vitæ ærumnosæ satietas: quod cernitur exemplo Iobis. Iob. 7. vers. 16. De quo partim Syr. 41. O mors quam iucunda &c. partim Rom. 8. vers. 20. & passim alibi plura. Et sanè quod pretiosissimum est in omni vita nostra, labor & dolor est, Psalmo 90. teste, Peregrinatio, Genes. 47. & militia Iob. 7. est omnis vita hominis. Et idipsum etiam Abrahamo peperit huius vitæ fastidium. Quomodo igitur hæc non afferant hominibus multum satietatis & fastidii.

Sunt tamen non pauci ita affixi terrenis, vt nunquam credant satis diu se vixisse, cum ea quæ undiquaque corraserunt nolint relinquere. Stultos hos esse quis non dixerit?

Hinc verò colligere licet, quare Deus tot vndique malis circundet suos: vt scil. hanc vitam fastidire incipiant, & pertæsi has mundi vanitates, desiderio alterius vitæ teneantur. De quo 2. Cor. 5. v. 2. Roman. 8. Et vt tandem etiam cum Elia dicant, Sufficit mihi Domine. 1. Reg 19.

& cu-

& cupiant dissolui cum Paulo, Philip. 1. & illud: Nunc dimittis, cum Simeone canant, Luc. 2.

L. III. Consolatio peti potest ex his verbis, quod de Abrahamo mortuo dicitur, Collectus est ad patres suos.

Sic enim docet scriptura, quod transeamus ex hac misera vita ad quietem, ad terram viuentium, Psalm. 27. & ad locum illum, in quo beatorum patrum animæ asseruantur. De quibus Sap. 3. quod sint in manu & in conspectu Dei. Quodque etiam post mortem viuant, cum Deus viuorum Deus, Deus Abrahami, &c. dicatur. Et hinc quoque animæ immortalitas probari potest.

Si enim animæ etiam extinguerentur, non posset fieri collectio ad alios populos.

Hinc Esa. 56. Sancti colliguntur, &c.

De hac scripturæ phrasi in præcedentibus supra etiam dictum est.

III. Pars.

Terra es, & in terram reuerteris, dicitur Adamo, & sic omnibus eius posteris. Idem Abrahamus etiam cogitur experiri post mortem. Sequitur enim, ipsum terræ fuisse mandatum & sepultum. Sunt tamen circa illius sepulturam hæ circumstantiæ non negligendæ.

1. Sepultus est à filiis duobus Ismaële & Isaaco, honorificè, & non absque luctu.

2. In sepulchro proprio, empto à Patriarcha viuo & ad hunc vsum destinato, Genes. 23.

3. Sepelitur iuxta coniugem Saram, cum qua vixit suauiter, & cum qua etiam in terra quiescere optauit.

LOCVS est de sepultura honesta. 1. Varij erant olim ritus Ethnicorum in condendis defunctis. Alii combusserunt igni mortuos, alii canibus deuorandos obiecerunt, alii in aquam proiecerunt, &c. Sed apud eos, qui vera Dei cognitione non caruerunt, semper mortui terræ fuerunt demandati. Illud est mandatum Dei, in terram reuerteris. Sicq; alitur spes resurrectionis, quando seminatur corpus in terram.

2. De-

2. Debent autem filij & proximi agnati curare sepulturam parentum, vel Maiorum, exemplo Isaaci, Ismaëlis, Iosephi, &c.

3. Estque pars benedictionis temporalis, sepeliri cum suis, &c.

FINIS.

THEMA IV. CLASSIS II.

Genes. 25. vers. 17.

De morte Ismaelis filii Abraham.

DISPOSITIO.

Duo filij Abrahami erant, quorum scriptura facit mentionem præcipuè, scilicet Isaacus ex Sara, & Ismaël ex Hagar. Quamuis autem posteri Ismaëlis fuerint hostes posterorum Isaaci, ipse etiam Ismaël fratri consanguineo puero Isaaco fuerit inimicus, tamen, quia postea cum fratre parentem Abrahamum sepeliisse legitur, hoc ipso capite, atque historia mortis ipsius hoc loco planè iisdem verbis describitur, quibus mors patris Abrahami, ideoq; non est dubium, quin Ismaël pœnitentiam egerit, & saluatus fuerit. Non immeritò igitur illius mors nobis consideranda proponitur. Duo erunt circa hanc historiam consideranda. 1. Ætas siue vita Ismaëlis. 2. Mors eiusdem.

I. Pars.

Poterit hoc loco paucis repeti historia natiuitatis, vitæ, eiectionis ex domo paterna, miraculosæ apparitionis Dei, atq; etiam conseruationis Ismaëlis, & cætera ex Gen. 16. & 17. & 21. Quamuis autem Ismaël puer fuerit leuiculus & irrisor, tamen postea resipuit absq; omni dubio. Dicitur enim expresse Genes. 21. v. 20. Deum fuisse cum ipso. Habitauit autem in deserto, & fuit bellator. Sensit etiam maximam Dei benedictionem, ex promissione Dei facta Abrahamo, Gen. 17. v. 20. videlicet, duodecim principes ex ipso nasciturus. Quod legitur completum hoc ipso capi-

capite. Et descenderunt ab ipso Arabes, Syri, & multi alij. Sed & longæuam vitam concessit ipsi Dominus: vixit enim annis centum & triginta septem. Vidit filios multos, & multos nepotes, qui euaserunt in magnos viros atq; Duces. Denique & filios etiam fratris Isaaci Esauum atque Iacobum multis annis sibi coæuos habuit. Etenim post Abrahamum vixit annis 48.

Locvs I. Nemini salus neganda, & de nemine desperandum, si maximè aliquando vel in iuuentute vel in pueritia non videatur frugi futurus. Interdum nouissimi fiunt primi.

Et vocatur hora vndecima in vineam, qui cæteris horis non laborauerit, sed ociosus fuit.

L. II. Viuere ad longos senectutis annos, donum est Dei inter temporalia non minimum. Seruiendum autem Domino grata mente, & erudiendi filij atque nepotes in timore Domini. Cuius verò dies vitæ pauci sunt, habet & is gratiæ diuinæ documentum, qui mox ipsum ex his malis voluit liberare. Sap. 4. Esa. 56. Quomodocunq; igitur Deus agat nobiscum, grata mente agnoscamus, Dei voluntatem esse optimam. De hoc supra in præcedenti Dispositione, & alias sæpè.

II. Pars.

De Ismaële annis confecto legitur porrò idem, quod in præcedenti themate de Abrahamo fuit dictum, 1. Defecit. 2. Mortuus, 3. Collectus est ad populum suum. Vnum illud hoc loco omittitur, quod satur dierum fuerit. At cum cætera iam modo in præcedentibus sint explicata, possunt ex priori Dispositione huc referri. Ideoque breuitatis causa hic non repetenda putaui.

Thema V. Classis II.

Ex Genes. 35.

De ætate, morte, & sepultura Isaaci.

NO-

NOTANDVM.

Cum eadem penè ſint verba hiſtoriæ, in deſcribenda ætate, morte, & ſepultura Iſaaci, quæ ſupra in themate huius Claſſis tertio de Abrahamo fuêre vſurpata, ideoq; etiam planè eadem poteſt huius Thematis eſſe Diſpoſitio, quæ fuit ſupra thematis tertii.

Hæc enim eſt Collatio vtriuſque textus.

1. Pars. De Abrahamo.	1. Pars. De Iſaaco.
Fuerunt dies vitæ Abraham 175. anni.	Completi ſunt dies Iſaac 180. annorum.
2. Pars.	*2. Pars.*
Et deficiens mortuus eſt. Dierum ſatur & ſenex.	Conſumptus ętate mortuus eſt, Dierum ſatur, & ſenex.
Collectus ad populum ſuum.	Collectus ad populum ſuum.
3. Pars.	*3. Pars.*
Et ſepelierunt eum Iſaâc & Iſmaël filij ſui.	Et ſepelierunt eum Eſau & Iacob filij ſui.

Vnum hoc, quod de Abrahamo fuit additum in ſecunda parte, in ſenectute bona, de Iſaaco non legitur. Etenim grauior fuit ſenecta Iſaaci, quàm patris Abrahami, propter oculorum caliginem, de qua Gen. 27. quæ pluribus annis durauit. Qua parte infelicior fuit Iſaacus patre Abrahamo, cum allioquin ætatis ratione annis quinque ſuperior fuerit Iſaacus.

Poſſet itaq; in tractatione huius thematis parte ſecunda addi hic locus: Non ſemper concedi etiam piis ſenectam tranquillam & morbis vacuam. Exempla addi poſſunt, de Barſillai ſene, 2. Sam. 19. v. 35. de Dauidis frigiditate, 1. Reg. 1. v. 1. & Ahiæ Prophetæ pij orba luminibus ſenecta, 1. Reg. 14. Vi de Eccleſ. 12. Hæc ad vſum noſtrum accommodanda.

1. Quibus tremula, grauis, curua, infirma, pigra & tri-

triſtis eſt ſenecta, illi patienter hoc ferant. Sic enim cum illis agit Dominus, vt diſcant hanc vitam faſtidire & appetere venturam.

2. Cum tanta ſint incommoda ſenectutis infirmæ, benè collocandum tempus iuuenilis ætatis. Nichts auff das Alter ſparen. Memento creatoris in iuuentute, Eccleſ. 12. Laborandum in iuuenta, ne egeas in ſenecta. Venturæ memores iam nunc eſtote ſenectæ. Ouid. Diſcite venturam iam nunc ſentire ſenectam. Propert.

3. Non tantopere expetenda longæ ſenectæ extrema tempora, cum multa ſecum ferant amara pondera, & ſenectus per ſe morbus ſit, &c.

FINIS.

THEMA VI. CLASSIS II.

Ex Geneſ. 47. verſ. 9.

Verba Iacobi Patriarchæ ad Pharaonem, ***Dies peregrinationis meæ pauci & mali.***

DISPOSITIO.

Nota vobis eſt hiſtoria, quomodo Iacobus Patriarcha audiens Ioſephum (quem mortuum ante multos annos hactenus putauerat) viuere, & dominari terræ Ægypti, deſcenderit ad filium ſuum, deſiderans illũ videre, àntequam moriatur. Ita etiam Ioſephus fratribus mandauerat, Gen. 45. Cum autem aduenilſet Iacobus, ſiſtitur à Ioſepho ante Pharaonem. Iacobus verò ſenex venerãdus & grauis benedicit Pharaoni. Ibi tum Pharao perſonæ grauitatem & venerandam caniciem cernens, quærit ex ipſo quot annorum ſit? Cui reſpondet Iacobus verbis prælectis, quibus non tantum ętatem exprimit, ſed & totius vitæ ſuæ curſum breuiter depingit, ſimilitudine ſumpta à peregrinantibus.

[Notand. Poſſet hoc loco forſitan non incommodè fieri talis partitio. Duo tractabimus: 1. Dicemus quomodo vno verbo Iacobus totius vitæ curriculũ deſcripſerit:

 vocans

vocans sc. peregrinationem, & quare sic appellet. (Et huc referatur prima pars paraphraseωs, cum loco communi primo.) 2. Dicemus quæ illius in hac peregrinatione fuerit fortuna. (Huc pertinet id, Pauci & mali dies: Et quæ habentur in secunda parte paraphrasis. His addatur Locus communis secundus.) At hîc paulo aliter instituta est Dispositio.]

Nos primùm textum percurremus, deinde etiam Locos Communes addemus.

VIDEAMVS PARAPHRASIN.

I. Dies peregrinationis meæ, ait Iacobus, sunt centum & triginta, &c.

Primò notandum, quod vitam suam perpetuam vocat peregrinationem. Etenim non tantum in adolescentia peregrinus est in Mesopotamia, apud durum Labanum socerū, cum fugeret insidias fratris Esaui: sed etiam peregrinatur in terra Canaan, cum illam nō possideat, vt Dominus, sed tantum in spe. Sicut de Abrahamo Stephanus inquit Actor. 7. v. 5. quod ne vestigium quidē pedis habuerit in ea, Nam post quadringentos annos demū impleta est promissio. Sed & in Ægypto peregrinus erat cum suis.

Atqui non tantum de variis profectionibus ex vno loco ad alium intelligit hæc verba, sed magis huc respicit, quod in hac vita non quærat nec habeat manentem ciuitatem, sed cœlestem patriam inquirat. De quo Heb. 11. vers. 14. & seqq.

II. Deinde additur qualis fuerit peregrinatio illius, sc. molesta admodum & difficilis. Dies mali, inquit. Non de itineribus confectis loquitur, sed de variis calamitatibus, quas fuit expertus, in patriis ædibus scilic. à fratre Esau, in Mesopotamina à socero & affinibus, in Canaan à filiis, quorum alij parricidæ, fratrem vendentes, quem erant occisuri, Gen. 37. alij latrones, Simeon & Leui Gen. 34. alij (Ruben sc. Gen. 35.) incestuosi fuerunt, alij aliis peccatis animum parentis excruciarunt quotidie. Taceo

quid

quid à duabus sororibus coniugibus inuidentibus mutuo, Gen.30. atque ab exteris quibusque passus fuerit.

III. Tandem pauci etiam inquit sunt dies peregrinationis. At quomodo pauci, cum senex adhuc vegetus iam compleuerit annos 130. & superuixerit annis 17. & omnes illius dies fuerint 147. anni. Gen. 47. Hoc ne mirum nobis videri posset seipsum explicat Iacobus: Non peruenerunt dies mei ad dies peregrinationis patrum. Innuit ergo venerandus senex, quod licèt iam 130. annos compleuerit, tamen sentiat, vires corporis ita paulatim deficere, vt non possit sperare tot vitæ dies, quot fuerant patrum. Non tantum respicit patrem Isaacum, qui 180. annis, & auum Abrahamū, qui 175. annis vixit, sed potius ad tempora eorum, qui ante Abrahamum vixerunt, & cum illis confert suam ætatem. Illorum respectu dies Iacobi pauci sunt, quia illi omnes ante Abrahamum excesserunt annum ducentesimum, Gen.31.

LOCI COMMVNES.

L. I. Non Iacobi tantum vita peregrinationi similis est, sed & omnium Patriarcharum, Hebr.11. & ipsius Dauidis. Peregrinus & aduena sum, Psalm. 39. & omnium Christianorum vita nil nisi perpetua peregrinatio est. Cum teste Apostolo, Heb.13. non manentem hîc habeamus ciuitatem, sed futuram inquiramus. Neque enim in terris est nostrum πολίτευμα, sed in cœlis, Phil. 3.

Facit autem diligens huius loci meditatio, vt memores illius Paulini, Coloss.3. v.1. Superna quærite, &c. oculos nostros non tantum defigamus in terram, non terrena tantum sapiamus aut quæramus, sed cœlestia. 1. Sicut enim peregrinator non sese immisçet negotiis illis, quę in peregrinatione sua hîc & illic videt agitari, sed strenuè pergit ad suum locum: ita cum intelligamus nos in mundo non habere πολίτευμα, relinquamus mundo suas occupationes, & pergamus in patriam. Huc pertinent etiam quæ Matth.6.v.33. Phil.3.v.13. & alibi habentur.

2. Etenim ſicut viator multis & variis tempeſtatib. obnoxius eſt, & varia in itinere ſentit pericula atque incommoda: ideoque non diu vno in loco ſubſiſtere, non moras nectere, non ceſſare ſolet, vſque dum perueniat ad fixam quam quærit ſedem: Ita vita hominis labor & dolor. Pſal. 90. militia. Iob. 7. v. 1. Et ſicut ille nunc friget, mox alget, iam eſurit, poſtea ſitit, &c. ita homo variis tempeſtatum & afflictionum procellis atque tentationum fluctibus iactatur. Exemplo eſſe poſſunt præter Patriarchas, Dauid, Paulus & alij. Quapropter deſiderat homo Chriſtianus vel tandem quieſcere à laborib. ſuis. De quo Paulus 2. Cor. 5. & Phil. 1. Et Iob. 7. verſ. 2. Tum demum autem ad quietem peruenit, cum his malis per mortem ſubtrahitur. Apoc. 14. Quieſcunt à laboribus. Eſa. 56. in cubilibus quieſcunt.

3. Sicut autem viator ſeſe præparat ad iter in tempore, proſpicit ſibi de viatico, & armis neceſſariis, quibus ſeſe contra hoſtes poſſit defendere, & hoc agit, vt parata habeat omnia cum accingitur itineri, nec ſeſe etiam multis ſarcinis onerare ſolet, quibus ferendis par eſſe non poſſit: Ita homo Chriſtianus tendens ad patriam cœleſtem, quamprimum ad annos diſcretionis venerit, præparet ſeſe ad iſtam peregrinationem: cogitet de viatico, verbo ſcil. Dei & ſacramentis: induatur iſta πανοπλία Dei, de qua Epheſ. 6. v. 11. deponat omnes ſarcinas peccatorum, auaritiæ, ebrietatis, inuidiæ, odij, &c. Sic ſecurus poterit pergere ad patriam cœleſtem.

4. Tandem ſicut omnes tempeſtates quantumuis moleſtas viator patienter fert, quia in patria ſe benè beateque viuere poſſe ſperat, ſuperato difficili itinere: ita cum ſciat Chriſtianus paratam eſſe in cœlis gloriam ineffabilem his, qui huius vitæ miſerias in fide & patientia ſuperauerint, non curet omnes mundi huius aduerſitates, quæ non ſunt pares ad gloriam reuelandam. Rom. 8.

L. II. Quia dies vitæ pauci ſunt, & reſpectu Iacobi pauciſſimi, ad ſummum 70. vel 80. Pſal. 90. v. 10. ideoque

benè

benè collocandum tempus breue, vt Deum discamus recte cognoscere, Ioan.17.vers.3. non procrastinanda pœnitentia. Vide Eccles.12.v.1. Syr.18. Et quia dies mali, nos simus boni. De hoc Eph.5. Redimentes tempus, quia dies mali sunt. Nos viuamus Christo, & non conformemur mundo, sed renouemur spiritu mentis, Rom.12.v.2.

FINIS.

THEMA VII. CLASSIS II.

Ex Genes. 49. v. 33.

De morte Iacobi Patriarchæ, & luctu Iosephi.

DISPOSITIO.

Qui diu hinc inde peregrinatur, tandem etiam contendit in patriam, vel ad locum sibi præfixum. Ita cum bonus ille Patriarcha Iacobus omnem suam vitam peregrinationem perpetuam vocasset, Gen.47. tandem ad patriam cœlestem deuenit, cum per mortẽ ad vitam transiuit, de quo nos historia prælecta docet. Tria autem erunt potissimum notanda hoc loco.

1. Quę mandata filiis suis dederit Iacobus moriturus.
2. Mors Iacobi quibus describatur circumstantiis.
3. Luctus Iosephi filij super obitu parentis.

I. Pars.

Iacobus moriturus variis pręceptis instruit filios suos, quorum hic vno tantum verbo meminit scriptura. Etenim non tantum ex instinctu Spiritus sancti vnicuique prædicit, quid posteris ipsius sit euenturum, sed etiam in fine ferè capitis verbis præcedentibus mandat, quo loco ipsum sepelire debeant, & quod maximè est verisimile, variis aliis præceptis ad pietatem & concordiam hortatur filios suos. Sicut eo ipso, quod de loco sepulturæ ipsos instruit, filiis suis promissionem Dei de terra Canaan, & alia hinc dependentia inculcare voluit. Et tum demum finitis variis & vtilibus præceptionibus atque admonitionibus sese componit ad mortem.

L. Rectè prius parentes omnia disponunt inter liberos, antequam ex hac vita discedant: ne post illorum obitum dissensiones oriantur inter liberos. Ideoque Abrahamus ante mortem separat filios concubinarum à filio Isaaco & de bonis disponit. Genes. 25. Et sic ipse Deus Hiskię præcipit, Dispone domui tuæ, quia morieris. Esa. 38. Præcidendæ enim omnes occasiones litium inter liberos.

Inprimis verò parentes hortentur liberos ad pietatem, & timorem Dei. Sic relinquent ipsis omnem benedictionem: quæ nunquam erit apud pios irrita. Malè igitur agunt parentes, qui vel lites serunt ipsi inter liberos, dum morituri iniqua vel iniusta præcipiunt: vel qui pietatis & timoris Dei nulla facta mentione, tantum de bonis inter hæredes liberos diuidendis sunt solliciti.

Liberi autem talia præcepta parentum, præsertim ea, quæ ad pietatem spectant, accuratè obseruent & memori mente teneant, si benedictionē Domini à piis parentibus hæreditare velint. Exemplo sint filij Rehob. Ierem. 35. vers. 8. & 18. 19.

II. Pars.

Nunc ad lectulum optimi Patriarchæ astabimus & obitum tanti viri considerabimus.

1. Dicitur collegisse seu contraxisse pedes super lectulum. Innuit autem Moses, Iacobum, postquam varia cum filiis loquutus esset, sensisse horā mortis appropinquantem, viribus corporis paulatim deficientibus. Ideoque paratus mori, sese placidissimè componit ad mortem tanquam ad quietem, & propterea sese reclinauit in lectum.

2. Et obiit siue expirauit placidè, non aliter ac si lucerna deficiēte oleo paulatim extinguatur. Er ist außgeloschen wie ein Liechtlein/ dicitur apud nos. Adeoque mortem vix sensit aut gustauit.

3. Quo autem peruenerit anima illius, additur. (De corpore enim defuncti Iosephus filius mandauit seruis suis. Ideoque de eo nihil in præsentia dicemus.) De hoc sic

ait

ait Moses, Collectus est ad populum suum, hoc est, ad cœtum electorum & beatorum aggregatus est.

L. Ecce magni etiam & piissimi Patriarchæ moriuntur, amici Dei charissimi? Quia & ipsi sunt peccatores. Rom.5. In omnes. Ergo nihil noui accidit nobis dum morimur. Patienter igitur feramus & cũ Iacobo prompto animo subeamus mortem. Hæc enim est omnis carnis via. Ios.23.1. Reg.2.

Non sum melior patribus, ait Elias. 1. Reg. 19.

Ergo nec tu illis melior. Quorsum igitur ita trepidas, cohorrescis ad mentionem mortis, reluctaris., & effugere conaris? Non decent hæc Christianum. Vincendum fide in eum qui vicit mortem. Et si infidelis ille Rex Agag tam est præsenti animo, vbi se videt occidendum (1. Sam. 15. v. 32.) quid ni Christianus magno animo mortis contemnat aculeos; cum Christus hos contriuerit. Ose. 13. 1. Cor. 15?

L. II. Plerunque placida est mors piorum. De quo vide sup. classe 2. in Dispositione Thematis 2.

L. III. De phrasi hac vsitata scripturæ, Collectus est ad populum suum, vide class. 1. Disp. Them. 1. Part. 1. & class. 2. Disposit. Thematis 3. Parte secunda.

III. Pars.

Morituro parenti Iacobo astat filius Iosephus, & sicut patrem ardentissimo amore viuum semper fuit complexus, ita super faciem mortui gemens & collachrymans irruit, eumque deosculatur & sic vltimum dicit vale. Nec hac in parte fucum facit spectatoribus, sed seriis gemitibus & lachrymis imo corde fusis hæc agit.

I. Videmus longè alium fuisse in pio Iosepho affectum, quàm est in multis filiis nostro seculo. Ille multis lachrymis deplorat parentem. Nostrates multi vix risum continere possunt, si quando parentes viderint efflare animam. Vel si lachrymas fundunt, propter præsentes illud faciunt. Et sunt Crocodili plerunque lachrymę

Eſtque illis admodum iucundum ſpectaculum, ſi videant mori parentes. Quia feſtinant ad hæreditatem, quam ſæpè viuis parentibus adire non verentur. At quam illis maledictionem minatus fuerit Salomon, vide Prou. 20. v. 21.

Vehementer enim Deo diſplicet hæc ἀστοργία, quam quidem Paulus prædixit, 2. Tim. 3. v. 2.

Lugendi itaq; parentes, præſertim benè de nobis meriti, & qui benedictionem Domini nobis relinquunt. Si enim alij boni viri defuncti ſunt lugendi, Syr. 38. v. 16. magis certè parentes. Memoria illorum ſemper infixa animis noſtris maneat, vt illorum pietatem & virtutes imitari ſtudeamus. Nec illos iam ſepultos afficiamus ignominia. Hoc eſt verè oſculari ipſos mortuos.

Impij autem filij ſua improbitate nomen maiorũ conſpurcantes, quid faciunt, niſi quod iuxta Prouerbium in patrios mingunt cineres.

THEMA VIII. CLASSIS II.

Ex Gen. 50. à verſ. 21. ad finem.

De ætate, vltima voluntate, morte & humatione Ioſephi. Et habitauit in Ægypto cum omni domo, &c. vſque ad finem.

DISPOSITIO.

De Ioſepho filio Iacobi referunt fratres ad parentem, Filius tuus viuit, & dominatur in omni terra Ægypti, Geneſ. 45. Nec quicquam præter veritatem retulerunt. Erat enim Dominus & Princeps Ægypti, & proximus à Rege, declaratus pater patriæ. Eſtque hoc Regis mandatum, vt abſq; imperio Ioſephi nemo moueat manum aut pedem in vniuerſa terra Ægypti. Sic enim habent verba Textus, Gen. 41.

Atqui tantus non eſt, qui poſſit imperare morti: ſed cui omnis Ægyptus paret, is mortis ſubiacet imperio, vt patet ex hiſtoria præſenti. Diligenter autem conſiderandus obitus magni huius viri, qui numeratur inter ſanctiſ-

ſimos Patriarchas & viros Dei, nec immerito. Dicemus autem 1. de ætate. 2. de vltima voluntate. 3. de morte. 4. & humatione Ioſephi.

I. Pars.

Poſt mortem patris Iacobi in Ægypto Ioſephus cum omni ſua familia habitat, & fratribus quoq; atque ipſorum familiis proſpicit de omnibus neceſſariis, quoad vixit. Vixiſſe autem legitur annis 110. Noſtro tempore videtur quidem ætas ſatis prouecta, at tum alia erat ratio. Hanc tamen benedictionem expertus eſt, quod cum magna voluptate vidit non filios tantum adultos, ſed filiorum filios, & qui ex his nati ſunt. In familia Ephraim vidit abnepotes ſuos. Ex Manaſſe vero pronepotes in genibus ſuis videt, atq; dulciſſimos illos nepotes, (quod ſcriptura innuit) in ſinu ſuo cum ſumma voluptate complectitur. Et impletur ſtatim hoc loco benedictio illa patris Iacobi ſuper Ephraim, Gen. 48.

L. I. Videmus, quomodo ſemper anni vitæ humanæ decreſcant. Auus Ioſephi compleuit annos 180. Pater verò Iacobus vixit annis 147. At Ioſephus minor eſt auo annis 70. & patre 37. Quod ſi tempore Moſis anni hominis fuêre 70. aut ad ſummum 80. quid mirum, ſi iam 60. annis abſoluatur vita noſtra. Quia igitur pauci dies hominis, benè collocandi, & ſtatim à pueritia aſpirandum ad veram Dei cognitionem, & pietatis ſtudium, ne ſenectus incautos opprimat, & ab his ſtudiis abſtrahat, Eccleſ. 12. Ioſias puer quærit Dominum, 2. Par. 34.

L. II. Eſt & manet hæc Dei benedictio inter corporales non minima, videre filios filiorum, de qua Pſalm. 128. Aſt ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. Non igitur mirum, ſi multi hac benedictione careant, & qui liberis non carent, benedictionem tamen in illis non ſentiant, cum frugi nō ſunt. Quia parentes non fuêre timentes Dominum, nec in timore Domini educarunt, iuxta præceptum Pauli, Eph. 6. v. 4. Poteſt tamen fieri, vt etiam

pij ſint ἄτεκνοι, vel habeant liberos inobedientes, vt ipſe Iacobus. Nouit Dominus huius rei cauſas. Saluti tamen piorum nihil derogant.

II. Pars.

Ioſephus moriturus fratribus in memoriam reuocat promiſſionem diuinam, factam Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo, Gen.15.26.& 28.de poſſeſſione terræ Canaan. Ideoque mandat, vt ex Ægypto aſcenſuri in terram promiſſam poſt aliqua ſæcula, oſſa ſua ſecum auferant, & in terra Canaan ſepeliant. Et hanc voluntatem pii Ioſephi vltimam exſequutus eſt Moſes, de quo Exodi 13.v.19.

L. Non reprehendendus Ioſephus, quod cupit cum patrib. ſuis ſepeliri in terra promiſſionis. Et licet idipſum etiam omnib. Chriſtianis petere à ſuis, ſi modo non deſit occaſio. Fuit hoc ſolēne apud Patriarchas, quod cum ſuis voluerūnt ſepeliri. Videmus exemplum Iacobi, Gen. 47. v.30. qui adiurauit filium, ne ſepeliret ipſum in Ægypto.

Eſtq; pars aliqua benedictionis, inferri in ſepulchrum patrum. Quod patet ex contrario, 1.Reg.13.v.22. non inferetur corpus tuum in ſepulchrum patrum.

Eſt autem hæc benedictio corporalis tantum, quæ interdum etiam piis negatur, nec tamen ſaluti ipſorum officit. Et quibus hoc non datur, illi ſciant Domini eſſe terram, & omnē illius plenitudinem, Pſ.24. Nec multum refert, quo qs loco ſepeliatur, ſi in vera fide obdormiuerit.

Abſit autem à nobis ſuperſtitio illa, quam multi in ſinu fouent, quod putant non tantum magis honorificum eſſe ſepeliri in loco conſecrato, (vt vocant) ſed etiam ſaluti defunctorum loci conſecrati ſanctitatem aliquid conferre. Scimus per Chriſtum omnia piè defunctorum ſepulchra eſſe ſanctificata, vt ſint ipſis ſancta κοιμητήρια, Eſa. 56. ex quibus reſurgere debeant incorrupti & immortales, 1.Cor.15.

III. Pars.

Tandem de Ioſepho dicitur, Et mortuus eſt. Nec liberat

rat ipsum à morte pietas insignis, nec summa dignitas, nec communis terræ Ægyptiacæ salus, &c. Terra enim est, & in terram reuerti debet.

L.I. Commune hoc habet vir hic magnus & piissimus cum omnibus Maioribus suis, quorum duo Catalogi recensentur, Gen 5. & 11. Est enim via omnis carnis, 1. Reg. 2. Ios. 23. Et mors nemini parcit. Mors seruat legem, tollit cum paupere Regem.

Monentur ergò illustri, nobili & magno loco nati, & qui ad summos honores sunt euecti, nihilominus tamen ipsis esse moriendum. Illa meditatio faciet, vt corde sapienti discant ambulare, Psalm. 90. v. 12.

De his omnibus alias plura.

L. II. Viuit tamen adhuc idem Iosephus cum omnibus beatis Maioribus, nec laus illius vnquam interibit in terris. Tantæ enim virtutes in ipso sunt conspectę, quę illum immortalem reddiderunt. Laudanda illius pueritia, cum fratrum scelera proderet patri, Gen. 37. & promptitudo in exsequendis mandatis patris, Ibid. v. 14. Celebratur illius in officio fidelitas, castitas, & patientia, Gen. 39. Prouidentia item, & cura pro populo sedula, Gen. 41. Pietas erga parentem, ἀμνηστία & obliuio iniuriarum erga fratres, humilitas erga omnes: & quæ est omnium istarum virtutum fundamentum, Timor Domini, Gen. 50. Has & alias complures virtutes imitentur, qui immortalitati suum nomen voluerint consecrare.

IV. Pars.

Mortui Iosephi patris patriæ corpus aromatibus conditur: & propter spem resurrectionis, & vt à putredine conseruaretur, quamdiu posset. Et reponitur in loculo, atque certo quodam loco in Ægypto asseruatur, vt possit suo tempore inde asportari in Canaan: quod factum esse Exod. 13. supra diximus.

Locvs est, Corpora defunctorum honestè tractanda. Partim vt sic nostrum amorem erga ipsos testemur, præ-

præſertim ſi patriæ patres, vt Ioſephus, vel parentes, vel benè de nobis meriti ſunt. De his Syr. 38. v. 16. Partim vt de mortuorum reſurrectione ſpem ſic alamus & augeamus. Vide 1. Cor. 15. Semen.

Bifariam autem peccatur à noſtris vt plurimùm. 1. Alij enim planè negligunt defunctos, & ſine omni honore ſuos ſepeliunt: vel, vt nummis parcant, vel quod oderint defunctos, vel tamen, quod tales non curent.

2. Alij verò in exceſſu peccant, & ad oſtentationem omnia faciunt, & defunctorum corpora vel ſepulchra nimis ſumptuoſè ornant. Modus itaque ſeruandus, & pro conditione cuiuſq; perſonæ agendum.

FINIS.

Thema IX. Classis II.

Numer. 33. v. 38.

Aaron aſcendit montem Hor, & moritur ibi anno ætatis 123.

DISPOSITIO.

In hoc capite Numerorum deſcribitur mors Aaronis, ſummi Sacerdotis, fratris Moſis, quæ in eodem libro iam ante etiam deſcripta extat, cap. 20. Non autem ſine cauſa bis idem repetitur. Etenim ſingulari decreto Dei Aaron hoc ipſo loco, & hoc tempore moritur: quod exprimitur loco iam citato. Singula penè verba ſuas peculiares circumſtantias inſerunt, quas iam ordinè excutiemus, & ſingulis ſuas doctrinas ſubiiciemus.

VIDEAMVS.

1. Aſcendiſſe legitur Aaron in montem Hor: in quo tum nihil illi erat negotij, niſi vt moreretur. Et ſcit ſanè Aaron ibi ſibi moriendum, quamprimùm aſcenderit. Mirum igitur cuipiam videri poſſet, cur non fugerit, & hunc montem auerſatus fuerit: præſertim cum à fratre Moſe intellexerit, in hoc ipſo monte ſe obiturum diem ſuum, Num. 20. At textus cauſam habet huius aſcenſus in montem,

tem, iuxta mandatum Domini. Mandauerat hoc ipsi Dominus per Mosen, vt ascenderet & moreretur. Paret huic mandato Aaron promptissimo animo, nec moras nectit, nec excusationem aliquam prætendit, nec alium locum eligit, nec reluctatur, &c.

L. Mors alacriter & prompto animo subeunda, vbi hora aduenerit. Cogitandum enim, Hoc est mandatum Domini. Graue istud quidem carni & sanguini. Vide quomodo effugia quærat bonus Hiskias, quomodo trepidet. Esa. 38. v. 3. Et nemo nostrum nisi coactus hunc montem conscendisset. At vincenda tamen & superanda omnia, quæ nos remorantur, hac vna ratione, Hoc mandat Dominus. Hæc est voluntas ipsius. Huic nec possum nec volo resistere.

Viuum igitur te licet velint vxor & liberi, iubeant amici, bona tua, &c. omnia tamen frustrà tentabis, si Dominus diuersum iusserit. Tu extremum illis mox dicas vale. Curabit illos Dominus. Iudex viduarum & pater orphanorum. Ps. 68. Et in hunc montem necesse est te ascendere, Domino mandante, vtcunq; relucteris. Est enim Dominus vitæ & mortis potestatem habens Syr. 11. v. 14. & Sap. 16. v. 13. Ideoq; qui te viuere voluit idē etiam te vult mori. Dic igitur, Fiat quod bonum est in conspectu Domini.

Resignare enim debes & vitam & omnia tua in Dei tui manum. Exemplum habemus 1. Sam. 3. v. 18. vbi dicit: Ipse Dominus faciat, quod lubet. Huic affine est illud, 2. Sam. 15. Dauidis, Ecce præstò sum, &c.

2. Mortuus legitur Aaron ibidem, in monte Hor. Quare hoc loco & non alio? Quia tum in extremis finibus Edomitarum substiterant Israelitæ, & mox post ingressuri erant terram promissam. Antequā autem ingrederentur terram Canaan, moriendum erat Aaroni, quia hoc ipsi denuntiatum fuit à Domino, in pœnam incredulitatis, seu inobedientiæ. De quo Num. 20. legitur integra historia.

Sed quod locus, idipsum & tempus obitus ostendit. Mori-

Moritur enim anno ipſo quadrageſimo egreſſionis filiorum Iſrael ex Ægypto. Hoc enim anno finiebatur terminus circumuagationis in deſerto, & mortis omnium eorum, qui contra Deum murmure iſto peccauerāt, de quo Num.14. Et hoc ipſum etiam Hieronymus in Epiſtola ad Fabiolam, de 42. manſionibus Tomo 4. animaduertiſſe videtur, vbi ſic inquit: Moriebatur eo anno, quo nouus populus repromiſſionis terram intraturus erat, in extremis finibus terræ Idumæorum. Vt autem intelligatur, quàm exactè Deus obſeruet puncta temporis, quo ſe aliquid puniturum prædixit, additur hic dies & menſis. Obiit enim Aaron prima die, menſis quinti, anno quadrageſimo. Innuit ſcriptura, nondum penitus elapſo anno poſtremo, (quo finito ingrediebantur Canaan) moriendum fuiſſe Aaroni, vt intelligerent omnes, Deum in ſeruandis ſuis comminationibus eſſe veraciſſimum, neque vnquam obliuiſci eorum, quæ ex ore ſuo exierunt.

LOCVS. Generaliter quidem ſtipendium peccati mors eſt, Rom. 6. At certis peccatis etiam mors accelerari poteſt. Moſes & Aaron non fuiſſent prius mortui, quàm terram Canaan ingreſſi eſſent, ſi non infidelitate ſua Deum offendiſſent, ad aquas contradictionis, Num.20. At qui pœnitentiam agunt, cum Deo in gratiam facilè redeunt, vt mors ipſis tranſitus ſit ad vitam, ſicut Moſi & Aaroni. Qui verò cupit viuere ad longam ſenectutem, Deum timeat, & caueat peccata. His promiſſa eſt longæuitas, Prouerb.3.v.2. & 9.v. 11. vt & illis, qui parentes honorant, Epheſ.6. Exempla autem plurima leguntur eorum, quibus dies vitæ abbreuiatæ ſunt propter peccata, Ger & Onan, Gen.38. Nadab & Abihu, Leuitic.10. Ophni & Pinehas, 1. Sam. 2. Doloſi non dimidiabunt dies, Pſal.55.

Hoc loco reprehendi poſſunt ij, qui ebrietate, ſcortatione, iracundia, odio, inuidia, aliiſq; peccatis cōtra conſcientiam, ſibi vitam decurtare ſolent. Niſi reſipiſcant, etiam mors ſecunda, Apoc.21. illos mortuos excipiet.

Quod ſi pij interdum abripiuntur præmatura morte, habet

habet Deus eius rei causas, & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, Rom. 8.

3. Mentionem etiam facit scriptura ætatis Aaronis. Dicitur enim mortuus anno ætatis 123. Et hoc consolationis alicuius causa haud dubiè scriptura adiecit, innuens, licet diutius potuisset viuere Aaron, tamen illum ad summam peruenisse senectutẽ, & sic cursum suum compleuisse. Nostrates dicunt, Es ist jhme nicht vmb viel jahr vnrecht geschehen. Ideoq; ipse bonus Aaron sententiam mortis æquo tulit animo.

Locvs. Tametsi (Cicerone authore) nemo tàm senex sit, qui se annum non posse viuere putet, tamen vnusquisque, siue senex, siue iuuenis sit, cogitet, se satis esse senem, & sat temporis compleuisse, si Deus ipsum velit mori. De quo Sapient. 4. v. 13.

Senes autem maximè decet, Deo ex hac vita euocaturo obedire, cum iam huius lucis vsura satis diu ipsis concessa fuerit. Nouerũt enim hoc, semel ipsis moriendum. Et ad summum ipsos viuere posse 70. aut 80. annos. Nihil etiam præter laborem & dolorem (Psalm. 90.) ipsis expectandum. Ideoque iucunda debebat ipsis esse mortis recordatio, Syr. 41.

Stulti sunt, qui diuersum sentiunt senes, quia non didicerunt, quanta sit huius vitæ vanitas, & quanta alterius sæculi felicitas.

Thema X. Classis II.

Iosuæ vlt. vers. 29. Eadem ferè etiam leguntur Iudic. 2. v. 8.

De morte & sepultura Iosuæ.

NOTANDVM.

Non multum dissimile est hoc Thema (vt & sequens numero vndecimum) præcedentibus aliquot, videlicet, Classis I. Themati VII. VIII. XI. Et Classis II. Themati IV. & VIII. Ideoq; in tractatione horum erimus breuio-

uiores, ne eosdem locos cum tædio lectoris sæpius repetamus.

DISPOSITIO.

Singulare fuit priuilegium optimi Iosuæ, quod cum cæteri Coætanei ipsius omnes in deserto periissent, ipse solus cum Calebo terram Canaan ingressus est, & partem hæreditatis in ea possedit. Quæ fuerit huius rei causa, videatur Num. 14.

Atqui nec in ipsa terra Canaan perpetuo illi viuere datur, sed tandem inde etiam euocatur per mortem. Idque legimus hoc loco & Iud. 2.

Describitur autem primo loco mors, Deinde etiam sepultura illius.

I. *Pars.*

Iosua fuit fidelis famulus Mosi, rebus grauissimis adhibitus, & inter exploratores terræ Canaan ipse cum Calebo delectus, populum rectè instruit, postea etiam Dux populi constituitur, eumq; in terram Canaan, deuictis multis Regibus atq; populis introducit. Tandē celebratis comitiis omnem Israëlem multis verbis hortatur ne à Deo ad Idola deficiat, sed gratà mente ingentia Dei beneficia agnoscat. Vocatur hic vno verbo, Seruus Domini, fidelis scilicet, sicut Moses antecessor.

His omnibus ritè peractis moritur optimus Dux populi Israëlitici, heros fortissimus Iosua, anno ætatis 110. Eodem ætatis anno Iosephus legitur mortuus. Gen. 50.

L. I. Etiam magni viri, fortissimi heroes, pissimi Duces populi, de Repub, & Ecclesia optimè meriti moriuntur. Mors enim nemini parcit.

L. II Ad iustam ætatem viuere permittit Deus bonos principes, & alios Ecclesiæ vel Reip. ministros fideles atque vtiles, vt diu possint facere officium, Deoque inseruire & multis benefacere.

L. III. Viuunt coram Deo & omnibus bonis, qui ad exemplum Iosuæ benè præfuerunt Ecclesiæ vel Reip. & perpe-

perpetuis laudibus celebrantur omni tempore, Psal.112. Illorum pietas & virtus omnibus imitanda, quæ immortales facit homines.

L. IV. Quia post mortem talium virorum plerumq; mala imminent Ecclesię vel Reipub. rogandus Dominus, vt tales diu conseruet. Viuente Iosua populus Deo seruit, ipso mortuo mox ad Idola sese conuertit, vt patet ex libro Iudicum. Idem de Ioiada dicitur, 2.Reg. 12.v.2. & 2. Par.24. Sic de cæteris.

L.V. Cum mortales videamus esse tales heroas, rogandus Dominus, vt illis deficientibus, semper alios idoneos substituat, atq; donis necessariis instruat, suoque spiritu regat, vt multis prosint.

Hæc omnia & singula in Dispositionibus suprà allegatis, vt & aliis, copiosè iam sunt pertractata.

II. Pars.

Iosua mortuus honorificè sepelitur in loco habitationis, videlic. ciuitate Timnathseres, quæ sita erat in monte Ephraim.

Nota. In gratiam eorum, qui allegoriis delectantur, volui adiicere locum Lyræ super secundum caput Iudicum, vbi eadem historia de sepultura Iosuæ extat, si inde forsitan nonnihil colligere velint. Sic autem habet. In Hebræo habetur sic, in Tamnath Heres, id est, in Tamnath solis: Quod sicut dicunt Hebræi, super sepulchrum Iosuæ fuit posita similitudo Solis in memoriam illius facti mirabilis, quod fecit stare solem, Iosuæ 10. Vt omnes transeuntes lugerent mortem tanti hominis, per quem Dominus talia fecisset. Et ideò ciuitas illa sic vocata est, quæ prius Tamnath Sare vocabatur. Hæc ille.

LOCVS aliàs hinc natiuus is surgit, qui in Dispositionibus supra allegatis, præsertim verò classe I. Dispositione VII. parte II. de sepultura Samuelis, est pertractatus, videlicet, inter beneficia Dei temporalia & hoc numerandum, si contingat homini sepultura in terra patria, vel

loco optato,&c. Vide ibi. Felicior fuit Iosua hac in parte ipso Mose & Aarone, qui extra terram Canaan sepulti sunt. At quidcunque fiet de corpore nostro, hoc tamen agendum, vt anima in sinum Abrahæ per Angelos deportetur, vbi Lazarus solatio fruitur, Luc.16.

THEMA XI. CLASSIS II.

Ex Iudic. 8. vers. 32.

De morte & sepultura Gideonis.

DISPOSITIO EADEM FERE cum præcedenti.

Iud.6. Angelus Domini Gideonem vocat Heroem fortissimum. Et fuit sanè victor & triumphator bellicosus, qui vicit Midianitas hostes populi Dei. At hoc loco legitur superatus à morte.

Describitur autem 1. mors, 2. sepultura illius.

I. Pars.

Recenseri possunt apparitiones factæ Gideoni, & miracula in gratiam illius facta à Domino, Iud.6.7.& 8. Fuit in ipso zelus, destruxit Idola populi: & fortitudo. Nam hostes vicit & humiliauit, vt 40. annis non ausi fuerint hiscere contra Israëlem. Iudex populi constituitur. At dignitatem oblatam respuit, Iud.8.v.23.

In hoc grauissimè peccauit ante mortem, quod suo Ephod author fuit populo, vt cultum Dei peruerteret. At quia non tantum in senectute bona mortuus scribitur, sed etiam Hebr.11. inter sanctos Dei viros numeratur, ideoq; non est dubium, quin resipuerit, & cum Deo in gratiam redierit.

Posset hinc forsitan tractari LOCVS iste, qui Psalm.62. vers.10. habetur, Præclaros scilicet viros næuis non carere. Sed de morte illius præcipuè hìc tractatur: non de vita & rebus gestis. Deindè verò iidem hìc recurrunt loci, qui in parte prima Dispositionis præcedentis de Iosua sunt annotati. Est enim hic locus vt & persona priori

admo-

admodum similis. Ideò breuitatis causa priora non repetimus.

II. Pars.

Sepultus legitur Gideon in sepulchro patris Ioas, quod pro se suisque extruxerat in ciuitate Ophra.

Nota. Quia historia similis est præcedenti, ideoque Locus hinc quoque idem surgit, de quo in Thematis præcedentis parte secunda mentionem fecimus.

Thema XII. Classis II.

2. Samuel. 19.

Historia de Barsillai sene, & Dauide. A versu cap. 31. ad vers. 38.

DISPOSITIO.

Hanc de venerando sene Barsillai historiam, in funere senis defuncti explicare, operæ pretium esse iudico. Cum enim tãtus vir excellentissimo Regi Dauidi fuerit charissimus, dignus est, qui etiam apud nos summam inueniat commendationem. At non propter ipsius tantum laudes, sed magis propter nostram vtilitatem memoratu digna est historia.

Nos itaque 1. audiemus, quibus virtutibus venerandus hic senex fuerit præditus.

2. Quanta senectutis incommoda senserit.

3. Quæ illius in hac tam graui senecta fuerint meditationes. Warmit er in seinem Alter vmbgangen.

I. Pars.

Legitur Barsillai fuisse Gileadites, qui in Roglim habitauerit. Fuit is senex valdè, & octogenarius.

Est autem vir omni commendatione dignus. Scriptura illum vocat virum magnum valdè, dignitate & opibus clarum intelligit. Nec mirum, cum appareant in ipso virtutes tanto viro dignæ.

1. Liberalis est erga suum Regem. Sunt alioquin se-

nes tenaces, ſed hic multo tempore Regi exuli alimenta ſubminiſtrat: cum in Mahanaim exularet.

2. Nec facit hoc ſpe liberaliſſimæ compenſationis. Daß er ein wurſt in bach geworffen/vt dicitur prouerbio. Nam metus erat tum, ne Abſalom patrem omni regno exueret, & Dauid in exilio mori cogeretur.

3. In ſuper cum Rex vellet illius merita compenſare, non deprædicat ſed extenuat ſua officia, & reſpuit tam largam compenſationem. Quare redderet mihi Rex retributionem hanc? ait verſ.36. Aliis nunquam poteſt ſatis fieri, nec poſſunt ſatis laudare ſua merita. Nihil horum in Barſillai cernitur.

4. Barſillai magno gaudio afficitur propter Dauidem, quod regno reſtituitur: vt licet octogenarius & decrepitus, tamen ipſe Regem comitetur. Eſtque hæc charitatis nota in Barſillai, quod congaudet felicitati Regis.

5. Sed & Dauidis in vtraque fortuna fidus eſt amicus. Sicut afflictum in re incerta non deſerit & compatitur exuli: ita iam non inuidet Regi ſuam felicitatem.

6. Contentus eſt ſua ſorte ſenex: & cum Rex illum in aula viuere atque ſuæ menſæ adhibere vellet conuiuam: ille reſpuit & dignitatem, & omnes delitias aulicas. Eligit viuere in ſua domo priuatus, quod eſt humilitatis indicium. Nulla ergò in hoc viro arrogantia vel ſuperbia.

7. Quamuis ſenex, tamen non eſt moroſus, nec inhumanus, importunus vel immodeſtus, ſed affabilis, modeſtus & admodum vrbanus. Vides enim quam humiliter, quam modeſtè reſpondeat regi, & quomodo decenter omnia agat.

Locvs. Videmus hinc, quæ virtutes præter pietatem & timorem Domini (quo non caruit Barſillai) deceant ſenes. Eſt quidem & eſſe debet ſenectus per ſe venerabilis. Ideoque ſenibus honorem haberi vult Dominus. Leuit. 19. verſ.32.

At multi ſenes talibus laborant vitiis, quæ illorum canos miſerè ſolent fœdare. Non enim omnium ſenectus lauda-

laudabilis. Sap.4.v.8. Cum tamen multarum querelarum culpa non in ætate, sed in moribus sit.

Vita inculpata vera est canicies, inquit Sapientia ibidem. Pertinent autem hæc ad vitam inculpatam, quæ in Barsillai sene vidimus, præsertim si ditiores sint.

1. Senes non sint tenaces. 2. non turpis lucri cupidi. 3. non amore pecuniæ benefaciant amicis: Est enim auaritia radix cæterorum malorum.1.Tim.6.

Sed sint liberales, pro facultatum ratione. Non parcant nummis, ne quo minus viæ restat, eò plus viatici quærere videantur. Maximè verò miseris, egenis, afflictis succurrant, & aquas suas deriuent foràs: de abundantia sua benefaciant. Prou.5.v.16.& 2. Cor. 8.4. non deserant amicos in rebus incertis, sed & cõpatiantur afflictis. Flete cum flentibus Rom.12.v.15. & vicissim.5. congaudeant illorum felicitati. Non sint inuidi,quod vitium alioquin nonnullos senes torquet. 6. Caueant sibi ab omni superbia & arrogantia,viuant sua sorte contenti. 7.Et non sint morosi, inhumani, inurbani atque ἄστοργοι.

Sic erunt venerabiles,&Deo atque hominibus chari& grati.Quãuis enim hæ virtutes omnes homines deceant, maximè tamen senes ornant. Hi etiam bono exemplo cæteros iuniores informare debent.Experientia illos docuit, qua ratione laudem possint parare. Ideoq; non merentur excusationem si non faciant officium Quos verò his virtutibus videmus præditos senes,duplici honore dignos censeamus. Ab illis etiam discere non vereamur.

II. Pars.

Cum Rex Dauid bonum senem Barsillai in aulam ad se recipere & mensæ suæ adhibere, sicque fidem & liberalitatem ipsius remunerari vellet: modestè sese excusat Barsillai, & se tanto loco indignum iudicat. Neq; etiam sibi in aula viuere iucundum asserit, cum in tam graui ætate multa sentiat senectutis incomõda, quæ recenset.

1. Non possum discernere inter bonum & malum.

Ego iam repuerascere incipio. Non ergo tibi possum esse Consiliarius.

2. Appetitus prostratus est. Cibus & potus non amplius sapit palato meo. Deficit gustus. Sensus paulatim deficiunt.

3. Auditus grauis est: vt non possim Musicos cum voluptate audire. Non delector multis aulicis voluptatibus

4. Præterea ego tibi in hac decrepita ætate non honori, sed oneri futurus sum. Ich bin der Kinder spott Tauge nit gen Hoff.

L. Videmus verè dici, quod senectus per se morbus sit. Et quod senectus sit hospes ingratus, qui licet multoties inuitatus cōpareat, tamen non placeat, & hospites alios ingratos secum ferat. Hanc vt adipiscantur omnes optant, eandem verò omnes accusant adepti. Videmus hoc loco quomodo omnes sensus paulatim deficiant, sed plura describuntur pondera amaræ senectæ, Eccles. 12. Et sanè auocat senectus à rebus gerendis, corpus facit infirmum, atque omnibus priuat voluptatibus: Senes bis pueri. Auditus hebetatur. Caligant oculi. Manus & pedes non faciunt officium. Graue fastidium est cibi & potus. Et si maximè velit cibum capere senex, edentulus tamen non omne genus cibi potest gustare. Quod si in ventrem traiiciatur, tamen tum stomachus non potest concoquere. &c. Et quod miserrimum in senecta est, sentit Barsillai atque omnis ferè prudens senex, se ea ætate odiosum esse alteri. Sæpè non peregrini tantum à consilio, sed & ipsi liberi parentem senem quasi desipientem à re familiari remouere student.

Dicuntur hæc eò, 1. vt non tantoperè flagitemus à Deo longam senectutem, quæ tot secum trahit incommoda. Si enim nonnulli senes, vt Moses, Abraham &c. hæc non senserunt onera, sunt tamen plures, qui hæc experti testabuntur esse verissima.

2. Tametsi autem hæc in senibus videamus, non tamen

tamen illi propterea ſunt deſpiciendi, ſed honorandi. Cum omnes optent ſenes fieri. Atque cogitandum iuueni, quod ſenex iam ſit id aſſequutus, quod ipſe ſperet. Et quod cum ipſe cupiat diu viuere, ille iam vixerit.

3. Tandem quot cuique temporis datur ad viuendum, eo debet contentus eſſe. Si breui vixeris, honeſte tamen agas, & piè viuas, vt Deo placeas, & æternum tibi detur illic viuere.

III. Pars.

Sed quibus tandem cogitationibus vel ſtudiis quod reliquum vitæ eſt, tranſigere cupit Barſillai? Cum non delectetur aulicis delitiis, nec aliis? Id vero ex ipſius ſermone percipitur. Eſt enim ſermo animi character. Sic igitur ait. Quot ſunt dies vitæ meæ vt aſcendam Hieroſolymam? Q. D. Iam mox mihi moriendum erit. Clarius autem aperit animum ſuum, obſecro vt reuertar ego ſeruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & ſepeliar iuxta ſepulchrum. &c. Hoc eſt, ego iam meditor diſceſſum ex hac vita, & mox colligendum me ad patres ſpero. His iam mortis meditationibus quod reliquum vitæ eſt tempus tranſigere vult bonus ſenex. Nouit enim quod haud procul abſit à morte.

Locvs. Quamuis meditatio mortis omnibus hominibus debeat eſſe frequens & ſolennis, vt ſapere diſcant Pſal. 90. verſ. 12. maximè tamen ſenes illa decet, qui longos vitæ dies ſperare non poſſunt. Licet enim iuuenes citò mori contingat, tamen ſenes non poſſunt ſibi longæuitatem inde polliceri. Et turpe eſſet ſenes vltrà diligere mundum, cui iam valedixiſſe debebant. Illi potius cum Simeone ſemper exſpectent dimiſſionem. Luc. 2. Et temporis tædium fallant quotidiana lectione, vel auditu tamen ſacræ ſcripturæ, inde fidem confirment, & ſacramentis vtantur tanquam viatico optimo: precibus Deum fatigent, & animam Deo commendent.

FINIS.

THEMA XIII. CLASSIS II.

Ex 1. Paralipom. 30. v. 28.

Mortuus est (Dauid) in senectute bona, plenus dierum, diuitiis & gloria.

DISPOSITIO.

Agnouit Dauid, mortem esse viam vniuersæ carnis, 1. Reg. 2. ideoq; & ipse illam viam ingressus legitur hoc loco. Paucula autem sunt verba, quæ Dauidis mortem ipsi non fuisse acerbam, innuunt: ea scilic. ostendunt, ipsum fuisse abundè cumulatum omnibus bonis. Quatuor illa vocabula ordinè explicabimus, & singulis doctrinas necessarias breuiter subiiciemus.

VIDEAMVS.

1. Mortuus legitur Dauid in senectute bona. Non in flore ætatis, non in medio cursu vitæ abreptus est, sed anno ætatis septuagesimo. Peruenit itaque ad vitæ terminum, qui Psalmo 90. dicitur fuisse ordinarius ferè plerisque eius temporis hominibus. Et mirum illum inter tot calamitates domesticas & alias, inter tot bella & difficultates peruenisse ad longam senectutem. Deus autem illi vitam prolongauit, vt regnaret super Israel annis 40. & sic populus post tyrannum Saulem fidum haberet pastorem.

L. Inter beneficia Dei temporalia hoc non est minimum, si contingat homini vita lõgæua, & bona senectus. Pietatis enim studiosis & seruantibus mandata Dei, & in specie liberis morigeris vitæ longæuitas promissa extat, Prou. 3. v. 2. & 4. v. 10. & 9. v. 11. Exod. 20. v. 12. Ephes. 6. v. 3. Deut. 5. v. 16.

Vicissim impiis minatur Deus vitæ decurtationem: vt dolosis, Psal. 55. & præfractis, Psal. 58. v. 9. & 10.

Videatur etiam Iob. 36. vers. 11. Exempla sunt Ger & Onan. Gen. 38. Hophni & Pinehas, 1. Sam. 3. Item, Absalon, Amon, Adonia, &c.

Inter-

Interdum tamen Deus discedit ab hac regula, & impiis vitam concedit longæuam, Psal.73. vt Ieroboamo, Herodi, & vicissim pios citò abripit, vt filium Ieroboam bonum, 1.Reg.14. & Iosiam Regem.

Habet autem Dominus etiam huius consilij causas. Impios sic vult ad pœnitentiam inuitare, Rom.2.v.4. cum non velit quenquam perire, 2.Pet.3.v.9.

Pios verò interdum abripit, vt non cogantur videre calamitates venturas. Patet id Esa.56. in fine. Sap.4. v.11. & 2.Paral.34.v.28. Quomodocunque igitur agat Deus cum suis, certum est, omnia diligentibus Deum cooperari in bonum, Rom.8.

2. Deinde legitur Dauid mortuus esse, cum plenus vitæ esset. Voll lebens. Eadem est phrasis cum illa, quæ de Patriarcha Abrahamo, vt & Isaaco legitur, mortuus est dierum satur, Genes. 35. & 25. Quibus verbis ostenditur, quod Dauid vir Dei, post tot huius mundi calamitates superatas, non optarit viuere diutius, sed hanc vitam pertæsus aspirauerit ad æternam.

LOCVS. Senes, & qui pleni dierum, monentur ex hoc loco, vt non tantoperè reformident mortem, cum satis diu vixerint, & cursum absoluerint, nec possint meliorem sperare fortunam, Syr.41. Meritò enim miseriarum satietas etiam vitæ satietatem facere debet. Et stultum oportet esse senem, qui mortem non contemnendam in tam longa ætate non viderit? Imò propterea mors appetenda, quia pios eò deducit, vbi sunt futuri æterni. Hinc illud Simeonis: Nunc dimittis, Luc.2. Et Eliæ, Tolle animam meam, 1.Reg.19.

De phrasi illa (Satur dierum) videatur etiam Classis II. in Dispositione Thematis III. de Abrahamo.

3. Porrò mortuus etiam legitur Dauid plenus diuitiis. Etenim Dominus illi amplissimum illud regnum Israelis, & multas prædas hostibus ereptas, magnasque diuitias largitus est: cuius rei vel hinc coniecturam facere possumus, quod ad templi ædificationem reliquit filio

(vt patet ex 1. Paralipom. vltim.) in auro, millies millia & quingenta millia Coronatorum. Argenti summa est ter millia & quingenta millia Talerorum. Et dicit ipse Rex, se hoc in paupertate sua præparasse. 1. Paralip. 23. v. 14. Attamen moriturum Dauidem nihil remoratur tanta vis auri & argenti, quin illud relinquat & Deo euocanti obediat. Er hat dessen auch gnug gehabt. Comparauit etiam hos thesauros, non vt in illis senex quæreret voluptatem, sed vt ad cultum & templum sacrum à filio insumerentur.

L. Magnum Dei beneficium est, si det homini opes & diuitias, quibus ad mortem vsque liceat frui. Et pleriq; cupiunt relinquere thesauros liberis. Hæc autem ad salutem nihil faciunt: nec morituros iuuant nec comitantur. Ecclesiast. 5. vers. 14. Nudi egrediuntur. Iob. 1. v. 21. Imò sæpè morituris plus nocent quam prosunt. Etenim multi morituri inuiti relinquunt sua bona: & sic faciunt thesauri, quos post se relinquere coguntur, illis mortem acerbiorem. Quia aurum posuerunt spem suam dum viuerent. Iob. 31. v. 24. & cor apposuerunt, contra id Psal. 62. v. 11. Ideoq; illis accidit quod Matth. 6. habetur, vbi thesaurus ibi cor tuum.

At cogitent diuitias nihil prodesse in die iræ. Prou. 11. Quærant ergo thesauros, de quibus Christus Matth. 6. v. 20. Et studeant diuites fieri bonis operibus. 1. Tim. 6.

Nec ponant spem in diuitiis sed in Deo. Et in primis recondant sibiipsis fundamentum bonum in posterum, vt apprehendant vitam æternam. Ibidem.

Magnus quæstus pietas cum animo sua sorte contento. 1. Tim. 4.

4. Tandem moritur Dauid plenus gloria. Etenim tulit ipsum Dominus de grege & fecit ipsi nomen, quale est magnorum in terra. 2. Sam. 7. v. 9. Quæsierunt illius amicitiam reges exteri: & fuit ipse etiam cæteris formidabilis. Atque sic gloriosus fuit in vita. Hæc tamen gloria

ria ipſum à morte non potuit liberare. Immortalitatem tamen eſt conſecutus. Cum pietas, prudentia, patientia, humilitas & cæteræ virtutes ipſius paſſim decantentur apud omnes.

Locvs. Inter temporales Dei benedictiones etiam hæc eſt, eſſe in vita glorioſum, & mori plenum gloria. Nihil tamen cõtra violentiam mortis temporalis valet gloria & honor. De quo Eccleſ. 6. v. 10. Interierunt enim laudatiſſimi quique. Ideoque qui in magnis dignitatibus ſunt conſtituti, meminerint ſe eſſe mortales: nec ſuperbiant. Viciſſim qui hîc non ſunt glorioſi, ſolentur ſe gloria reuelanda. Rom. 8. v. 18. Phil. 3. v. 20.

At hoc agant omnes, vt æternam conſequantur gloriam. Id quomodo poſſit fieri, patet ex 1. Sam. 2. Glorificantes me glorificabo. Contra verò ibidẽ dicitur, qui me contemnunt, erunt inglorii. De his ſæpè cogitandum.

THEMA XIV. CLASSIS II.

Ex Hiob 42. ver. vlt.

De morte Hiobis.

DISPOSITIO.

Dignus eſt Iob, cuius exemplum ſæpius ob oculos ponatur auditoribus in concionibus publicis: cum Deus ipſe Iobum cum Daniele & Noha proponat exemplum pietatis, Ezech. 14. Videmus enim in ipſo, quam variam fuerit expertus fortunam: & quid Diabolus, Deo permittente, poſſit in affligendis etiam piis hominibus. At in præſentia hæc, quæ in fine Iobis extant, conſiderabimus, & quæ finem vitæ illius complectuntur. Dicitur enim Prouerbio aliàs: Omnia tùnc bona ſunt, clauſula quãdo bona eſt. Wanns End gut iſt/ſo iſts alles gut. Eſt autem clauſula huius libri optima. Duo igitur erunt conſideranda.

1. Quamdiu Iob ſuperatis omnibus afflictionibus vixerit. 2. Deinde quomodo mortuus fuerit.

I. Pars.

I. Pars.

Iob fuit vir prouectioris ætatis cum affligeretur à Satana Deo permittente. Quod inde colligo, quia iam tum habuit filios & filias. Nec in cunis adhuc vagientes, sed adultiores. Etenim conuiuia iã agitabant, vt patet Iob. 1. verſ. 13. & 18. Illis tamen omnibus orbatus fuit vna die. Ibidem. Et magno quidem cum mœrore animi. Illorum enim iacturam pluris æſtimat, quàm omnis ſubſtantiæ. Nec immeritò. Quia autem hanc ſanè grauiſſimam tentationem patienter tulit, dicens; Dominus dedit, Dominus abſtulit: Sit nomen Domini benedictum, ideoque Deus non tantum illi alios filios filiasque pro defunctis repoſuit, ſed etiam vitã prorogauit ad multos annos, vſque dum etiam poſteriores liberi adoleſcerent. Quin imò etiã horum filios & nepotes ad quartam vſque generationem vidit.

Etenim vixit poſt reſtitutionem omnium 140. annos. Hinc colligitur ipſum vixiſſe temporibus Patriarcharũ, qui vltra centeſimum annum ſinguli vitæ ſuæ dies traduxerunt, præſertim ante Iacobum.

Sicut etiam ex patribus plerique ſtatuunt, ipſum poſt tempora Abrahami vixiſſe, vel Moſis fuiſſe coætaneum. Ieronymus certè ipſum de ſtirpe Melchæ ſeroris Saræ deſcendiſſe putat. Quia Hus & Bus fuerunt filii Nahor fratris Abrahami filii Melchæ. Iob autem in terra Hus ſeu Vz habitaſſe dicitur. Alii credunt ipſum deſcendiſſe ex poſteritate Eſaui, & fuiſſe illum Iobab, de quo Gen. 36. legitur. Et nonnulli ipſum Dinam filiam Iacobi vxorem habuiſſe ſtatuunt.

Vtut ſit, veri ſimile eſt ipſum vixiſſe annis ducentis circiter: ſiquidem cum liberos ruina domus oppreſſos amiſiſſet, quinquagenario minor non fuit.

Duplici igitur beneficio affecit ipſum Dominus poſt largiſſimam omnium compenſationem, hac etiam in parte, 1. quod fuit longæuus. 2. & multa prole beatus.

LOCVS I. Sunt hæc raræ benedictionis diuinæ haud con-

contemnenda argumenta, si vitam longæuam Dominus concedat. Notandum autem, hoc non tantum fieri propter ipsos senes, sed propter posteros maximè, vt hi à Maioribus instituantur & exerceantur in Religionis nostræ capitibus, quorum cognitio ad salutem necessaria est.

De Abrahamo dicit Dominus, Gen. 18. Scio quod præcepturus sit filiis & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini. Eratque id tum summè necessarium, vt posteri à Maioribus quasi per manuum traditionem acciperent miracula & facta Domini, cum non eadem tum liberorum ratio fuerit, quæ iam est. In mandatis etiam dederat Dominus Israelitis, vt posteros suos de beneficiis diuinitus acceptis erudirent. Deut. 4. vers. 10. & 6. vers. 7. Item Exod. 13. vers. 8. & 14. Deut. 32. vers. 7.

Quod si hoc officium senes non præstent posteris suis, certè malè collocant tempus vitæ suæ, & graues Deo super hac negligentia sunt reddituri rationes.

Neque verò tantum erudire suos in doctrina religionis, sed & quibuscunque aliis prodesse poterunt multis modis. 1. vel sanis consiliis Ecclesiam atque Rempub. iuuare. 2. vel tamen suis precibus (si aliter non possint) pro salute Ecclesiæ & priuatorum apud Deum intercedere. Sic enim versus habet, qui senibus εὐχὰς tribuit.

Sunt etiam senes non tantum propter ætatem & experientiam honorandi, sed etiam illorum præcepta sedulò obseruanda, & consilia ipsorum non aspernanda, Leuit. 19. vers. 33. & Prou. 16. v. 31. & Syr. 8. vers. 9. & seq. Exemplum. 1. Reg. 12.

II. Est & hoc gaudium senum, cum nepotes suos in aliquot generationes vident, magnum Dei beneficium. His quidem qui Dei dona grato animo agnoscunt.

Vide exemplum magnæ læticiæ. Ruth. 4. v. 15. & 16. De Iosepho scriptum Gen. 50. quod nepotes nati fuerint in genibus illius. Plura vide in huius Thematis de Iosepho tractatione suprà Classe II. Disposit. Thematis 8. & alibi etiam.

II. Pars.

II. Pars.

Tandem expletis omnibus diebus vitæ Iobis, legitur fuisse mortuus senex dierum satur. Licet enim post superatas calamitates grauissimas, singulari Dei benedictione, reliquos vitæ dies in magna voluptate potuerit transigere, tamen fuit in valle lachrymarum, & non extra omnem teli iactum positus. Ideoque tandem etiam hanc omnem vitam pertæsus moritur prompto animo, vt non optârit vel ad vnam horulam viuere diutius.

LOCVS. Tanta nunquam est felicitas hominis in hac vita, vt non vel tandem præsens sæculum fastidire incipiat, si bonus & prudens sit, qui super contritione Ioseph contristetur, Amos. 6. v. 6. Etenim quod optimum est in hac lachrymarum (Psalm. 84. v. 7.) valle, labor est & dolor. Psal. 90. v. 10. Et cumulum miseriæ etiam apud Reges felicissimos refert Syr. 41. v. 1. iuxta versionem Latinam.

Stultè igitur agunt nonnulli, quos nulla vnquam huius vitæ capere vult satietas, dummodò abundēt diuitiis, nec mori optant, sed semper in his terris viuere. Contra quam Paulus Phil. 1. v. 23. Elias 1. Reg. 19. v. 4. & Simeon Lucę 2. v. 29. fecerunt. De patribus enim piissimis, Abrahamo & Isaaco dicitur idem, quod de Iobe & Dauide, Mortuus est dierum satur. De hac phrasi Scripturæ supra Classe II. in Disposit. Themat. II. plura.

Posset etiam tractari Locus, quomodo Deus abundè possit compensare afflictiones piorum. (Iob sæpè de vitæ suæ breuitate conquestus est, Iob. 7. v. 7. & 9. v. 25. cum putaret sibi mox moriendum: Atqui iam plenus & satur dierum moritur.) Quibus autem hoc non contingit in hac vita, illi exspectent idipsum in altera, Rom. 8. vers. 18.

THEMA XV. CLASSIS II.

Ex Tob. 14. v. 16. vsq; ad finem.

De morte & posteritate Tobiæ iunioris.

Historia quam prælegimus, de morte Tobiæ sonat, quem

quem alioquin Iuniorem appellare solemus. At iam senex est ille, & centenarius (vno anno dempto) qui iunior vocatur. Describitur autem hoc capite, quomodo idem post mortem patris, Tobiæ senioris atque matris Hannæ, locum habitationis mutauerit, atq; ex Niniue ad socerum Raguelem cum vxore Sara commigrauerit, in Ecbatana Medorum, qui antea in Rages habitauerat, Tob. 3. ver. 7. Inde autem ipsum discessisse constat, ex Tob. 9. Sic verò parens adhuc superstes iusserat, vt ex Niniue mox iusto Dei iudicio interitura discederent. Additur autem in fine historiæ, quomodo hic Tobias in terra Medorum diem supremum tandem clauserit. Notanda porrò ex verbis prælectis hæc duo erunt.

1. Quæ de vita & morte Tobiæ scripta legantur.
2. Quid de ipsius posteritate historia nos doceat.

I. Pars.

1. Legitur Tobias vixisse annos 99. Multi certè anni, si ad nostra tempora velimus conferre, vbi ad summum 70. vel 80. annis finitur hominum vita, iuxta Psalm. 90.

2. Quomodo autem hic noster Tobias transegerit hos annos, additur: 1. In timore Domini. Hinc non mirum ipsum tamdiu vixisse. Timor enim Domini omnia bona secum fert, Syr. 1. v. 20. Et 2. Cum gaudio transegit vitam. Hoc enim secum fert timor Domini, Syr. 1. v. 11. & 12. & 18. At interim non est cogitandum, quod vita Tobiæ omnibus ærumnis & calamitatibus vacua fuerit. Vidit enim cum magno animi mœrore parentis cœcitatem & alias miserias. Sed bona conscientia cor illius timore Domini plenum ita sustentauit, vt semper magno (etiam in aduersis) & tranquillo fuerit animo. Ideoq; Dei fauore fretus nunquam abiecit animum, sicque lætus expleuit dies vitæ suæ.

3. Tandem verò piè in Domino mortuus, sepultus est ab amicis & posteris suis satis honorificè.

Locvs I. Magnum beneficium Dei est, viuere ad tan-

dam

dam senectutem. At multo maius hoc est, transigere omnes ætatis annos cum gaudio. Et id sanè vnicè optant, quicunque rationis expertes non sunt. Nihil enim in hoc mundo beatius, quàm si quis cum gaudio senescat. Videtur illud paucis admodum contingere. Docet igitur exẽplum Tobiæ nostri, quid faciendum vt cum gaudio senescere possit homo Christianus. At de gaudio interno & spirituali nobis sermo est. Timor autem Domini facit, vt semper hilari animo sit homo. Et propterea idipsum Paulus requirit Phil. 4. Gaudete in Domino semper, & iterum dico gaudete. Etenim qui Deum timet, à peccatis abstinet Syr. 1. v. 27. & Deo placet. Scit igitur se fide iustificatum habere pacem cum Deo. Rom. 5. Si autẽ Deus nobiscum, quis contra nos. Rom. 8. Dummodo te habeam non curo nec cœlum nec terram, Ps. 73. Ideoq; etiam crucis aliqua parte pressi, exultant tamẽ, & recreat illos bona conscientia, iuge conuiuium. Prou. 15. Et beatus qui bona fruitur conscientia. Felix qui non excidit à spe sua. Syr. 13, in fine.

Quicunque igitur cupis lætari, time Deum & in Domino lætetur cor tuum. Psal. 105. Lætetur cor quærentium Dominum. Psal. 5. Lætentur omnes qui sperant in te. Et infinita alia in Psalmis.

L. II. Amicos & posteros sepulturam suorum Maiorum curare debere, sæpius supra dictum est. Idque 1. propter eandem omnium fortunam, cum simus omnes mortales, & quisque hoc sibi fieri velit à suis. 2. propter certam spem resurrectionis. 3. ad testificationem amoris nostri erga defunctos. De qua re plurima extant in scripturis exempla. Gen. 25. & 35. & 49. Et alibi passim. Vide Syr. 38.

II. Pars.

Tobias mortuus post se reliquit liberos & nepotes plurimos. Vidisse enim legitur filios filiorum suorum in quintam generationem. De his iam porrò singulare aliquid narrat historia, hoc videlicet quod sequitur. Omnis autem generatio eius in sancta vita atque conuersatione per-

permansit. Rarum hoc exemplum. Sunt enim plerunq; heroum filij noxæ, & optimorum maiorum posteri degeneres. Multum tamen absque dubio facit apud posteros pia & fidelis institutio optimi Tobiæ. Et propter illum benedixit Deus posteris. Quid autem sanctitate vitæ & honesta conuersatione fuerint consequuti posteri Tobiæ, id etiam additur: ita vt accepti essent tàm Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra. Propter pietatem accepti erant Deo. Est enim pietas ad omnia vtilis, promissiones habens, 1. Tim. 4. Quia verò Deus in manu sua habet corda filiorum hominum, ideoq; inclinauit omnium animos, vt acceptos haberent posteros Tobiæ, eosque magno fauore complecterentur.

L. I. Videmus exemplum illius, quod extat Exodi 20. Deut. 5. Faciens misericordiam Dominus in mille generationes, in his, qui diligunt me, & præcepta mea custodiunt. Disertè id Dominus ostendit sæpissimè, quod propter Dauid seruum suum benefaciat regno & regibus Iuda, 1. Reg. 11. v. 12. & 34. & 36.

Ideoque qui optimè voluerint consulere posteritati, hoc agant, vt relinquant illis benedictionem Domini, non vt diuitias malè partas ad ipsos transmittant. Ipsi bono exemplo præsint suis & in studio pietatis semper ipsos iubeant pergere.

Qui verò ex piis & honestis maioribus prognati sunt, tum demum maiorum fælicitatem sibi polliceantur, si & ipsi vestigiis illorum insistant & in sancta conuersatione permaneant. Quod si verò ipsi degenerauerint à fide & pietate maiorum, non est quod sibi multum fælicitatis propter maiores polliceantur. Vide Ezech. 18.

L. II. Omnes optant esse accepti, & grati hominibus. Et dolent multi quod nullam apud homines possunt inuenire gratiam. At de posteris Tobiæ dicitur, quod omnibus in terra fuerint accepti. Vnde illis hæc gratia? Inde videlicet, quod primo loco ponitur, fuisse ipsos acceptos Deo. Placent autem Deo propter sanctam

conuersationem. Quicunque igitur cupiunt placere hominibus, primùm dent operam, vt Deo placeant. Is, si consultum hoc videbitur, inclinabit corda hominum, & inimicorum etiam, vt cogantur ipsis fauere. De hoc eleganter Prou.16.v.7. Exemplum de Ægyptiis in promptu est, Exod.11.v.3.& 12.v.36. Satis autem fuerit placuisse bonis. Mali enim non sunt curandi. Imò hoc potius sæpè cogitandum, si hominibus (puta malis & peruersis) placerem, Christi seruus non essem, Galat.1.

THEMA XVI. CLASSIS II.

Luc.2.vers.29.

Simeon: Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c.

DISPOSITIO.

Syrac.8. Noli contemnere sententias senum. Et Syr.9. v.21. Vbi consilio indigueris, à sapientibus pete illud. Hoc igitur loco habemus sententiam viri senis. Et quidem sapientis, cum Spiritus sanctus in ipso fuisse dicatur, Luc.2. vers.25. Pius enim est & Deum timens Simeon. Hic nos erudire poterit de re omnium grauissima, scilicet, quid de morte sit sentiendum.

Duo autem his verbis in Simeone erunt notanda.

1. Quam promptus & paratus fuerit mori.

2. Quid in ipso hanc animi promptitudinem excitarit.

I. Pars.

Acceperat Simeon hoc à Spiritu sancto, se prius non moriturum, quàm Christum viderit. Postquam igitur Christum puerum in vlnas accepisset, in hæc verba erupit. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.

1. Agnoscit se esse seruum Domini. Ideoque obligatum esse, vt mandata ipsius exequatur.

2. Quandocunque igitur iusserit ipsum mori, & ex hac vita discedere, paratum se esse. Et si nunc statim absque

que omni mora velit ipsum dimittere, se non repugnaturum. Paratum se omni tempore.

3. Non tamen velle se prius mori, quam dimittatur & (quod Græcum habet) soluatur à Deo. Si vltrà detinuerit se non cupere emigrare. Non cupit abrumpere vitam ante tempus.

4. In pace mori se velle addit. Quia impleta fuerit ipsi facta promissio (secundum verbum tuum) iam nihil esse amplius quod impediat, nihil quod remoretur, quod angat vel solicitum teneat vltra.

L. Vbi Deus nos voluerit euocare ex hac vita, decet nos esse promptos & paratos, exemplo pij Simeonis hoc loco. Populo suo dixit, Esa. 56. Vade intra cubicula tua, claude ostia, abscondere modicum. Hoc est mandatum Domini quod omnib. hominibus suo tempore dabitur.

Serui autem fideles expectantes Dominum, Luc. 12. semper parati sint iussa capessere. Oculi seruorum obseruant manus & nutum Dominorum, Psalm. 123. Ideoque nuntio mortis allato pareamus cum Simeone, si nunc vis me dimittere Domine, Ecce præstò sum. Fiat voluntas tua. Cupio dissolui, Phil. 1. In pace & absq; omni reluctatione moriar.

Psal. 4. In pace dormiam & requiescam.

Notandum hoc contra multorum impatientiam. Eiulant, repugnant, fugere tentant nonnulli, fremunt contra Deum, cum vident appropinquare tempus resolutionis.

Aliter Simeon, aliter Paulus, Phil. 1. aliter Petrus, 2. Petri 1. sensit. Intelligunt enim illi mortem esse solutionem & ἀπόλυσιν à laboribus, quod hic Simeon innuit, & quietẽ à laboribus & doloribus, Apocal. 14. Et ideò gemimus in hoc domicilio & superindui desideramus. 2. Cor. 5. Colliguntur enim boni ante malum, Esa. 56. vt in pace moriantur. 2. Paral. 34.

Vicissim autem quia seruo non licet iniussu Domini è sua statione decedere, non ex impatientia ante tempus

cupiamus excedere ex hac vita, sed dimissionem Domini nostri expectemus.

Ahitophel sibiipsi vitam abrumpit ante tempus 2.Sam. 17. Videtur etiam Elias ex impatientia quadam optasse mori, cum fugeret ab Isabele. 1.Reg.19.v.4. Quemadmodum & Rachel mori vult, si non grauida fieri possit. Gen. 30.v.2. Impatientia hoc exprimit. At tum expectanda dimissio Domini, vt bona cum pace illius emigrare liceat. Voluntati enim Domini nos seruos illius resignare conuenit. Is enim vitæ & necis potestatem habet. Syr.11.v.14. 1.Sam.2.v.6. Sap.16.v.13. Is mori facit homines & iubet reuerti alios. Psal.90.vers.3.

II. *Pars.*

Sed cum mors sit omnium terribilissimum malum, quę causa est quod Simeon tam alacri animo mortem expectat? Id docet nos quod sequitur. 1. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Saluatorem Christum, quem in carnem venire optabat Simeon, iam vidit & in vlnas suas accepit puerum, per quem ab æterna morte se liberandum firmiter credit. 2. Sed quid puer iste Simeoni præstaret? Fortasse propter ipsum non natus est? Imò verò. Paratus est omnibus populis. De quo Esa.49.v.6. Ideoque etiam Simeoni natus, & Simeonem quoque saluabit. 3. At quomodo saluare poterit puer senem Simeonem? Lumen est ad reuelationem gentium. Illuminat cœcas mentes Spiritu sancto atq; verbo suo, & in corde piorum hic sol iustitiæ lucet, vt Deum agnoscãt, credant in eum, & per fidem salutem consequantur æternam. 4. Mirum tamen quod hic senex tantoperè gloriatur in hoc puero? Imò vero idipsum rectè fit. Nam Christus paratus est in gloriã plebis suæ Israel. Non tantum in ipso gloriari possunt, quod ex illis secundum carnem Saluator natus est, sed magis quod sublato probro peccati & æterna confusione. Dan. 9.vers.7. Christus veram gloriam ipsis restituit.

I. Videmus hinc quid sit illud, quod Simeonem facit

cit promptum & paratum ad moriendum. Et id ipſum etiam nos in morte conſolari poterit.

Tria autem ſunt quæ mortem faciunt acerbiorem. Et his ſublatis illa erit iucundiſſima Chriſtianis.

I. In morte angunt nos peccata. Stipendium enim peccati mors. Roman. 6. Illa diuidunt Deum & nos. Eſa.59. At Chriſtus eſt SALVTARE noſtrum. Is omnia peccata poſt tergum proiecit, Eſa.38. verſ.17. In profundum maris, Mich. vltim. verſ. 19. Quis igitur accuſabit? Rom. 8. verſ.34. Sed nos non videmus Chriſtum ſicut Simeon, non in vlnas accipere poſſumus? Imò verò beati, qui non vident, & tamen credunt, Ioan. 20. Vlnis cordium excipimus ipſum. Et ne tentationes illæ oriantur in cordibus noſtris, Chriſtum eſſe Simeonis quidem Saluatorem, ſed non omnium etiam aliorum: ideoque manifeſtè dicitur, paratum illum ante faciem omnium populorum. Eſt enim propitiatio pro totius mundi pecatis, 1. Ioan. 2. Hoc vnuſquiſque etiam ſibi applicet, cum Paulo dicente, Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me, Galat.2. verſ.20. Hiob.19. Scio, quod meus redemptor viuit. Ergo nihil iuris in nos exercebit peccatum.

II. In morte etiam angunt tenebræ illæ, de quibus Pſal.23. verſ.4. Et Luc.1. v.79. Vbi iter periculoſum & dubium. At Chriſtus lumen & illuminatio noſtra, qui oſtendit viam quæ ducit ad vitam. De hac illuminatione Pſal.27. v.1. Ioan. 1. v. 9. Epheſ. 5. v.14.

III. Terret etiam morituros ignominia illa, de qua 1. Cor. 15. ſeminatur in ignominia, ignominioſum quidem eſt, vermibus eſcam fieri, & computreſcere corpus humanum, &c. At Chriſtus gloria plebis ſuæ ſepulchrum etiam ſanctificauit, vt cubile ſit piè defuncto, Eſa. 26. & 56. in quo tantiſper quieſcat, donec reſurgat in gloria, quod ſeminatum eſt, in ignominia, 1. Cor. 15.

FINIS.

II. SEQVVNTVR IN HAC CLASSE PAVCVLA QVÆDAM EXEMpla mortis & sepulturæ matronarum piarum, & senio confectarum, quæ themata in funeribus eiusmodi non inconuenientia suppeditare possunt.

THEMA XVII. CLASSIS II.

Ex Genes. 23. v. 1.

De morte & sepultura Saræ, coniugis Abrahami, &c.

DISPOSITIO.

Sæpius nobis scriptura commendauit Saram, non tantum ab eximia corporis venustate, Gen. 12. (quam etiam in senectute non amisisse asserunt Iudæi) sed etiam à pietate & reuerentia erga suum maritum Abrahamum, 1. Petri 3. v. 6. Atq; magna fuit vicissim Abrahami erga coniugem dilectio. Mors autem nec Abrahamo nec Saræ parcit: sed coniunctissimos soluit, & multo mœrore bonum Abrahamum afficit, cui (vt præsens lugubris historia docet) dimidiam corporis partem abripit.

Possunt autem tres partes historiæ tractari.

1. Obitus Saræ.
2. Luctus Abrahami.
3. Sepultura siue curatio funeris.

I. Pars.

Non sine causa Spiritus sanctus omnes circumstantias circa mortem Saræ considerandas accuratissimè descripsit. Et 1. quidem mentio fit ætatis Saræ. Moritur anno ætatis 127. & sic admodum senex. Propter insignem pietatem enim, & vt Abrahamus fideli adiutorio non priuetur, Deus illam ad longam senectutem viuere permisit.

2. Mortua autem est in terra Canaan: quæ promissa erat

erat filio Saræ, Isaaco & posteris. Gen. 17. v. 19. in qua tamen ipsa cum hero suo peregrinabatur.

3. Mortua autem legitur in Metropoli terræ Canaan, quæ primum Kiriath Arba, post verò Hebron dicta fuit. Abrahamus enim sedem denuò mutare coactus fuerat, nec sine molestia, cum ante habitasset in Gerar.

4. Moritur autem absente marito, quod illi haud dubiè fuit graue. Textus enim habet, Abrahamum superuenisse cum mortua esset. Non enim putabat Abrahamus peregrè absens, vxorem charissimam mox extremum diem clausuram.

L. Sed quorsum hæc de Sara tam accuratè annotata leguntur? Certè plurimarum matronarum mors in scriptura prçteritur. De morte Euæ, imò etiã ipsius Saluatoris Matris Mariç non verbũ quidem vllum facit scriptura. Sara autem admodum pretiosa fuit in oculis Domini, vt etiã filius Dei illi apparuerit in forma viatoris, Gen. 18. A Petro tanquam exemplar omnium sanctarum matronarum proponitur, & mater omnium fidelium vocatur, 1. Pet. 3. v. 6. Tamen legitur hîc fuisse mortua, sepulta, corpus illius corrosum à vermibus fœtet, & tandẽ planè consumitur. Hæc omnia nobis hanc præbẽt consolationem, quod cum etiã sanctissimos & Deo charissimos homines videamus mori quidem, at eosdem non interire, sed cum Deo viuere credamus, nihil dubitemus, quin etiam idem de nobis sit futurum. Mors à Christo nos non separabit, Rom. 8. Est quidem mors peccati stipendium, Rom. 6. At Christus aculeum mortis sustulit, 1. Cor. 15. Ideo Sara quidem moritur, sed viuit tamen cum Deo.

Idem de omnibus piis matronis futurum, nemo potest dubitare. Alacri ergo animo subeant mortem. Non cogitent se meliores esse Sara.

Exemplum autem Saræ imitentur omnes piæ matronæ, vt vtriusq; fortunæ fidæ sint maritis comites, omnem calamitatem patienter ferant, castitatem tueantur, fidem & spem retineant, atque tandem animam Domino

commendent. Sic etiam in resurrectione mortuorum cum Sara exultabunt.

II. Pars.

Abrahamus audiens Saram diem suum obiisse, domū properat, & magna super hoc vxoris obitu afficitur tristicia. Luget enim atque deflet suam Saram. Agnoscit se fidele adiutorium, vitæ sociam, dimidium sui amisisse. Dolet quod non potuerit consolari morituram, non oculos defunctę claudere. Dolet propter mortis sæuitiam, quæ propter peccatum in omnes exercet imperium.

Et seriò ipsum fleuisse super hoc tam tristi obitu charissimæ coniugis nemini dubium esse potest. At ita tamen moderatur luctum, vt non insurgat aduersus Deum. Dicitur enim surrexisse à funere. Cogitat 1. à Domino ipsam euocatam, 2. non interiisse sed resurrecturam, 3. & se illam recepturum in nouissimo die.

LOCVS Lugendi defuncti, amici, coniuges inprimis, cum duo sint vna caro. Christiani enim non sunt Stoici, aut ferrei vel saxei, sed natura illis στοργὴν naturalem induit: & charitas iubet vt alter alterius malis afficiatur. 1. Cor. 13.

Lugent Mosen, Samuelem, &c. omnes Israelitæ. Sæpè publicus indicebatur luctus. Ipse Christus flet ad sepulchrum Lazari Ioan. 11.

Peccant autem coniuges in vtramque partem. Alij super obitu alterius coniugis lætantur, & id vnicè optant, vt alterum mors abripiat. Si tamen non grauiora illi imprecantur. Bestiis hi sunt deteriores.

Alij non seruant in luctu modum, sed aduersus Deum murmurant, & consolationem non admittunt. Neque hoc placet Deo Syr. 38. v. 21. Non vt gentes quæ spem non habent. 1. Thess. 4. v. 13. Vide quid Deus præcipiat Prophetæ Ezech. 24. v. 15. Imitandus hac in parte Abrahamus. Explica hoc latius. Argumenta enim supra paucis annotata sunt.

III. Pars.

III. Pars.

Poteſt etiam tractari tertia Pars de ſepultura. Abrahamus honeſtè vult chariſſimam Saram ſepelire. Ideoque cum non haberet proprium fundum in hac terra, rogat filios Heth pro ſepultura. Et impetrata ſpelunca duplici Ephron pro 400. ſiclis argenti, ibi ſepelit Saram. Voluit in hac terra ſepulchretum proprium pro ſe & ſuis parare Abraham, vt teſtetur, ſe de promiſſione diuina (qua poſteris hæc terra promiſſa erat) prorſus nihil dubitare.

LOCVS. Curatio funeris & ſepulturę, olim etiam à piis Patriarchis & Regibus aliiſq; piis non negligebatur. Patet id Gen. 25. 35. 50. Iud. 2. & 8. 2. Chron. 16. Ioan. 11. Luc. 7. v. 11. Idem & nos obſeruemus: 1. propter certam ſpem reſurrectionis. 2. & vt amorē teſtemur erga defunctos, &c.

Hæc autem viuorum ſunt ſolatia, non mortuorū ſubſidia, vt ait Auguſtinus. Vide lib. de cura mort. cap. 2. Et de Ciuit. Dei lib. 1. cap. 12. Ideò quibus hoc à Deo negatur, iis non propterea ſalus etiam denegatur: dummodo anima Deo commendetur. De cæteris aliàs.

FINIS.

THEMA XVIII. CLASSIS II. Numer. 20.

De morte & ſepultura Miriam.

DISPOSITIO.

Scriptura ſacra ſæpius non Moſis tantum & Aaronis facit mentionem, ſed etiam ſororis, quæ haud raro cum ipſis coniungitur, cuius nomen erat Miriam, Num. 26. v. 59. & 1. Par. 6. Creditur hęc fuiſſe illa virgo, cuius Exod. 24. meminit Moſes, quòd cum ipſe infans aquæ expoſitus fuiſſet, illa vocauerit matrem, quæ ipſum lactaret. Aliam enim ſororem habuiſſe non legitur. Sic itaque ipſa Miriam grandior natu erat Moſe aliquot annis. Adiungitur etiam fratribus, Mich. 6. v. 4.

At ſicut Moſes & Aaron in deſerto moriuntur, antequam ingrediantur terram Canaan, ita quoque ſoror ipſorum Miriam eodem deſerto moritur, & ipſius atque fratris Aaronis mors vno eodemque capite deſcribuntur. Atque initio quidem capitis Miriam, in fine verò Aaron obiiſſe legitur.

Nos itaque 1. mortem huius Prophetiſſæ. 2. & ſepulturam quoque illius conſiderabimus.

I. *Pars.*

Primùm legitur Miriam diem ſuum obiiſſe in deſerto Zin, quæ erat 32. manſio populi Iſraelitici. Iſtud deſertum etiam vocabatur Cades, quia pertingebat vſq; ad Ciuitatem Cades, vnde nomen accepiſſe putatur. Porrò ſicut locus ita & tempus mortis Miriam annotatur. Etenim menſe primo, anni ſcil. quadrageſimi ab exitu in Ægypto, dicitur mortua. Eodem enim anno Aaron frater mortuus legitur menſe quinto. Et hiſtoria mortis illius in idem caput incidit, quo etiam Miriam legitur mortua. Atque ſic quatuor menſibus ante fratrem mortua eſt Miriam. Eadem igitur eſt fortuna ſororis quæ fratrum, vt nec ipſa ingredi debuerit in terram Canaan. Licet enim non legatur diffidentia ſua ad aquas contradictionis peccaſſe, tamen alias ſuo etiam murmure aduerſus fratrem offendit Deum. Num. 12. Fuit alioquin Miriam celebris apud Iſraelitas, non tantum propter fratres, viros excellentiſſimos, Moſen Ducem, & Aaronem Sacerdotem, ſed ipſa quoque erat Prophetiſſa, ſicut vocatur Exod. 15. v. 20. Hoc dono Prophetiæ ſingulariter à Deo ornatam fuiſſe conſtat. Moritur autem, quia peccatrix & filia Heuæ.

LOCVS I. Voluit non tantum in hac muliere, ſed & in aliis quibuſdam, vt Debora, Hanna, &c. quarum ſcriptura honorificam facit mentionem, Dominus ſignificare, etiam ſexum muliebrem ſibi eſſe gratum & acceptum, & ſe non viris tantùm, ſed & mulieribus ſingularia & miraculoſa ſua dona conferre poſſe.

Con-

Consolationem hæc præbent mulieribus piis, quæ sæpè anguntur animo, quando cogitant, non tantùm à muliere initium peccati, sed & totum sexum grauissimis infirmitatibus, atque etiam viri potestati subiectum esse propter peccatum. Hinc colligere volunt, Deum magis infensum sexui fœminino quam masculino. Dubitant interdum an salutis etiam æternæ participes sint futuræ. At multis documentis testatum fecit Dominus, se propter filium ex muliere natum etiam sexum fœmininū sibi reconciliasse, abolitis illarum etiam peccatis & in profundum maris demersis. Et in Christo nec mas nec fœmina, Gal. 4. v. 28. Ideoq; Petrus cōsortes gratiæ vocat. 1. Pet. 3.

Nemo itaque illas despiciat: nemo salutem illis negare tentet, si maximè mortales atque infirmas esse constet. Cum Christus non tantùm ex muliere natus, sed & primò omnium à mortuis resuscitatus mulieri apparuerit, magna in mulieribus miracula fecerit, mulieribus multum conuersatus, fidem illarum præ cæteris sæpè commendarît, vt patet.

L. II. Posset etiam tractari locus, mortem nemini parcere, nec viris nec mulieribus. Et eandem esse vtriusq; sexus fortunam. Tam Aaron & Moses quàm Miriam morti subiacent, & hæc non minus illis. Omnes enim ex æquo peccatores sunt. Ideoque non est, quod altera pars de nescio quib. priuilegiis glorietur. Nil hac in parte viris prodest imperium: nil mulieres iuuat infirmitas. Communis sors omnium.

L. III. Sed & hoc posset addi: Annorum etiam multitudinem aduersus mortem nec quicquā valere. Hinc Miriam etiam centenaria maior obiit. Est enim maior natu Mose, qui anno ætatis 120. moritur, nec longe post Miriam tempore. Verum autem manet id Syr. 41. in fine.

II. Pars.

Miriam terra est & in terram reuerti debet. Mox itaque sepelitur & terræ mandatur. At non aromatibus conditur

tur corpus, & asseruatur honoratiori loco, vt in Canaan sepeliatur: Non ossa illius deportantur extra desertum in Ciuitatem aliquam, sicut Iosephi ossa ex Ægypto deportata sunt in Canaan. Non in Cades sepelitur, Ciuitate illa in finibus deserti, sed paucis historia rem omnem expedit, & sepulta est in eodem loco, scilic. in ipso deserto Zin vel Cades. Non magna pompa exequiarum describitur, nec locus peculiaris deligitur. Quia Domini est terra.

L. Videntur quidem hæc parum habere momenti ad doctrinam vel consolationem. At nõ sine causa scriptum extat, quod tàm insignis Prophetissa sine omni pompa in horrido & inhabitato deserto Zin sepulta sit.

Docet enim scriptura, si maximè accidat interdum, vt homo Christianus & pius non possit sepeliri in loco aliquo honesto, nihil tamen referre, quocunque loco sepeliatur. Et sanè hoc desertum Arabiæ, per quod Israelitæ ex Ægypto in Canaan profecti sunt, fuit Aaronis summi Pontificis, & Miriam Prophetissæ, & excellentissimorum Principum Israel cœmeterium. Et multi sanctissimi martyres honore sepulturæ caruerunt. Augustinus dicit, Nihil hoc obstare, quo minus corpora resurgant. Et addit, Multorum corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam à cœlo & à terra separauit, quam totam implet prҿsentia sui, qui nouit, vnde resuscitet, quod creauit. Lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 12. Addit, sicut nihil impio profuerit sepultura honesta, ita non oberit vilis & nulla. Imo & Poëtæ dixerũt, cœlo tegitur qui non habet vrnam. Lucanus. Et Virgil. Nec tumulum curo, sepelit natura relictos. Magis itaq; nos Christiani, scientes, terram & omnem plenitudinem illius esse Domini, Psal. 24. non magnopere de sepultura simus soliciti.

FINIS.

Thema XIX. Classis II.

Ex libro Iudith. cap. 16. à vers. 25. ad 30.

De morte & sepultura Iudith, &c.

DIS-

DISPOSITIO.

Duo in ſacris leguntur exempla fortitudinis mulierũ, quæ diuina accenſæ virtute magnos belli Duces & populi Iſraelitici hoſtes oppreſſerunt. Quarum altera eſt Iael, vxor Heber Kenitæ, quæ Siſſeram Ducem Regis Cananæi Iabin occidit, Iudic. 4. Altera verò vidua eſt Iudith, quæ Holofernem Ducem militiæ Regis Aſſyriorum trucidauit. Huius vitam & res geſtas peculiari libro deſcripta habemus. Præſenti autem loco prælecto (qui in fine illius libri extat) deſcribitur, 1. Quomodo Iudith poſt ſuperatum Tyrannum Holofernem, & oppreſſum exercitum Aſſyriacum, reliquum vitæ tempus tranſegerit, & tandem etiam diem ſuum obierit. 2. Deinde etiam de honorifica illius ſepultura & luctu populi nonnulla annotantur. Hæc duo nobis erunt tractanda, & quid ſingula nos monere debeant, conſiderandum.

I. Pars.

Erat Iudith ex familia Sealthielis, coniunx olim Manaſſis cuiuſdam, viri honorati & prædiuitis, iam vidua, elegantis formæ, diues & piiſſima: quæ audiens Ciuitatem Bethuliam tradendam in manus Aſſyriorum, diſſuaſit hoc Principi Ciuitatis, & Deo potius confidendum, atque de liberatione benè ſperandum oſtendit.

Ipſa verò diuinitùs accenſa virtute, ad caſtra Aſſyriorum tranſiit, & pio excogitato dolo Ducem Holofernem circumuenit, eumq; in lecto trucidauit, caput illius Bethuliam apportauit, ſicq; populum omni metu liberauit. Occiſo enim Duce & amiſſo capite, reliquus exercitus Aſſyriorũ dilapſus, ab Iſraelitis fuſus, fugatus & proſtratus eſt. Pro hac victoria planè diuina, perſolutis in templo Hieroſolymitano ſacris pro more, Deo gratias egerunt.

Inde Iudith Bethuliam reuerſa, in magno honore & pretio fuit habita apud ſuos. Nec immeritò. Ibique quod reliquum erat vitæ, piè tranſegit.

1. Dicitur autem manſiſſe vidua vſque ad mortem. Quam-

Quamuis enim alii marito nubere potuisset, maluit tamen istis difficilimis temporibus viuere in viduitate.

2. Mansit autem in ædibus mariti sui; in quibus hactenus vixerat. Quibus verbis non tantum ostenditur, quod ibi habitauerit in ædibus pristinis, & ad tantos honores euecta non quæsierit ampla palatia: Sed quod etiam οἰκουρὸς fuerit, & domi suæ sese continuerit, non vaga, garrula, &c. fuerit.

3. Quia verò à marito non tantum domum & habitationis locum acceperat, sed insuper ipsius bona hactenus possederat, noluit illius cognatos & propinquos defraudare, & hęreditatem ad alios deriuare, sed viuens adhuc bona mariti & sua quoq; distribuit inter hæredes mariti sui olim dilectissimi. Grato sc. animo agnoscens, quod ex bonis optimi mariti fuerit sustentata & locupletata.

4. Sed & erga famulam erat benefica. Eam enim ancillam, Abram nomine, quam fidam fuerat in præsentissimo periculo comitem (cum scilic. ad castra Assyriorum exiisset, oppressura Holofernem) experta, manumisit. Erat enim tum dura famularum conditio, cum perpetua fuerint mancipia.

Maximi igitur beneficij loco erat illa manumissio & libertas.

5. Tandem piè & placidè in Domino moritur, multis annis confecta & grandæua. Annos enim vixit centum & quinque.

LOCVS I. Cum videamus Deum etiam sexui fœminino suum habere honorē, & magna quoq; in hunc sexum conferre dona, discimus, non contemnendum esse eundem. Sunt qui malè de hoc sexu loquantur & sentiant. Diuersum Petrus præcipit, cū cohæredes gratiæ sint, 1. Pet. 3.

Inde verò non sumāt mulieres occasionem superbiendi & imperandi maritis, quod Paulus vetat, 1. Corinth. 11. 1. Tim 2. Sed solentur sese his exemplis, quod sentiant, se non esse abiectas à Domino: ita tamen si piæ, si humiles, si fideles cum Iuditha fuerint.

L. II.

L. II. Quamuis non peccent nec Deum offendant viduæ, si ad secundas nuptias transeant, quod exemplo Abigailis, Ruth, &c. comprobatur: tamen, quæ dono castitatis ornatæ sunt, non malè suis rebus consulunt, si in viduitate permaneant, & sese totas Deo addicant. Præsertim vbi difficilia sunt tempora: vel si liberos habent, quibus hac ratione melius prospectum sciant, aut si vetulæ sint, & sciant se plus fastidij quàm voluptatis allaturas viris. Exempla, Naëmi, Hanna, Luc. 2. Quid viduas deceat, videtur 1. Tim. 5. v. 5. Tit. 2.

De cæteris verò, iunioribus inprimis, alia est ratio. Vide 1. Tim. 5. v. 14. Eadem ratio illarum, quæ sunt pauperes, & alimentis viri indigent, & propterea ad secunda vota transeunt. Exemplo est Ruth paupercula, Ruth. 2. v. 3. Illæ non contemnendæ nec affligendæ. Deus enim illatas iniurias vlciscitur, Psal. 68. v. 6. Syr. 35. v. 18.

L. III. Decet viduas, præsertim ditiores, liberalitas: vt benefaciant pauperibus, & præsertim domesticis fidei vel famulis, & his, quorum fideli opera vsi sunt.

Sunt alioquin pleræq; tenaces & auaræ, præsertim vetulæ. Diuersum legitur fecisse Iudith erga Abram ancillam, & amicos viri. Commendat Christus viduę Eleemosynam, Luc. 21.

L. IV. Rectè fit à Bethuliensibus, quod Iudith non tantum iuuenculam, sed etiam centenariam in honore & pretio habent. Multi ex nostris putant, vetulas, si maximè piæ sint, tamen mox vbi veterascere inceperint, incendio perimendas, & vix ferendas inter mortales esse, cum tantum aliis sint molestæ, &c. Magnum hoc peccatum & crudele. Cum vel propter pias preces, quas pro communi salute ad Deum fundunt, deberent esse gratissimæ omnibus.

II. *Pars.*

Iudith piam matronam non tantum honorificè tractant Bethulienses dum viuit, sed & mortuam sepeliunt

iuxta

iuxta maritum Manaſſem ſatis honorificè: & lugent ipſam ſeptem diebus, quibus publicus luctus indictus erat, pro more gentis.

L. I. Honeſtè ſepeliendos mortuos, præſertim de communi patria benè meritos, docent exempla veteris & noui Teſtamenti. De hoc loco ſuprà ſæpius.

L. II. Defunctos pios & bonos, & qui vel Eccleſiæ vel Reipublic. commoda promouere potuerunt, meritò poſt mortem luget omnis populus. Teſtantur exempla de Moſe, Aarone, Samuele, Ioſia, ſuprà in claſſe prima pertractata. Videatur ibi.

Rogandus autem Dominus, vt ſemper in locum defunctorum alios ſubſtituat, qui ſeruiant vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ. Ne fiat id, quod minatur Dominus Eſa. 3. ab initio.

FINIS.

THEMA XX. CLASSIS II.

Luc. 2. à verſ. 36. ad 39.

De Hanna Prophetiſſa.

DISPOSITIO.

Hoc Thema funeribus piarum viduarum ſenio confectarum accommodari debet.

Hiſtoria, quam ex Luca prælegimus, tractat Encomion viduæ cuiuſdam grandæuæ, & matronæ honeſtiſſimæ, Hannæ videlicet Prophetiſſæ. Cum itaq; hac vice ad deducendum funus honeſtiſſimæ defunctæ viduæ conuenerimus, operæ pretium erit, præſentem Hiſtoriam, de Hanna vidua tractantem, audire, vt nos, qui ſumus ſuperſtites, inde reddamur doctiores. Nec pudeat nos diſcere ex fœmina, vetula, &c. cum ipſa etiam viuens multos pios redemptionem Iſraelis expectantes de Chriſto puero erudierit, & Prophetiæ dono clara, ſuo exemplo adhuc informare poſſit omnes Chriſtianos. Videamus autem, quas nobis in Hanna virtutes Euangeliſta noſter deſcripſerit,

ſperit, vt deinde quomodo illas imitari debeamus, tantò accuratius poſſimus percipere.

I. Pars.

Hieroſolymis viuit Hanna, filia cuiuſdam Phanuelis, de tribu Aſer. Illam mirificè commēdat Spiritus ſanctus.

I. Fuit Prophetiſſa. Ornata à Deo Spiritu prophetico, quę ſacras literas intelligere & explicare poterat aliis. Habuit illa cognitionem ſcriptorum propheticorum, & potuit ex collatione præſentium temporum intelligere, certò adeſſe Meſſiam. Nec dubium, quin etiam ſingulariter fuerit à Deo illuminata.

II. In tribus ſtatibus optimè ſe geſſit. Virgo eſt pia & pudica, & venit virgo in thorum mariti. Coniux facta viuit cum marito annis ſeptem. Poſt mortem mariti in viduitate hactenus permanſit annis 84. qui ſi coniungantur cum 7. prioribus, faciunt annos 91. His addantur anni virginitatis (vel 18. vel 20.) & conſequitur illam vltrà annos 100. vixiſſe. Et hoc illius pietatis fuit præmium, vitæ ſcil. longæuitas.

III. Nunquam diſcedebat à templo. Aſſiduitas illius & continua pietatis exercitia intelliguntur. Fortaſſe fuit ex illis mulieribus, quæ congregatæ leguntur ſemper adminiſtraſſe ad oſtium tabernaculi, 1. Sam. 2.

IV. Precationibus inſtat apud Deum omni tempore Hanna. Et vt preces ſint ardentiores, ieiunia frequenter obſeruat, non quidem ſuperſtitioſa, ſed mediocrem curam corporis habet, & temperanter atque ita viuit, vt ad precandum & orandum ſemper poſſit eſſe apta.

V. Deum glorificat, quod miſſo filio in carnem, iam ſalutem dederit toti mundo.

VI. Ipſa ſpiritu ſancto illuminata, non tantum in Chriſtum, licet puerum adhuc, credit, ſed cupit etiam alios Deo lucrifacere, & ad eandem fidem inuitare. Ideoq; de Chriſto concionatur omnibus, qui redemptionem expectabant Hieroſolymis.

L II. Pars.

II. Pars.

Ex his quæ diximus apparet, quæ virtutes non tantum pias matronas, vel viduas deceant: Sed quæ ab omnibus Christianis requirantur.

I. Quilibet Christianus debet esse Propheta. Non quod necesse sit, ipsum vaticinari de futuris, & publico docendi munere fungi in Ecclesia; sed hoc modo, vt legat vel audiat scripturam sacram, & cognitionem Dei ad salutem necessariam inde hauriat: & (si non publicè) tamen domi priuatim doceat & erudiat liberos. Sicut olim in Oeconomia Patriarcharum factum est. Hoc est mandatum Domini. Acue filiis. Deut. 6. Et Pauli Ephes. 6. Educetis per eruditionem Domini.

II. Deinde in omni vitæ genere, sicuti à Domino vocatus fuerit, hoc est, vel in cœlibatu, aut matrimonio, & viduitate, ita viuat, vt Dei benedictionem, & longæuitatem exspectare possit. In omni enim statu potest Deo placere, si faciat officium, piè & castè viuat, Deum timeat, &c. Vide insigne illud dictum Petri, Act. 10. v. 34. Exempla in omni vitæ genere imitanda scriptura proponit. Virginibus & Iuuenibus in cœlibatu, Rebeccam, Mariam, Iosephum, Danielem & socios. Viris, Abrahamum, Isacum, Hiobum. Viduis, Hannā, Iudith, Abrahamū &c.

III. Beatus cuius voluntas in lege Domini, & qui meditabitur in ea die & nocte. Psal. 1. Est enim verbum Domini, quod potest saluare animas nostras. Iac. 1. Potentia ad Salutem. Rom. 1. Et sic saluare placuit Deo. 1. Cor. 1. v. 21. Ideoq; scrutamini. Ioan. 5. Exemplo Berrhoensiū. Act. 17. Et beati qui audiunt & custodiunt. Luc. 11. v. 28. Hoc enim est, nunquam discedere à templo, si extra templum, in templo sis piis meditationibus verbi diuini.

IV. Instandum orationi. Rom. 12. Indesinenter orate. 1. Thes. 5. Multum enim potest oratio pii, si seria sit. Iac. 5. v. 16. Exempla efficaciæ precum extant. Iac. 5. v. 18. 1. Sam. 1. v. 17. Et Genes. 25. v. 21. Hoc enim promisit Deus Psal. 50. & 91. Ioan. 16. Vt autem preces sint ardentiores,

tem-

temperantia perpetua requiritur, quæ est verum Deoque placens ieiunium. Ideoque cum oratione sæpe coniungitur vigilare, & sobrietati studere. Vide 1.Pet.5.v. 8. & 1.Petri 4.v.8. & Matth.26.Marc.13.& 14.Luc.21. Coloss.4.v.4.

V. In omnibus gratias agite, inquit Paulus.

Offerendæ Deo grates, Psalm. 50. Hoc est sacrificium labiorum. Hebr.13.v.15. Cultus gratissimus. Psal.116.v.12. Et Psalm.96.v.32.

VI. Et tandem, qui agnouit & gustauit quàm bonus Dominus, is etiam studeat alios Deo lucrifacere. Etenim si quis conuerterit errantem peccatorem ab errore viæ suæ, saluam faciet animam à morte, &c. Iac.5.in fine.

Possent quoque tractari loci speciales, sequentes videlicet:

1. Etiam mulieres Deo placere, & propterea singularibus etiam donis ornari. De hoc in duorum præcedentium Thematum Dispositionibus nonnihil habetur.

2. Licet ordinariè mulieres in Ecclesia tacere velit Paulus, 1.Cor.14. 1. Tim.2.tamen videmus singularia Spiritus sancti dona in mulieribus, quæ in casu necessitatis sæpè loco virorum fecerunt officium. Hinc non ineptè colligitur, in casu necessitatis etiam licere illis administrare Baptismum, exemplo Ziporæ, Exod.4. Et mulieris istius, 1. Macchab. 1. quæ in veteri Testamento circumsionis sacramentum administrarunt.

THEMA XXI. CLASSIS II.

Ex Act. 9. à vers. 36. ad vers. 43.

Historia de morte & resuscitatione Tabithæ Ioppensis.

DISPOSITIO.

Capream animal timidum, fugax atq; infirmum esse, præter scriptorum testimonia, etiam experientia ipsa docet. At præsens historia etiam refert nobis infirmitatem, mortem & fugacitatem Tabithæ cuiusdam Ioppensis,

quæ à Græcis Dorcas, hoc eſt, Caprea vocabatur. Illa enim Ioppæ à morbo ſuperata diem ſuum obiiſſe legitur. Singulari tamen & planè diuino miraculo reſuſcitatur à Petro: inde multi Ioppenſes ad fidem Chriſtianam conuerſi ſunt. Vt autem rem omnem rectius intelligamus, Quatuor hoc loco perſonæ conſiderandæ erunt.

1. Tabitha defuncta, cuius inſignis pietas commendatur.
2. Tabithæ condiſcipuli, vocantes Petrum.
3. Petrus Apoſtolus excitans à morte Tabitham.
4. Ioppenſes conuerſi.

I. *Tabitha.*

Ioppe vrbs erat Paleſtinæ maritima, quinque miliaribus germanicis diſtans à Hieroſolyma. Ibi degit mulier quædam Tabitha nomine, quæ multis nominibus commendatur.

1. Vocatur Diſcipula. Illa enim Euangelion de Chriſto didicit ab Apoſtolis & eorum Diſcipulis. Ideoque etiam vocatur Diſcipula, quo nomine vocabantur omnes Chriſtiani, antequam cognominarētur Chriſtiani: quod paulò poſt hanc hiſtoriam Antiochiæ factum legitur, Actor.11. v.26.

2. Dicitur plena fuiſſe bonis operibus. Hinc colligitur, quod habuerit veram fidem. Etenim illa nunquam eſt otioſa, ſed oſtenditur ex operibus, quod Iacobus requirit, Iac.2. v.18. Sicut enim arbor bona fert fructus bonos, ita etiam viua fides nunquam caret bonis operibus.

3. Additur, Plena Eleemoſynis. Hæc enim eſt natura veræ fidei, vt operetur per charitatem, Gal.5. & hûc pertinet id, quod infra dicitur, monſtratas fuiſſe Petro tunicas & veſtes, quas Tabitha pro pauperibus conficere ſolebat. Eſt enim inter opera charitatis hoc etiam genus Eleemoſynæ, veſtire nudum, Eſá.58. Matth.25.

At his non obſtantib. Dorcas noſtra graui morbo corripitur ex illo morbo. Hinc & pauperes & condiſcipuli illius magna afficiuntur triſtitia. Lo-

LOCVS I. Moriuntur etiam piissimi, & bonis operibus pleni homines. Quia etiam pii sunt peccatores. Ideoque mors pertransit in omnes, Rom.5.v.12. Hinc multi secum cogitant, Perinde esse si maximè non studeant bonis operib. Mortem enim nemini parcere. Dicunt, Quare non à morbo præseruauit piam Tabitham? aut tamen liberauit, vt non moreretur?

At voluit Deus maius illi beneficium præstare resuscitando mortuam. Sed, inquis, hoc singulare fuit in Tabitha? Iam verò pii etiam non excitantur?

Resp. Habet Deus suas causas, sed hęc regula vbiq; notanda, Diligentibus Deum omnia in bonum cooperari, Rom.8. Ideoq; etiam mors non separat, Ibid.v.38. At propterea finit mori, vt viuant. Hæc enim vita potius mors est dicenda. Igitur per mortem ingrediuntur ad vitam, Ioan.5.v.24. perueniunt ad quietem, Esa.56. in fine. Apoc.14. v.13. & liberantur ab omni malo, 2.Tim.4.v.18. Imò verò nō moriuntur, sed obdormiscunt, & excitabuntur ad sonitum tubæ Angelicæ, Ioan.11.v.11. & 1. Thessal.4. non ad mortalem, sed ad æternam vitam.

L. II. Fidem si viua & vera sit, bonis operibus esse declarandam, patet non tantum ex præsenti, sed etiam aliis locis, Iacob.2.v.18. & Luc.16.v.9.

Et opera charitatis commendantur nobis, Esaiæ 58. Matth.10.v.42. & 25.v.35. Hinc palàm fiet nos esse veros Discipulos Christi, cum Tabitha.

II. Discipuli.

Mortuam Tabitham lauarunt illius condiscipuli pro more gentis, vt balsamo postmodum vngeretur, atque in cœnaculo posuerunt, suo tempore sepeliendam.

At cum in vicina ciuitate Lydda Petrum adhuc hærere percepissent, (vbi Æneam claudum paulò antè sanauerat) mittunt ex suis ad Petrum, & vehementer orant, vt ad ipsos veniat: nihil dubitantes, quin ipsam sit excitaturus. Ideoq; etiam sepulturam differunt.

Et quàm primum aduenit, mox adductum in cœnaculum non destiterunt omnes, qui ibi erant fideles viduæ multis cum lachrymis rogare, vt excitaret defunctam. Atque vt magis moueatur Apostolus, ostendunt ipsi tunicas à Tabitha in vsum pauperum confectas: innuentes scilic. malè cum pauperibus agi, si non vitæ restituatur.

L. Rectè Prou. 10. Memoria iusti in benedictione esse dicitur. Facit enim pietas Tabithæ, vt omnes solicitè hoc agant, quo reuiuiscat. Vide quomodo eiulent, quomodo mittant nuntios ad Petrum, quomodo nihil intentatum relinquant, vt excitetur à mortuis.

Quicunq; ergò post se vult relinquere desiderium bonorum, & bonum nomen, studeat pietati. Inprimis autem benefaciat pauperibus, & commendabunt Eleemosynæ etiam mortuum, sicut hæ vestes Tabitham.

Contra verò impii & illiberales atq; duri in pauperes, vbi moriuntur, mox ex omnium animis exciderunt. Nemo illos voluerit excitare, si maximè posset. Imò illos perditos optant plurimi: & vt sepeliantur, non vt excitentur curant. Et mox deleta est memoria illorum, Eccl. 6.

III. *Petrus.*

Petrus vocatus Ioppen impigrè aduenit, nec moras nectit. Cumq; intellexisset quidnam vnicè desiderent Discipuli, cum viduis, statim illis paululum secedere iussis, in genua prouolutus ardēter orat, vt Deus spiritum defunctæ reddat corpori. Et cum nihil de exauditione Dei dubitaret, conuertit se ad defunctam, dicens, Tabitha, surge. Illa verò oculis apertis Petrum intuetur, atq; resedit. Petrus autem data illi manu erexit, atq; conuocatis sanctis & viduis, viuam exhibuit illam. Cooperatur enim is, qui resurrexit, Marc. 16. v. 20.

Locvs. Insigne est hoc miraculum, nec minus cæteris, quorū historiæ extant, 1. Reg. 17. 2. Reg. 4. Marc. 5. Lucæ 7. Ioan. 11. Voluit Dominus sic confirmare nostram fidem, de resurrectione mortuorum. Si enim ad orationem

Petri

Petri hoc fit, quid fiet ad tubam archangeli, & ad aduentum filij Dei glorioſum? Deo enim nihil impoſſibile. Magnam hinc conſolationem petere licet in afflictionibus, & in ipſa morte: quod nihil nobis contingat, per quod Deus non aliquid in nobis velit efficere glorioſum. Et ſicut Petrus porrigit manum, & erigit, ſic vbi nobis Deus omnipotentem manum porrexerit, eriget nos ex omnibus malis. Manus enim Domini omnia poteſt mutare, Pſ. 77. v. 11.

IV. Ioppenſes.

Innotuit hoc miraculum per totam Ioppen, & multi crediderunt in Dominum. Manſit enim Petrus ibi multis diebus, & prædicauit ipſis Euangelium de Chriſto. Et fuit ipſius doctrina hoc inſigni miraculo comprobata.

LOCVS. Hic præcipuus vſus fuit miraculorum tempore Chriſti & Apoſtolorum, de quo Ioan. 20. v. 31. Hæc ſcripta ſunt, vt credatis. Ioan. 2. Et crediderunt in eum. Erat enim tum doctrina Euangelij planè noua, & inter gentes præſertim inaudita. Ideoque ſigna addidit Chriſtus, Marc. 16. v. 17.

Noſtro vero tempore, vbi doctrina Euangelij paſſim per totum orbem terrarum decantata eſt, non opus amplius eſt miraculis. Et quæ hodiè miracula nonnullis locis fieri dicuntur, partim nihil pręter impoſturas habent, partim ſunt talia, de quibus Chriſtus Matth. 24. verſ. 24. & Paulus 2. Theſſ. 2. v. 9. prædixe[illegible] Fieri permittit Dominus, vt probet ſuos, iuxta id, Deut. 13. v. 3.

FINIS.

III. THEMATA, QVÆ SEQVVNTVR IN HAC II. CLASSE, FVNEribus ſenum, vtriuſque ſexus, indifferenter accommodari poſſunt.

THEMA XXII. CLASSIS II.

Deuter. 4. v. 39. Manual. pag. 482.

DISPOSITIO.

Hæc verba pars ſunt valedictionis illius (ſi ita dicere licet) Moſaicæ, in qua Moſes, antequam moreretur, populo propoſuit ingentia Dei hactenus in ipſos collata beneficia: viciſſim verò eidem exprobrat ſummam erga Deum ingratitudinem: & tandem obteſtatur illos, vt reſipiſcant, niſi diuina gratia penitus excidere velint: ſimulq; promittit vitæ longæuitatem & omnem benedictionem ſeruantibus mandata Domini. Quia verò hæc non ad populum tantum Iſraëliticum, ſed ad omnes pertinent, idcoque hæc verba paucula Moſis erunt tractanda.

Conſiſtit autem argumentum præſentis textus in his duabus partibus. 1. Docet quam ſtrictè pręcepta Domini ſint ſeruanda. 2. Oſtendit qualenam ex obſeruatione pręceptorum Domini ſperare poſſint præmium.

I. Pars.

Sic ait Moſes, Cuſtodi præcepta eius atque mandata, quæ ego hodie præcipio tibi. Hæc paulò accuratius penſitanda erunt.

Primum enim non audire tantùm iubet mandata Domini, ſed ait, Cuſtodi ſiue ſerua præcepta. Etenim non auditores ſed factores legis iuſtificabuntur. Rom. 2. v. 13.

Deinde dicit, Quæ ego præcipio ſerua, Oſtendens, licet non ex Dei ore audiueritis iſta, ſed ex me, tamen ſeruanda, quia non ſunt mea, ſed Dei præcepta. Ideo ſupra dixit, cuſtodi præcepta eius, ſcilicet Domini Dei, qui in cœlo eſt. De quo prius dixerat.

Tertiò dicit, cuſtodi præcepta quæ ego præcipio tibi hodie. Non autem tantum intelligit præcepta, quæ illa ipſa die ipſis dederat, ſed quæ hactenus ex ore Dei ipſis dictauerat, quæque hoc tempore repetierat. Et in primis Decalogi præcepta intelligit, quæ mox ſequuntur repetita ex cap. 20. Exodi.

Quod autem dicit [hodie] innuit, ſemper illis ob oculos poſita, & in recenti apud ipſos memoria eſſe debere illa

illa Dei mandata, vt nunquam animo ipſorum excidant. Es ſoll jhnen ſo new ſeyn / alß wann es erſt heut geſchehen. Hodiè cum audieris. Vide quid ſit hodiè Hebr.3.

Quartò, ne dicant illi, parum refert, ſi maximè non tam accuratè obſeruemus præcepta illa? Quis enim obſeruabit noſtras actiones? Ideò præſcidit ipſis hoc, grauiſſima præmiſſa exhortatione. Scito & cogitato in corde tuo, quod Dominus ipſe eſt Deus, non tantùm in cœlo ſurſum, qui ignoret quid rerum agatur in terris, ſed propè eſt etiam hominibus, & Deus atq; Dominus eſt in terra deorſum, qui accuratiſſimè omnia dicta & facta obſeruat. Neque præter ipſum eſt alius, à quo poſſitis ſperare patrocinium malarum actionum veſtrarum.

LOCVS. Hoc ipſum & nos non ſcire tantum, ſed & ſæpius in corde noſtro cogitare debemus, eſſe vnum Deum & Dominum, qui in cœlo & in terra dominetur, & vtrobique præſentiſſimus adſit, atque aſpiciat omnia noſtra dicta & facta. Hoc multi ſciunt, ſed pauci cogitant in corde ſuo. Etenim inſipiens in corde ſuo dixit, Non eſt Deus, Pſalm. 14.

Adulter dicit, quis videt me? Tenebræ ſunt, &c. Syr. 23. v.26. Iob. 24. Impii volunt latere coram Deo, quis videt vel nouit nos, Eſa. 29. v. 15.

Hinc oritur ſecuritas illa hominum maxima. At quanta hæc eſt peruerſitas, inquit Eſaias. Ibidem. An neſcis oculos Domini ſplendidiores ſole, Syr. 23. An qui fecit oculum non videat? Pſalm. 94.

Frequens huius rei cogitatio timorem Domini auget & ſecuritatem pellit.

Et hoc inprimis firmiter tenendum, quod Deus ea, quæ in oculto fiunt, ſit producturus in lucem ſuo tempore, Matth. 10. Nihil occultum, quod non reueletur.

Imò etiam peccata incognita in conſpectu ipſius ſunt, & in illuminatione vultus eius, Pſal. 90. v. 8. Ideoque cautè agendum & circumſpectè, tanquam in die depoſitis operibus tenebrarum, Rom. 13.

Ne pudefiamus cum Deus iudicabit oculta cordium. Rom. 2.

Posset etiam tractari locus, Non satis esse audire mandata Dei, sed requiri etiam obedientiam. De hoc alibi.

II. *Pars.*

Quid verò ex obseruatione mandatorum Dei præmii loco sperare debeant, iam porrò ostenditur. Tria autem potissimum illis promitit. 1. vt benè sit tibi. Es wird dir wohl gehn. Etenim largissimam benedictionem promittit Dominus seruantibus mandata sua. Deu. 28. 2. Et filiis tuis. Pietatem parentum in filiis etiam remunerabitur. Est enim Deus benefaciens in mille generationes. Exod. 20. Deu. 5. 3. Et vita tua longæua sit in terra, quam daturus est tibi Dominus. Timor enim Domini vitam prolongat. Prou. 10.

Locvs. Vix quisquam est inter nos, qui non optet hæc tria. 1. Vt ipsi benè sit quoad viuit. 2. Vtque diu illi detur viuere. 3. Et vt etiam post obitum filiis suis benè sit. Hæc enim ferè sunt, quæ vitam hominis in his terris faciunt beatiorem.

Et sanè Deus non inuidet homini hanc fælicitatem, ita tamen, vt ipse faciat officium & seruet mandata ipsius. Qui timet Dominum, benedicetur & benè ipsi erit Psal. 128, v. 2. Qui cupit videre dies bonos, abstineat à malo. Psal. 34. 1. Pet. 3. Iusto benè erit. Esa. 3. v. 10. Qui timent me, benè erit eis & filiis ipsorum omni tempore. Iere. 32. vers. 39. Similiter scriptura longæuitatem promittit his qui custodiunt mandata Domini. Prou. 9. v. 10. & 10. v. 27. Dies autem impiorum abbreuiabuntur. Ibid. & Psal. 56. & 58.

Et qui vult relinquere benedictionem filiis suis post se, studeat pietati. Nam generatio rectorum benedicetur. Psal. 112. v. 2. Non egebit semen iusti. Psalm. 37. v. 25.

Quod autem Deus interdum ab hac regula discedit, & permittit vt impiis quoque benè sit (de quo Psal. 73. & Ie-

Ierem. 12.) vtq; transigant longam ætatem fæliciter, (Io. 21.v.13.) & liberos quoq; illorum cum lætitia exultare sinit, (Ibidem) eius rei suas habet causas, de quibus non locis tantum citatis scriptura, sed etiam Rom.2.v.4. Paulus nos docet. De his alias.

Interim cum piis non iniquè agit Dominus, cum salutem ipsorum æternam procurat, vt animæ illorum benè sit in perpetuum.

THEMA XXIII. CLASSIS II.

Psalm. 102. vers. 25.

Dico, mi Deus, ne auoces me in medio dierum meorum.

DISPOSITIO.

Titulus huius Psalmi centesimi secundi ostendit, in hoc cantico contineri preces pauperis afflicti, cum anxius fuerit, & coram Domino effuderit preces suas. Est autem haud rarò inter alias anxietates afflicti cordis hæc quoque vna, quod timet, ne ex hac vita citius abripiatur, quàm omnes suas actiones, quæ partim Deum, partim nos ipsos atque nostrates concernunt, absoluerit atque consummauerit.

Hanc etiam inter cæteras multas fuisse Prophetæ tentationem, ex prælectis verbis Psalmi manifestum est, quibus orat Deum, ne ex hac vita auocetur in medio cursu. Hæc verba in præsentia excutere placet, hoc modo, vt dicamus:

1. Vtrum liceat homini pro longæua vita orare.
2. Ob quas causas longior huius lucis vsura expetenda.
3. Quomodo iusta ætas hominis æstimanda sit.

I. *Pars.*

Cùm sortes nostræ in manu Domini consistere dixerit Psalmus 31. & ipse numerum dierum iam annotauerit,

rit, Pſalm. 139. terminumq; poſuerit Deus, quem homo præterire non poteſt, Hiob 14. v.5. videtur homo vel fruſtrà pro longæuitate orare, vel etiam precibus ſuis Deum offendere, cum illi præſcribere velle videatur tempus vitæ. Et quorſum opus Deum multis fatigare precibus, cum is decretum iam fecerit, quod non poteſt retractari, iuxta illud Hiobis 14.

Reſpondeo. Non abſoluto quodam Dei decreto terminum mortis fatali neceſſitate conſtitutum eſſe, vt nec precibus etiam quicquam poſſit impetrari. Teſtatur hoc exemplum Hiskiæ, qui precibus ſuis prorogationẽ quindecim annorum conſequutus eſt, quibus poſt finem vitæ iam tum inſtantem & denuntiatum viuere licuit, Eſa. 38. Precibus Paulus in Aſia à morte liberatur, 2. Cor. 1. ver. 9. Præterea, quia nobis ignotum eſt, quis terminus vitæ noſtrę poſitus fuerit, omninò nobis orare licet exemplo huius Pſalmi, ne Deus nos in medio vitæ curſu abripiat: quod impiis minatus eſt Dominus, Pſal. 55. Si igitur deprecari culpam & pœnam licet, certè licebit etiam hanc calamitatis temporalis partem deprecari apud Deum. Tandem, quia piis promiſſa eſt longæuitas, non tantùm ſeruantibus quartum prę ceptum, Exod. 20. Deut. 5. Eph. 6. ſed in genere omnibus piis, Deuter. 4. v. 40. ideoque licet nobis Deum promiſſionis factæ commonefacere. Non quod obliuioni hoc tradiderit, ſed quod precibus noſtris ſolicitare iuſſerit. Sicut videmus exemplum Prophetæ, Pſalm. 27. vbi inquit: Obiicio tibi in corde meo verbum tuum, quod dixiſti, quærite faciem meam. Faciem igitur iam tuam requiro.

Cum itaque huius vitæ inſtabilitatem & fugacitatem conſideramus, quomodo ſæpius morborum violentia corpus in medio curſu vitæ frangatur, & vita hominis inſtar graminis & maturæ ſegetis ſubitò exareſcat, rogare poſſumus Dominum, ne tàm citò abrumpat vitam.

II. Pars.

Sed ob quas cauſas longæuitatem petere licet? Num

vt

vt diutius peccemus? Minimè. Num vt voluptatibus indulgere liceat diutius? Nequaquam. Vel vt porrò dies bonos videre poſſimus? At tempora mala ſunt, Epheſ.5. Nec ſperanda meliora (Matth.24) Chriſto teſte, ſed poſteriora ſemper in peius vergunt. Num vt nummos corradere, & theſauros comparare poſſimus? Neutiquam. Vel vt prius poſſimus illatas iniurias vlciſci, quàm moriamur? Nihil horum. Mundi quidem & peruerſorum hominum hæc ſunt vota, ſed impia. Et qui ſic orant manus plenas ſanguine attollunt. Eſa.1. Propterea non audiuntur à Deo.

Verum duæ ſunt potiſſimùm cauſæ, ob quas diutius viuere optandum. Altera propter noſtram, altera propter aliorum ſalutem.

Prima omnium & præcipua cauſa ex parte noſtra eſſe debet hæc, vt Deus nos non imparatos in medio dierum abripiat: nec prius hinc euocet, quam per veram & ſeriam pœnitentiam (quę tamen non procraſtinanda eſt ſpe longioris vitæ Syr.18. v.22.) cum Deo in gratiam redierimus. Hinc Eccleſia in Litaniis publicis orat, à ſubitanea mala morte cuſtodi nos Domine. Mala enim mors non eſt, quam bona vita præceſſit, Aug. de Ciuit Dei lib.1. cap.11. Et hæc cauſa extorſit Hiskiæ tam ardentes preces pro longiori vita, quia angebatur animo propter peccata. Eſa.38. v.17. Videbatur ſibi nōdum cum Deo ita in gratiam rediiſſe, vt lætus iam poſſet mori & certam habere ſpem remiſſionis peccatorum.

Deinde licet etiam homini petere longæuitatem propter alios, vt ipſis poſſit inſeruire. Etenim aliquis in officio publico cōſtitutus cum intelligit mortem ſuam prę-maturam damnoſam fore Eccleſiæ & Reipubl. & ſequuturas graues & periculoſas mutationes, quas ipſe viuus auertere & præcauere (Diuina gratia adiutus) poſſit, ſicq; operam ſuam Eccleſiæ & Reip. vtilem eſſe nouit, rogare poteſt Deum, vt non abripiat ipſum in medio vitæ curſu, antequam Eccleſiæ vel Reip. de idoneo ſucceſſore proſpectum ſit.

Et

Et hoc etiam torquet Hiskiam. Nondum habet filium regni successorem legitimum: metuit ne deficiat populus à sincera religione, &c. Sic Paulus cupit dissolui, quod sibi quidem sciat melius esse viuere cum Christo. At coarctatur propter Ecclesiam, cui magis necessarium erat, Paulum manere in carne. Atque sic diutius manere cupit, in profectum Philippensium & gaudium fidei, Philip. 1. v. 22. & seqq.

Quòd si etiam propter suos domesticos, vxorem & liberos scil. pius aliquis paterfamilias rogat Dominum, vt detur ipsi longior huius vitæ vsus, quo possit in timore Domini suos educare & ipsis prouidere, non peccabit: ita tamen, si nihil dubitet, Deum, qui verè pater est omnium, etiam absque illius opera domesticis posse prospicere Ideoq; non sibiipsi plus quàm par est tribuat. Et sic oret, vt semper sit memor illius, Fiat voluntas tua.

III. Pars.

Cùm expeditum sit qua ratione petere liceat, vt non abrumpat Dominus vitam nostram ante tempus, ideoque iam vltimo loco paucis erit determinandum, quodnam iustum tempus ætatis humanæ sit censendum.

Plerique putant hanc iustam hominis ætatem, si ad finem vsque decurrant anni ipsius, quem Psalm. 90. positum legimus, annos sc. 70. aut 80. aut si satur ipse dierum sit. Cæteros verò omnes, qui ante annos 60. ad minimum hinc decedunt, præmatura morte obiisse censent.

At sciendum hoc loco, iustam ætatem non metiendam annorum numero, sed profectu in cœlesti sapientia, quæ in vera Dei agnitione & pœnitentia consistit. De quo Sap. 4. ab initio.

Ideoque qui vera Dei cognitione imbutus est, is non in dimidio spatio, sed in iusto termino dierum suorum hinc emigrabit: si maximè in pueritia vel iuuenili ætate moriatur.

Hæc cum ita sint, demus operam, vt quauis hora parati simus

ſimus exemplo prudentum virginum, Matth. 25. & vt quouis momento dicere poſſimus cum Simeone, Nunc dimittis, Luc. 2.

FINIS.

THEMA XXIV. CLASSIS II.

Pſalm. 71. verſ. 9.

Ne abiicias me tempore ſenectutis meæ, cum defecerit virtus mea, ne deſeras me.

DISPOSITIO.

Antiquitùs dicebatur, nec malè, ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων: hoc eſt, vota ſenum, conſulta virûm, & facta iuuentæ. Iuuenes decet labor, viros adultos conſilium, ſenes verò oratio. Quamuis autem precatio tàm iuuenes quàm ſenes deceat, tamen in ſenectute illam ſummè eſſe neceſſariam, teſtatur præſens hic locus Pſalmi, & qui infrà denuò repetitur verſus 18. Sed quomodo inſtituta debeat eſſe Oratio ſenum, primum hoc loco pauculis verbis oſtenditur. Deinde etiam cur ita orandum ſenibus, duobus ſaltem verbis ſimul innuitur. Hæc iam, Deo dante, breuiter tractabimus.

I. *Pars.*

Sunt autem duo præcipuè, quæ ſenibus à Deo petenda eſſe Pſaltes pronunciat.

1. Vnum eſt hoc, ne abiicias me. Intelligit enim poſſe hominem primis annis (vel iuuentutis vel virilis ætatis) Deo placere & acceptum eſſe, tandem verò etiam abiici & damnari. Poſſunt enim qui in libro vitæ per Baptiſmum inſcripti, iterum deleri, ſi peccauerint, & non reſipuerint. Quod ex verbis Domini ad Moſen manifeſtum eſt. Exod. 32. v. 33. Exemplo eſt Saul, qui cum iuuenis eſſet pius, à Deo Rex populi conſtituitur. Tandem verò in ſenecta propter impietatem à Deo abiicitur.

Eſa. 65.

Esa.65. Pueri centum annorum morientur, & peccatores centum annorum maledicti erunt.

Sæpè enim fit quod Prouerbio antiquo decantatum est, Angelicus iuuenis senibus satanizat in annis. Et non qui bene cepit, sed qui perseuerauerit ad finem saluus erit. Matth.10.& 24. At si auerterit se iustus à iustitia sua & fecerit iniquitatem, omnis iusticiæ illius, quam fecerat, non recordabitur Dominus. Ezech. 18.

2. Ne autem in senectute demum discedat à pietate, alterum etiam addit membrum Orationis, Ne deseras me. His verbis innuit Psaltes, Faciles esse lapsus humanos, Deo manum subtrahente. Et nisi is det velle atque perficere (Phil. 2.) actum erit. Non enim est in hominis potestate, perseuerare in pietate. Non sumus idonei cogitare ex nobis. 2. Cor.3.v.5. Exemplo est Dauid. Psal. 51. Gratia Dei sumus quicquid sumus.

Vsvs huius loci erit hic præcipuus, vt discant omnes, & iuuenes & senes, non nimium tribuendum virib. nostris, si maximè interdum videamur nobis stare 1. Cor. 10. Nescis enim quid serus vesper vehat. Diciq; beatus ante obitum nemo supremaque funera debet.

Notandum tamen, hæc non ideò proponi, vt inde pusillanimes reddantur homines, sed vt salutem discant operari in timore & tremore, Philip. 2. & nunquam sint securi. Iuxta id, vigilate & orate, ne intretis in tentationem, Marc. 14. Et vt nunquam intermittantur preces, cum Satan semper vigilet ad perdendum nos, 1.Pet.5. Hinc toties id ipsum in Psalmis repetitum legimus. Psalm.22. Ne discedas à me, quia propè est anxietas. Et Psalm 35. Ne recedas à me longius. Psalm. 38. Ne derelinquas me, Deus meus ne discesseris à me, &c. Et in primis notandum id Psal.51. omnibus, Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum sanctum ne auferas à me.

II. Pars.

Licet autem frequens debeat esse hæc precatio omnibus,

bus, videtur tamen ſenib. magis eſſe neceſſaria, vt orent pro aſſiſtentia illa Spiritus Domini, & ne abiiciantur. Et id videntur velle hæc duo. Primum cum ait, Ne in ſenectute abiicias me. Vbi innuit, ſenectutem per ſe multa ſecum trahere incommoda & mala, quibus circumuentus homo ſenex facilius in extium poſſit pręcipitari. Facit enim ſenectus (per ſe morbus) moroſum & impatientem in ferendis variis ærumnis, cum non poſſit gaudere illis recreationib. variis, quibus iuuenes alioquin pellere ſolent triſtitiam. Ideoque niſi Deus manum ſupponat, facile poteſt fieri vt committat aliquid, quo Deum offendat.

Alterum latet in verbis illis, Cum defecerit virtus mea. Wann ich ſchwach werde. Etenim deficiunt in ſenibus paulatim vires non corporis tantum, ſed & animi atque ingenij. Hinc ſenes bis pueri dicuntur. Claudicat ingenium, delirat linguaq; mensque. Lucret. Facilè igitur ex iudicij infirmitate peccare poſſunt, vel decepti ab aliis, &c. Certè ſapientiſſimus Salomon ſenex decrepitus ab vxoribus ſeducitur, vt fiat Idololatra.

DISCVNT itaque ſenes hinc, quæ debeant illorum in prouectiori ætate, continuæ eſſe meditationes, ſcilicet, piæ preces ad Dominum, vt ad finem vſque à Deo conſeruentur in agnita veritate & pietatis ſtudio. illi verò hanc quoq; ſemper animis ſuis infigere debent cõſolationem, quæ exſtat Eſa. 46. Vſq; ad ſenectã ego ipſe & vſq; ad caniciem portabo vos. Et Eſa. 43. Noli timere ego tecum, &c.

Porrò poſſunt hæc omnia, quæ de ſenecta hominum diximus, etiam ad ſenectam huius mundi referri. Etenim extremis his temporibus mundus vergit ad ſenectam & properat ad finem. Ideoq; magnis etiã laborat infirmitatibus. Magno etiam impetu Satan iam graſſatur in Eccleſiam, cum tempus ſciat eſſe breue. Apoc. 12. Ideoq; aſſiduè & indeſinenter orandum: Ne nos inducas in tentationem. Ne proiicias nos. Pſalm. 51. Ne derelinquas nos. Pſal. 27. Ne auferas verbum tuum. Et illud Emauntinorũ, Domine mane nobiſcum, quia adueſperaſcit. Luc. 24

Consolari autem debet pios dulcissima illa promissio Saluatoris, Confidite, ego vici mundum, Ioan. 16. Ego non relinquam vos orphanos, Ioan. 14. v. 18. Nemo rapiet oues meas ex manu mea, Ioan. 10. Et ego vobiscum vsque ad consummationem seculi, Matth. 28.

Thema XXV. Classis II.

Psalm. 71. vers. 18.

Et vsq; in senectam & caniciem Deus ne derelinquas me: Donec annunciem brachium tuum generationi omni quæ ventura est, magnificentiam tuam.

DISPOSITIO.

Sicut Iuuenes nemo laudat otiosos, sed quilibet dum vires anniq; sinunt tolerare labores iubet, sic vicissim nemo est, qui senibus inuideat ocium. Hinc illud Propert. Miles depositis annosus secubat armis, Grandæuiq; negãt ducere aratra boues. Putris & in vacua requiescit nauis arena, Et vetus in templo bellica parma vacat. At tali tamen aliquo labore Psaltes (suo exemplo) senes non quidem grauare, sed recreare, & ingrauescentem ætatem ita subleuare velle videtur hoc loco, vt molestissimi alioquin temporis tædium effugere possint. Itaq; nos in præsentia (inuerso verborum prælectorũ ordine) docebimus.

1. Quis hic senum labor esse debeat, & 2. Quibus ad hunc laborem perficiendum adminiculis opus habeant.

1. Pars.

Psaltes hoc versu Psalmi promittit, se gratia diuina adiutum, posteritati quoq; veram Dei agnitionem traditurum, si senex etiam à Deo non deseratur. Imò hoc precatur, vt ne prius tristis, otiosa & languida senectus obrepat, quàm hoc beneficium præstiterit posteris. Vult autem brachium Domini, hoc est, omnipotentiam, & (sicut ipse statim explicat, quid per brachium intelligat) virtutem, seu magnificentiam: [Germ. Krafft.] Dei annunciare, non

non tantum præsenti sæculo atque omnibus tum viuentibus, sed etiam omni generationi, quæ ventura est. Et id sanè præstitit abundè, tot elegantissimis Psalmis, omni doctrinarum & consolationum genere refertis.

Quamuis autem non omnes senes & grandæui Spiritu prophetiæ sint donati, monet tamen illos hoc suo exemplo, vt quia omnium vnus est Spiritus sanctus, Eph. 4. in hoc intenti sint omnes, vt cum ab aliis operibus per ætatem cessare cogantur, hoc tamen munere ad finem vitæ diligentissimè perfungantur, quod ad suorum posterorum & multorum aliorum (quibuscum conuersantur) informationem & eruditionem facere potest.

Hæc verò præcipuè sunt tradenda posteris, quæ de omnipotentia, prouidentia, gubernatione Dei mirabili, atque omnibus Christianæ Religionis capitibus, & ad salutem scitu necessariis, ipsi non tantùm ex sacris literis, sed etiam experientia didicerunt. Ideò enim ad tam longam ætatem viuere sinit Deus, vt posteros doceant. Hanc ob causam primi Patriarchæ fuerunt tam longæui. Vide etiam quid in Abrahamo Deus commendauerit, Gen. 18. Scio, quod præcepturus sit posteris, &c. Hinc toties Psaltes hortatur, vt laudes Domini annuncientur in generationem & generationem, Psal. 22. v. 31. Psal. 45. v. 18. Psal. 79. v. 13. Et passim alibi.

Et si Ethnici intellexerunt, officium senum esse, alios docere, [Hinc Ouidius, Iura senes norint & quid liceatque, nefasque fasque sit inquirant, legumque examina seruent, &c. Et Seneca: Præcipere mitem conuenit pueris senem:] maximè hoc apud Christianos obseruandum erit.

1. Hinc patet, quàm grauiter peccent senes, si ipsi, qui iam alios informare debebant, nihil aut parũ sciant de his, quæ pertinent ad salutem nostram. Et si conciones sacras ipsi neglexerunt, atque in graui senecta vsque adeò rudes sunt, vt à pueris necesse habeant discere Catechismi capita, (quod interdum accidit) quid aliquando

respondebunt iusto iudici, interroganti, quomodo in terris fecerint offic um?

2. Deinde cum non tam verbis quàm exemplo docere debeant senes, quid de illis senibus erit sentiendum, qui non docent honesta sed turpia, & qui non erudiunt sed offendunt &corrumpũt iuuentutem? Quod nonnulli senes impudici & nugi vendi facere consueuerunt. Grauissimam certè hi rationem sunt aliquãdo reddituri atq; dupliciter pœnas daturi, quod non erudierunt ad iusticiam alios,&quod insuper iuniores scandalizârunt. Væ homini (& maximè væ seni) per quem venit offendiculum. Matth.18. Hæc senibus diligenter meditanda, ne frustrà viuere vel ad maiorem damnationem diutius superstites esse videantur.

II. Pars.

At,quia intelligit Psaltes se suis viribus hoc quod animo proposuit in senecta minimè posse præstare, cum senes interdum, ne sibiipsis quidem sufficere possint, ideoque iam suo exemplo ostendit,qua ratione istud se speret effecturum. Precatur enim Dominum, vt etiam in senecta& in canitie ipsi adsit sua gratia ,neque ipsum derelinquat.Spiritu enimDiuino ipsum gubernante,sperat nihil sibi futurum impossibile.

Docet igitur senes, quonam adminiculo opus habeant,vt possint laborem illum, de quo diximus in 1. parte, perficere: scilicet, piis precibus. Et ostendit quàm sit necessarium,rogare Dominum, vt non tantùm in iuuentute,sed etiam in decrepita senectute regat nos suo Spiritu sancto, pro quo tam ardenter orauit Dauid Psal.51.Et sanè omnes nos solicitos esse decet, ne turpiter aliquando ab agnita veritate deficiamus, aut peccatis cõtra conscientiam caniciem senectutis dehonestemus. Currendum in stadio vsq; ad metam, nec subsistendum,1.Corin. 9.vers.24. Et perseuerandum ad finem. Matth.10.24.Nec retrospiciendum.Luc. 9. Et qui sibi videtur stare, videat ne cadat.1. Cor. 10.

Po-

Poteſt enim Spiritus ſanctus amitti exemplo Saulis, 1. Sam.16.v.14. & contriſtari vt diſcedat, Eph.4.v.30. Certè quia hoc eſt expertus Dauid, ideò tàm ardenter orat, non auferas à me Spiritum ſanctum, Pſal.51. Et hoc Pſalmo bis repetit, non derelinquas me in ſenectute mea.

Operemur itaque ſalutem in timore & tremore, Philip.2. firmam facientes vocationem noſtram magno ſtudio, 2.Pet.1.

His verò qui ardenter & inſtanter orant, hæc quoque conſolatio tenenda: Dabit Spiritum ſanctum petentibus, Luc.11.v.13. Petite, & accipietis, Matth.7. Et qui cœpit opus bonum, is perficiet, Phil.1. Virtuteque ſua cuſtodiet ad ſalutem, 1.Pet.1.v.5.

THEMA XXVI. CLASSIS II.

Pſalm.90. verſ.10.

Dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni: ſi in excellentia, octoginta anni, & eminentia illorum labor & dolor.

DISPOSITIO.

Tradita in funere viduæ octogenariæ, Claræ Weinmännin, ſocrus M. Matthiæ Köllini, Eccleſiæ & Scholæ Adelbergenſis Miniſtri fidelis. Anno 1606. 18. Octobr.

Solent plerumque in æſtimandis variis rebus homines ſpectare hæc duo, ſcil. 1. durationem vel diuturnitatem, & 2. Valorem ſeu pretium rei. Et ſicut quod durabile non eſt, propter fragilitatem aut fugacitatem non ab omnibus habetur pro pretioſo: ita quod pretioſum non eſt, ſi maximè ſit durabile, non ſolet magni fieri. Quod igitur in rebus humanis nec durabile nec pretioſum eſt, illud certè miſerum eſt. Hanc ſupputationem, in æſtimandis diebus vitæ noſtræ, inſtituit vir Dei Moſes, in verſu prælecto Pſalmi nonageſimi: vbi vitæ noſtræ inſtabilitatem ita proponit, vt illam vix vnius aſſis æſtimare videa-

videatur. Videamus igitur ex his verbis 1. quam durabilis, 2. & quàm pretiosa vita nostra sit. Wie langwirig vnd wie köstlich; vt quomodo & nos illam æstimare debeamus, intelligi possit.

I. *Pars.*

Primum vitæ nostræ breuitatem Psaltes describit, & terminum quo illa finiatur exprimit: dicens, Dies annorum nostrorum attingere annos 70. vel ad summum 80. Vbi primò notandum, quòd vir Dei Moses (cui hic Psalmus tribuitur) terminum illum ponat, qui suis temporibus erat communis. Non enim loquitur de longæuitate patrum ante diluuium, nec de his, qui statim pòst diluuium vixerunt vsq; ad tempora Abrahami, qui partim ducentis, partim verò vltra centum annos vixerunt.

Deinde sicut non comparat annos ætatis sui temporis cum patrum longæuitate, ita etiam non loquitur vel de his, qui immatura morte pereunt, vel etiam de his, qui singulari Dei beneficio vltra communem hominum sortem, vitam produxerunt, sicut ipse Moses singulari beneficio Dei centum & viginti annis vixit.

De eo igitur loquitur, quod communiter & vtplurimum tum accidit.

Deplorat tamen vitæ humanæ breuitatem, si maximè ad summum perueniat, tantum esse 80. annorum terminum. Si enim conferantur cum annis Patriarcharum mūdi originalis, vix decima pars superest de illorum longæuitate. Et si conferantur ad æternitatem, non sunt momentum vnum. Syr. 18. v. 8. Si ad Dei calculū, (coram quo mille anni sunt sicut vna dies Psal. 90. & 2. Pet. 3.) reducamus, certè vita hominis octogenarij vix sesquihorulę spatium æquabit.

LOCVS. Si nos post tempora Mosis terminum vitæ humanæ exigamus ad nostram ætatem, minor certè prodibit numerus. Etenim qui olim tempore Mosis communis erat terminus vitæ, iā certè est rarissimus. Pauci enim septu-

ſeptuaginta vel octoginta annos attingũt apud nos. Nec mirum ſpacio ter mille annorum decreuiſſe ætatem hominum decem aut viginti annis, vt quod tum fuerunt 70. & 80. iam ſint 50. & 60. anni. Sic itaque & nos verè cum Iacobo poſſumus dicere: Dies peregrinationis meæ pauci, non pertingunt ad numerum annorum vitæ Patrum meorum. Gen. 47.

Sed quæ cauſa eſt quod reſpectu Patriarcharum mundi Originalis vita noſtra tã breuis eſt? Plures haud dubiè cauſæ ſunt, quas hoc loco nolumus commemorare. In ſpecie quidem poſſemus dicere, has eſſe inter præcipuas, ſc. peccata hominum, quæ Dominus tamdiu ferre amplius non vult: & intemperantiam etiam noſtri ſeculi, quæ abbreuiat vitam. At generaliter dicendo, mundus vergit ad finem, ideoque decreſcunt & inclinantur cum ipſo omnia. Sic etiam ætas hominum.

1. Facere autem debet hæc meditatio ad doctrinam, vt cum tempus vitæ breue ſit, benè iſtud collocemus, & in tempore opportuno conuertamur ad Dominum. Memento creatoris in iuuentute. Eccl. 12. Redimentes tempus. Eph. 5. Col. 4. Ne accidat idem quod virginibus fatuis. Matth. 25. De rege Ioſia, quærebat Dominum cum puer adhuc eſſet. 2. Par. 34. v. 2.

2. Deinde quia tempus vitæ breue eſt, non graue ſit nobis cito mori. Quid enim refert ſi viuas 60. annos, tamen breue eſt tempus. Vide Syrach. 41. in fine. Quin potius ad æterna tabernacula aſpirandum. 2. Cor. 5. De quo in 2. parte.

II. *Pars.*

Diximus breuem eſſe vitam hominis & minimè durabilem. Quod ſi breues vitæ dies liceret tranſigere cũ magna voluptate, eſſet hoc vtique tolerabile. At docet Moſes, quam ſit vita hominis non tantũ breuis, ſed & miſera atq; moleſta. Vbi non loquitur de vita hominis alicuius ſupra modum afflicti, vel ægroti aut morbidi vel captiui,

 vel

vel pauperis, &c. ſed de vita hominis benè habentis pronunciat, quod ſit miſera: & vno verbo labor atque dolor. Hæc verò non affirmat de ſingulari aliquo atq; triſti caſu, qui accidat interdum homini vni aut alteri, ſed de eo, quod in vita omnium hominũ eſt pretioſiſſimum & eminentiſſimum. Labor & dolor id quod optimum. Quo loco igitur habendum id, quod eſt peſſimũ in vita humana.

LOCVS. Verè hæc omnia dici à Moſe præter ſcripturæ loca, Syr. 40. Iob. 7. v. 1. & 14. v. 1. etiam ipſa teſtatur experientia. At vnde tanta miſeria? A peccato. Propter peccata enim ſudor vultus, labor moleſtus & dolor anxius generi humano imponuntur, Geneſ. 3. Et ſicut per peccatum mors, Rom. 5. Ita omnis generis calamitates (vtpote mortis nuncij) ingreſſæ ſunt in mundum. Hinc fit, vt fletus prima ſit vox hominis, & illa duret per omnem hanc lachrymarum vallem. Vide Sapient. 7. verſ. 3. Pſal. 84. verſ. 7.

1. Hæc autem miſeriarum meditatio nos ad ſeriam peccatorum agnitionem, & veram pœnitentiam adducere debet: vt ſcilicet conuertamur ad eum, qui nos percuſſit, Hoſ. 6. verſ. 1. Et ideò vult nos ingredi Salomon domum luctus, vt quæ fiant circa genus humanum apud animum noſtrum perpendamus, Eccleſ. 7.

2. Deinde quia tanta eſt huius vitæ miſeria, vt illius nobiliſſimæ portio præter laborem & dolorem nihil habeat, ſtultè faciunt, qui his tantis miſeriis non cupiunt valedicere, ſed Deo euocanti adhuc repugnant, & diutius cum his malis conflictari, quàm liberari ab omnibus optant. Cum tamen omnis creatura liberationem ab hac vanitate ſolicitis gemitibus à Deo petat, Rom. 8. Certè, qui ſanæ mentis ſunt, non optabunt viuere in his turbis, ſed potius diſſolui, Philip. 1. verſ. 23. dimitti, Luc. 2. v. 29. & ſuperindui deſiderabunt, 2. Corinth. 5. verſ. 2. Cum meliora in his terris ſperare non poſſimus, Syr. 41. & viciſſim in altera vita omnis plenitudo lætitiæ parata ſit, Pſal. 16. verſ. 11.

THE-

THEMA XXVII. CLASSIS II.

Prouer.9. verſ.10.

Initium ſapientiæ timor Domini, & ſcientia ſanctorum prudentia. Per me multiplicabuntur dies tui, & addentur anni vitæ tibi.

DISPOSITIO.

Poſſet in funere alicuius defuncti ſenis & prudentis viri tale poni exordium.

Terræ demandaturi hodiè virum ſenem & prudentem in vita ſua, conuenimus maiori numero. Sunt autem hæc quæ in ipſo conſpeximus, ſingularia dona, 1. prudentia ſcil. vel ſapientia ſingularis, 2. & ſenectus annoſa atq; venerabilis. Quia verò pleriq; noſtrum & ſapientes euadere, & ſenes fieri cupimus, viſum eſt vobis hæc verba Salomonis proponere, quibus docet, 1. Quomodo & quibus mediis ſapientia comparari poſſit. 2. Deinde etiam quomodo ſenectutē adipiſci liceat. De his videamus breuiter.

I. Pars.

Sic autem habet Salomon. Initium ſapientiæ timor Domini. Eadem ſententia extat etiam Pſal. 111. v. 11. Prou. 1. v. 7. & Syr. 1. v. 16. Videtur autem nobis horum verborum commodiſſimus interpres eſſe Beatus Hiobus, qui cap. 28. in fine hanc ſententiam ſic explicat: Ecce timor Domini ſapientia eſt, & vitare malum prudentia. Vno verbo, qui verè ſapiens haberi & eſſe vult, is Deum timeat; ex illo timore Dei filiali vitet peccata, quæ Deum offendunt. Hic ſapiens eſt coram Deo. Idem explicat Salomon ſubſequentibus verbis: Et intellectus docet quæ ſancta ſunt. Idem eſt ꝙ Hiob dicit, intellectus ſeu prudentia eſt vitare malum. Nam qui timet Deum, ſapiens. Qui ſapiens eſt, vitat malum, & facit quæ ſancta ſunt, & quæ Deo placent.

DISCIMVS hinc, quæ ſit vera ſapientia: ea ſcilic. quæ cognoſcit Dominum Deum, & facit quę ſancta ſunt. Hæc

est ipsa vita æterna, vt cognoscant, &c. Ioan. 17. Qui gloriari vult, glorietur in eo, quod me cognouerit, & intellexerit, quoniam ego Dominus, Ier. 9. v. 24. Illa igitur mundi sapientia, in qua gloriantur alij quidem, quod cognitionem habeant variarum rerum absconditarum, quas iudicio humanæ rationis inuestigârunt, qualis est sapientia Philosophorum: alij verò, quod astutè omnia scire & expedire possint, qualis nostratum multorum est sapientia, coram Deo nulla est. Imô de his Paulus, quod in sua sapientia Deum non cognoscant, ideoque confundi cum omni sua sapientia, quod Philosophis & multis aliis accidit, 1. Cor. 1. Ier. 8.

Itaq; non contemnendi hi, qui licet simplices sint, & videantur νήπιοι, veram tamen Dei cognitionem habent. Sufficit illis quòd Christum sciant.

Qui verò iuxta etiam à Deo donati sunt prudentia ciuili, vt possint seruire Reip. vtiliter, duplici honore digni sunt: prȩsertim si conferant donum acceptum in vsus publicos, non priuatos, & sapientia sua vtantur ad iuuandum, non autem ad perdendum proximum. Exemplum huius est Husai Arachites, 2. Sam. 17. Contrarij verò exemplum Ahitophel. Ibidem.

DISCIMVS porrò etiam hinc, vnde illa vera, de qua suprà diximus, sapientia comparari possit. Non ex libris Philosophorum, aut aliis, sed ex timore Domini, qui discitur ex verbo illius scripto. Iubet enim verbum Domini, Deum time, & mandata illius obserua, Eccles. 12. Dominum Deum tuum timebis, Deut. 16.

Hinc etiam dicitur, verbum Dei præstare sapientiam paruulis, Psalm. 19. v. 8. Et mox ibi post verbum & præceptum Domini ponitur timor, vers. 10. quia ex verbo discitur. Idem Psal. 119. v. 130. sapientes facit simplices.

Qui igitur sapiens vult fieri, ex verbo Dei discat Deum timere, & facere voluntatem ipsius.

Hinc colligitur, non curanda mundi iudicia, qui stultos iudicat pios & timentes Deum, contra astutos, & qui sese

ſeſe in omnes formas vertere norunt, prudentes iudicat. At Deus ſtulta eligit. 1. Corinth. 1. Ideoque qui vult eſſe ſapiens coram Deo, ſtultus fiat in hoc mundo. 1. Cor. 3.

Interim nemo ſit ſolicitus, quin Deus ſtudioſis pietatis & cœleſtem ſapientiam primùm quærentibus, etiam largiri velit & poſſit prudentiam politicam, quantum officium illorum poſtulabit, & quantum ipſis ſalutare futurum eſt. Quærentibus enim cœleſtia cætera adiicientur. Matth. 6. Et qui dedit quod maius eſt, dabit etiam quod minus eſt. Is etiam Salomonem ornauit ſapientia rara & incredibili, cùm is prius ſapientiam hauſiſſet ex verbo Dei in iuuentute, mediante Nathan Propheta & præceptore. 2. Sam. 12. v. 25. Certè Dauid à teneris imbutus cognitione cœleſtis ſapientiæ, etiam prudenter agere potuit in omnibus. 1. Sam. 18. Non enim ſunt contraria: Timor Dei ſeu pietas, & prudentia ciuilis ſiue politica. Contra quam naſutuli ſentiunt.

II. Pars.

Audiuimus vnde ſapientia, ſc. ex timore Domini, qui facit ſapientes. Nunc porrò audiendum, vnde ſenectus & longæuitas. Reſpondetur, ex ſapientia. Sic enim ſequitur. Per me (inquit ſapientia) multiplicabuntur dies tui, & addentur anni vitæ. Etenim ſicut ſapientia oritur ex timore Domini, ita viciſſim longæuitas ex ſapientia. Nam qui ſapienter agit iuxta præſcriptum verbum Dei, is dignus habetur cui contingat longæuitas. Cùm ſtultum viciſſim perdat ira Dei. Iob. 5. verſ. 2.

LOCVS. Omnes optamus longæuitatem, ſed pauci cogitant, quomodo illam poſſint aut velint adipiſci. Sapientia autem cœleſtis multiplicat dies. At hæc ſapientia nihil eſt aliud, quàm ſeruare præcepta Domini & ſtudere pietati: vt hoc non tantum loco, ſed & Prouerb. 3. v. 2. & 4. v. 10. ſcriptura docet. Piis enim, Deum timentibus & ſeruantibus mandata Dei, ſicque verè ſapientibus promiſſa eſt longæuitas. Exo. 20. Deut. 5. Eph. 6. Deut. 4. v. 39. Exempla. Abraham, Ioſua & Caleb.

Contra

Contra impiorum dies abbreuiandos minatur Dominus, Prou.10.v.27. Psal.55. & 58.v.9.

Quod si tamen videatur Deus nonnunquam ab hac Regula discedere, & citò abripere pios, sciendum, ne sic quidem falli ipsos. Etenim quia vita æterna vera est longæuitas, properat Deus ad beatiorem vitam, vt anni piorum sint feliciores. Et quod eius rei causas habeat piis salutares, patet ex Sapient.4. Coram ipso omnis plenitudo læticiæ, Psal.16.

THEMA XXVIII. CLASSIS II.

Prouerb. 20. vers. 29.

Gloria iuuenum est fortitudo eorum, & dignitas senum est canicies.

DISPOSITIO.

Quælibet ætas sua habet commoda & incommoda, Multa ferunt anni venientes commoda secum, Multa recedentes adimunt. Quælibet etiam ætas sua vitia habet peculiaria, quibus laborat. Senectus est tenax, Iuuentus prodiga, & sic de cæteris. Omni enim ætati Satan insidiatur. At vicissim etiam quælibet ętas sua ornamenta à Deo accepit. De hoc loquitur versus Psalmi præsens: & Iuuentuti laudem fortitudinis: vicissim senibus venerandam caniciem tribuit. De his dicemus, & quid vtrique ætati conueniat, videbimus, Deo dante, breuiter.

I. Pars.

Gloria iuuenum est fortitudo eorum. Infantia planè debilis est & infirma, atq; indiga omni vitæ auxilio. Vagituq; locum lugubri complet, vt æquum est, cui tantum in vita restet transire malorum. Editus in lucem, iacuit sine viribus infans, Mox quadrupes, rituq; tulit sua membra ferarum. Pueritia haud paulò est firmior & melior. Atque ea est ætas mollis, & nondum poplite firmo consistit. Vicissim senectus est tremula, infirma & per se morbus. Iners senectus baculo adiuuat gradum. Et sanè omnis

mnis gressus, pesq; senis, solet manus alienæ expectare leuamina.

Hinc fit vt neq; puerilis nec senilis ætas apta sit laboribus. Ideoque iuuenibus labor tribuitur, & roboris illis pars maior quàm mentis inest. His enim dicitur, Dum vires annique sinunt tolerate labores, Aut mare nauigiis, aut vomere scindite terram, Aut fera belligeras addito in arma manus.

Gloria igitur illorum est fortitudo, qua varios labores aggrediuntur, atque perficiunt.

L. I. Discunt hinc iuuenes, si labor sit gloria fortitudinis ipsorum, consequi inde, quod ocium magna eorundem sit futura ignominia: si membra ipsorum torpescant ignauia. Fortitudinem enim acceperũt à Deo, vt apti sint laboribus, in pace & bello, domi forisq; ferendis. Etenim si omnibus dictum est, in sudore vultus vesceris pane tuo, Gen. 3. maximè iuuenibus dictum id est, in quibus est vis vigorque, vt labores possint ferre duros. Si hoc non curent, indigni qui manducent habentur, 2. Thessal. 3.

Et sunt sanè plurimæ causæ, ob quas laborandum, sc. vt 1. faciat homo officium, vtque benè sit ipsi. Psal. 128. v. 2. 2. vt effugiat paupertatem, Prou. 6. v. 10. & 24. v. 33. 3. vt caueat libidines, furta & scelera, & ne discat malè agere nihil agendo, cum ocium sit puluinar Satanæ, Eph. 4. v. 27. Quod si hæc non mouent iuuenem, vt studeat honestis laboribus, vna tamen hæc ipsum impellere debebat, sc. vt ex fortitudine sua reportet gloriam labore partam, cùm iuuentus alias sit gloriæ cupidissima. Videmus quam gloriam fortitudine sua comparauerit Dauid, 1. Sam. 18. v. 16.

Ingrati sunt erga Deum, quicunq; fortitudinem suam non conferunt ad labores honestos.

II. Monentur etiam iuuenes quàm grauiter peccent, qui vires iuuentutis crapula & ebrietate vel etiam illicitis libidinibus exhauriunt. Illos pœna dolenda comitatur. Prou. 24. v. 29. Syr. 19 vers. 3. Tueantur itaque valetudinem, eamque non temerè & petulanter lædant, vt priusquam

quam aliquid boni effecerint, marcescant, & inutiles fiant ad omne genus laborum.

II. Pars.

Senibus, quia fortitudo & robur corporis negata est, aliud ornamentum concessit Dominus, de quo Salomo hoc loco, Decus senum canicies. Commendat hoc senes, quod illi exantlatis multis laboribus, variarum rerum habent experientiam. Hinc ad consilia apti gubernaculis Reipublicæ adhibentur.

Estq; illorum tum maximè veneranda canicies, si superiorem ætatem honestè peregerint. His ipsorum canis omnes debent honorem. Et hac coma, tanquam plumis cygneis, ornauit ipsos Dominus, vt ab aliis pręmij & mercedis loco pro multis laboribus honorem accipiant.

L. I. Docet Salomon idipsum, quod à Domino præcipitur, Leuit. 19. v. 32. Coram cano capite assurges, & honorem habebis seni. Et magna fuit quondam capitis reuerentia cani. Grauissimè puniuntur pueri illudentes seni Elisęo, & exprobrantes ipsi caluiciem, 2. Reg. 2. Omnes enim optant sani consenescere, sicut Tobias & Sara, Tobiæ 8. v. 10. Et possunt nos senes de multis erudire, atque ideo ipsorum dicta audienda, Syr. 8.

L. II. Neminem pudeat senectutis, aut caniciei, cum ornamentum sit, non dedecus. Inepti igitur sunt, qui canos quoquo modo possunt tegere, vel alio colore induere tentant. Nota est historia ex Macrobij Saturn. l. 2. ca. 5. de filia Augusti Iulia, quæ cum cœpisset habere canos, per famulas eos euelli curabat. Hanc cum interrogaret pater, an cana vel calua esse mallet, ipsaq; responderet, cana esse malo, reprehendit parens, quod se caluam fieri curaret. Non igitur caniciei, sed rerum turpium nos pudere debet. Inprimis verò senibus cauendum, ne quid sua canicie indignum committant: sicut duo isti senes in historia Susannæ. Vide etiam Syr. 25. v. 4. GENERALITER autem & Iuuenes & senes monentur, ne qua ætas alteram con-

contemnet: cum non vni ætati cuncta Deus dederit, sed cuilibet suum ornamentum. Quin potius hoc agant omnes, senes pariter & iuuenes, vt mutuas tradant operas, & coniunctis operis iuuent Ecclesiam vel Rempub. Videtur enim Deus propterea iuuenibus concedere robur, non prudentiam: & contra senibus prudentiam largiri, robur verò negare, vt inter se firmius connectantur, dum vnus alterius opera indiget.

Vnusquisque dono diuinitus accepto vtatur ad iuuandum commune bonum, 1. Pet. 4. vers. 10. & quia à Deo omnia accepit, non glorietur quasi non acceperit, 1. Cor. 4. Et cogitet vnusquisq; diuisiones χαρισμάτων esse, 1. Cor. 12. ideoq; omnia ad vsum communem contribuenda.

FINIS.

THEMA XXIX. CLASSIS II.

Prouerb. 10. vers. 27.

Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur.

DISPOSITIO.

Si quis nouus huc aduentaret Medicus, qui singulari remedio inuento dies vitæ humanæ posset prolongare ad multos annos, bone Deus, quis ad ipsum totius populi fieret concursus? Cum plerique nihil magis in votis habeant, quàm vt diu viuere possint. Ecce autem hoc loco certissimum experimentũ, non à Nugatore quodam circumforaneo, sed à sapientissimo Salomone nobis demõstratum, quod ad vitæ longæuitatem conducit. Et cui verè possumus subscribere, Probatũ est. Nec hîc multa pecunia opus, vt tãtum ditioribus liceat emere, sed vili pretio, imò absque pretio gratis omnibus, tàm pauperibus, quàm diuitibus concessum est. Et tale est sanè remedium, quod omnes sibi facilè possunt applicare: quodq; omni ætati, omniq; hominum complexioni vel conditioni accõmodatissimum est. Hæc autem ars omnis latet in hoc

quem

quem prælegimus versu, ex quo 1. demonstrabimus, qua ratione dies vitæ nostræ possint prolongari.

2. Deinde etiam quæ sit causa, quod multorum anni abbreuiantur.

I. *Pars.*

Sic autem Salomon: Timor Domini adauget dies vitæ. Hoc, hoc est vnum illud remedium, quo dies vitæ nostræ possunt prolongari. Varia solent alioquin excogitari ab hominibus remedia, quibus vitam ad multos annos possint producere. Alii de nescio qua medicina vniuersali splendidè nugari possunt: alii aurum istud potabile conficere tentant pro longæuitate hominis.

Veteres olim Panaceam hominib. commendabant, variorum morborum vniuersalem medicinam. Virgil. Spargitq; salubris, Ambrosiæ succos & odoriferam Panaceam.

Lucianus. Et Panacea potens. Hinc multiplex illud & varium πάνακες, aliud ἡράκλειον, aliud ἀσκλήπειον, aliud χειρώνειον, siue centaurium, aliud tandem Ligusticum.

At contra vim mortis non est medicamen in hortis: & neq; herba neq; cataplasma sanare illos poterat. Sap.16.

Vnum hoc, quod Salomon nobis ostendit, instar medicinæ vniuersalis est, quæ dies vitæ adauget, Timor sc. Domini. Etenim qui vitæ est & mortis Dominus. Sapient.16. hac nos vti medicina voluit, & vni huic medicamento virtutem indidit, vt posset ad longæuitatem facere, hoc modo: 1. Vt qui Deum timet, studeat pietati & vitet peccata (Syr.1.v.27.) quæ mortem alioquin accelerant. Etenim qui timent Deum, illi etiam viuunt temperanter, & cauent ab omni luxuria, quæ cor & vires aufert. Ose.4. Pietas itaque ad omnia vtilis est, etiam ad longæuitatem comparandam, in præsenti seculo. 1. Tim.4. Sic enim promisit Dominus Deuter. 4. Serua præcepta mea, vt sis longæuus super terram. Idem Ex. 20. Eph.6. Et Deut.30. Hæc est longitudo dierum tuorum, vt diligas Dominum Deum tuum, & vocem illius audias

2. Pre-

2. Preces etiam ex timore Domini profectæ huc pertinent. Nam voluntatem timentium se faciet Psal. 154. v. 19. Illustre exemplum extat Esa. 38. de Hiskia. v. 5. Exaudiui orationem tuam. &c.

Mirum itaque quod cum pleriq; vitæ cupidi sint, pauci tamen studeant eiusmodi rebus, quibus vita prolongatur. Tu autem, ô homo, Deum time, abstine à peccatis, Deumq; sedulò precare, & addet diebus vitæ tuæ non quindecim ânnos, sed multa secula, ita tamen, si id non obsit saluti tuæ. De quo plura alias.

II. Pars.

Sicut autem pietas & timor Domini prolongat vitam, ita vicissim impietas abbreuiat dies. Possent multi naturaliter viuere diutius, sed illi sibiipsis mortē consciscunt, non tantum violenter, sed hoc modo, vt ne ipsi quidem hoc animaduertant. Inuidi seipsos enecant. Nam inuidus alterius rebus marcescit opimis.

Ebrii sua intemperantia ante tempus semetipsos iugulant. Vbi dolor, vbi væ, Prou. 23. v. 29.

Idem de scortatoribus sentiendum, qui sunt proprii corporis excoriatores. Vide Syr. 19. v. 3. Contentiosi & plagosi dant sæpius pœnas temeritatis suæ, quando ab aduersa parte occiduntur.

Magi & similes interdum à Magistro suo Satana iugulantur. Exemplum Actor. 19. vbi Satan vulnerat Magos. Facinorosi, & scelerati interdum gladio Magistratus è medio tolluntur. Fur. Ios. 7. Blasphemus. Leuit. 24. Suntque hæc notoria & manifesta exempla impietatis vitam decurtantis.

Interdum verò Deus occulto modo vitam abrogat impiis, vt pœnas dent scelerum. Her & Onam, Genes. 38. Interdum alia ratione punit per hostes, vt Hophni & Pinehas in bello pereunt. 1. Sam. 4.

Sic enim impiis minatur Dominus. Psal. 5. Occidis mendaces. Psalm. 55. Impii non dimidiabunt dies. Psal. 37. Transiui & non erat.

Quicunque igitur cum Dauide Psalm.102. orare vult, Non auferas me in medio dierum meorum, is etiam sibiipsi parcat, necesse est. Vellet interdum Deus vitam ipsis prolongare, dummodò ipsi sibi propriis sceleribus non attraherent & accelerarent interitum.

Monendi autem estis hoc loco, auditores charissimi, vt ne offendat vos iudicium Domini mirabile, si interdum ab hac regula discedit, & abbreuiat vitam timentibus ipsum, impiis verò prolongat. Sunt enim iudicia Domini occulta multa, iniusta nulla. Et habet Deus huius rei causas. Potissimum autem has: 1. vt pios eximat his malis citò. De quo Sap.4. Exemplum Iosiæ, 2.Par.34.

2. Vt impios inuitet ad pœnitentiam, & tempus satis longum concedat: sicut mundo originali 120. annos. De quo Rom.2. v.4. 2.Pet.3. v.9.

Hoc vbi videmus fieri, sciendum, extraordinariè agere Dominum: Regulariter autem facit Dominus cum piis & impiis, sicut nos Salomon erudiuit.

FINIS.

THEMA XXX. CLASSIS II.

Prouerb. 16. vers. 31.

Corona dignitatis canicies, quæ in viis Iustitiæ reperitur.

DISPOSITIO.

Vix est quicquam in homine viliori loco habitum, quàm pili vel crines illius. Nihilominus tamen scriptura illius rei vilissimæ ita meminit, vt Deo etiam curam eius tribuat maximam. Hinc Deum in numerato habere pilos capitis nostri ipsa veritas testatur, Matth.10. v.30. Sicut autem in hominis potestate non est, vt vnum pilum, vel album vel nigrum facere possit, Matth.5. v.36. ita vicissim Deum non sine causa aliquem facere canum, testis est Salomon hoc loco. Etenim qui pilos numerat, is idem quo-

quoq; colorem illorum pro voluntate sua mutat. Nihil autem frustrà Deus facit, nec hac etiam in parte. Dicemus itaq; 1. de occasione huius loci, quid de canis senum iudicet Salomon. 2. De quibus senib. hoc intelligi velit.

I. *Pars.*

Naturæ hoc indidit creator, vt pili cuiuscunq; coloris in senectute tandem canescant. Hoc autem quia naturaliter vtplurimum ita fieri videmus, nemo forsitan magni momenti esse iudicat.

At Salomon sapientissimus ille & perspicacissimus Rex, qui omnia (naturalia etiam maximè) accuratè considerauit, hoc loco testatur, non sine causa pilos senum colorem hunc induere. Canitiem enim senibus à Deo imponi tanquam coronam.

Sicut autem corona ornamentum est in capite Regis: ita cani sunt ornamentum senectutis. Etenim sicut non omnibus corona imponitur, sed Regibus tantum, ita non omnium pili sunt cani, sed seniorum ferè tantùm, quos Deus longiori vita honorauit & ornauit. Similis locus extat Prou. 20. v. 29.

1. Docet autem hic locus Iuuenes, vt cum iudicio aspiciant canos senum, nec cogitent, hunc colorem frustrà inditum pilis, sed sciant, Deum hac quasi corona voluisse honorare senes, adeoq; ipsis hos canos propterea ante oculos statuisse, vt discant & ipsi venerari canos, etiam illorum, qui alioquin in hoc mundo (si conditionem vitæ spectes) non inter honoratiores habentur. Estque id mandatum Domini, coram cano capite assurges, Leuit. 19. Et non tantùm coram cano capite viri honorati & magni aliàs, sed coram omni cano capite.

Punit Deus contemptum senis Prophetæ, 2. Reg. 2.

Quin & gentes, & in his maximè Lacedæmonij magnum olim habuerunt honorem senibus veneranda canicie conspicuis. Hinc Ouid. Magna fuit quondam capitis reuerentia cani. Inque suo pretio ruga senilis erat.

Et Iuuenalis: Credebant hoc grande nefas & morte piandum, si iuuenis vetulo non assurrexat olim.

Grauiter itaque peccant Iuuenes contemnentes canitiem venerandam. Quod magis ferè vetulæ & anus experiuntur nostris temporibus. At cum omnes viuere optent ad canitiem, non sunt contemnendi cani vel mulierum vel virorum.

Et si Deus ipse hac canitie testetur, se senibus fauere, quorum ætatem tam diu conseruauit, quare homines illos contemnunt? Certè nemo impunè istud feret. Et qui senes deridet, vicissim in senectute deridebitur ab aliis, nisi Deus vitam illius abbreuiet ante tempus. Sed & senatus nomen habet à senioribus, ex quibus deligitur vtplurimum. Fælix etiam Res. cuius senatus corona veneranda canicie cingitur. Esaias enim pœnæ loco recenset, si aufecantur senes. Esa. 3.

II. Locvs. Non pudeat senes caniciei, sed rerum turpium. De hoc vide supra in tractat. Themat. 28. in hac Classe.

II. Pars.

Caniciem esse ornamentum senectutis diximus. Attamen sicut non omnis senectus, ita nec omnis canicies est venerabilis, quod innuit Sapiens Sap. 4. v. 8. Ideoque de quibus senibus loquatur Salomon, iam erit dispiciendum. Sic autem explicat seipsum, corona gloriæ cani, eorum tamen qui in viis Iustitiæ reperiuntur. Si quis enim maximè annorum ratione senex, at iuxta impius sit, hunc certè cani ornare non poterunt, ipse verò vicissim canos suos dehonestabit. Indignum enim iudicabunt alii boni, qui canos gestet, & qui tam diu viuere debeat, vt canus esse possit. Tales erant senes illi duo, falsi contra Susannam testes. Et quicunque sunt senes libidinosi, impuri, auari & impii, Epicuræi, &c. hi certè indigni sunt, qui canos gestent, & magis peccant quàm iuniores, quos senes illi offendunt. Væ igitur illis, si per ipsos veniat scan-

ſcandalum. Matt. 18. Satius eſſet illos nunquam natos, aut citò extinctos fuiſſe. At qui pietatem ſectantur illis venerabilis eſt canicies.

DOCENT autem hæc Salomonis verba ſenes, qua ratione honorem in ſenectute ſint conſequuturi. Certè non ſola ætas ſenes dignos faciet honore. Si qui in iuuentute res turpes exercuerunt, nec pœnitentiam egerunt, illorum certè cani maledicti erunt. Et ſi qui etiam in ſenectute aliquid admittant hac ætate indignum, illis cani non erunt ornamento.

Cicero. Non cani, non rugæ repentè authoritatem afferunt, ſed honeſtè acta ſuperior ætas. &c.

Ideoque qui canis ornari volunt in ſenectute, hi in iuuentute ſtudeant pietati. Eccle. 12. Memento creatoris in iuuentute. Ioſias puer quæſiuit Dominum. 2. Par. 24.

Hinc ſententia illa elegans: Maturè fias ſenex, ſi diu vis viuere ſenex. Et venturæ memores iam nunc eſtote ſenectæ. Non procraſtinanda pietas vſque ad ſenectutem.

Deinde caueant vbi prouectior ætas contigerit, ne quid admittant indignum ſua ætate. Quid autem ſenes deceat, legitur 2. Tim. 2. v. 22. Et exempla ſenum laude dignorum ſunt, Barſillai Gileadites 2. Sam. 19. atque Simeon, Luc. 2. pii item Patriarchæ ſenes, Abraham, Iſaac, Iacob, &c. Lacon ille Spartanus referebat ſe hanc ob cauſam promiſſam alere barbam, vt canos intuens nihil illis indignum committat. Nec in ſenecta demum à veritate deficiant, ſicut Salomon. 1. Reg. 11. v. 4. & Ioas Rex Iudę 2. Paral. 24. Decet enim ſenes maximè omnium conſtantia. Hinc Solon tam audacter reſiſtens Tyranno Piſiſtrato, reſpondit, ſe ſenectute fretum hoc facere. Memorabile eſt exemplum illius ſenis Eleazari 2. Macha. 6. qui cum ſolicitaretur ad defectionem & ſimulationem, maſculè reſpondit: Non ætati noſtræ dignum eſt fingere. Nec voluit ſimulatione maculam ſenectuti aſpergere, aut iuniores ſuo exemplo offendere.

Maximè verò decet ſenes, ſi in iuuentutè diſſolute vi-

xerunt, vt in senectute agant pœnitētiam veram, & corrigant quæ peccauerunt, vt sic etiam alios suo exemplo inuitent ad pœnitentiā. Viuantq; semper mortis memores.

Thema XXXI. Classis II.

Ecclesiast. 11. vers. 8.

Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, recordabitur dierum tenebrarum, quia multi erunt. Et quicquid euenerit, vanitas erit.

DISPOSITIO.

Prouerbio dicitur: Qui diu vixerit, multa experietur. Illud verum esse testantur hæc Salomonis verba: & simul etiam docent, quod senex aliquis omnia præteritorum annorum acta repetens, & apud animum suum omnem vitam suam in rationem inducens, vel transactæ vitæ rationem computans, inuenturus sit tantum vanitatis, vt vix boni aliquid in omni vita sua expertus videatur. Attamen licet hæc omnia præsentibus oculis intueamur, vix tamen persuaderi nobis patimur, vera isthæc esse. Si enim vera esse crederemus, non tantopere huius vitæ longæuitatem efflagitaremus.

Itaque verba Salomonis primum excutiemus, deinde etiam quid nos monere debeant, videbimus.

I. *Paraphrasis.*

Breuis alioquin est vita hominis, respectu vel æternitatis vel longæuitatis patrum. Ad summum anni sunt 70. vel 80. Psalm. 90. Et qui ad summum peruenit diu vixisse putatur. 1. Qui verò diu vixerit, & secum reputat, quam in omni ætate expertus fuerit fortunam, ferè tantum recordari poterit dierum malorum.

Etenim veteris incommodi reminiscitur miser, quanta scilicet in infantili & puerili ætate imbecillitas, in iuuenili temeritas, leuitas vel imprudentia, in virili infelicitas,

citas, atque in senilibus demum annis infirmitas ipsum afflixerit.

2. Et quanto plures annos vixit tanto plura sensit incommoda. Multorum enim annorum mala recordatur senex.

3. At ne quis putet, Hæc tantum intelligi de his, qui plane infælici sydere (quod dicitur) nati sunt: ideò addit Salomon, se loqui de sene qui hilarem putetur & dulcem vixisse vitam. Imò qui lætatus est in omnibus, tamen dierum malorum (qui verè dicuntur dies tenebrarum, hoc est, doloris & mœroris, Esa. 37. v. 3. Ioël. 2. v. 2.) cum gemitu recordabitur. Quæ enim potest esse dies læticiæ in his terris, cum extrema gaudij semper luctus occupet. Prou. 14. v. 13. atque omné gaudium felle tristiciæ misceatur.

4. Et vno verbo rem omnem expedire vult Sapiens, quicquid ipsi euenit, vanitas est. Si maximè visa fuerit affulgere lętior aura, mox tamen crucis nebulæ offuderunt tenebras. Nihil enim est ex omni parte beatum, quicquid in hoc toto mundo est. Vanitas vanitatum & omnia vanitas.

Stat itaque firma & immota hæc Regis nostri sapientissimi sententia, quod si maximè interdum homini contingat longior ætas, eaque videatur multum habere fælicitatis, tamen si vel tandem omnia ad calculos vocare velit accuratius, hoc vnum illum deprehensurum, quod tam multi dies tenebrarum illum non passi fuerint veram contueri lucem.

II. Loci.

1. Admonet nos hic locus de ingenti & ineffabili miseria vitæ humanæ, in qua ferè nihil præter vanitatem reperire licet. Hinc peregrinationibus continuis comparatur à Iacobo. Gen. 47. Militiæ à Iobe: & diebus mercenarii. Iob. 7. Summa quod preciosum, labor & dolor est. Ps. 90. Syr. 40.

At non opus erat nos toties de his moneri, si sapere possemus.

ſemus. Vbi enim res loquitur, ibi verbis opus non eſt. Interim tamen huius vitæ deſiderium tantum eſt, vt nemo ferè illam relinquere velit. Ideoq; de his miſeriis nos ſæpius moneri vtile eſt, vt vel tandem hanc lachrymarum vallem (ſicut verè dicitur Pſal.84.) faſtidire, & mundo valedicere diſcamus: atque cupiamus diſſolui cum Paulo, Phil.1. dimitti cum Simeone, Luc.2. Atqui multi tàm ſenes, quàm iuuenes hîc errant grauiter. Iuuenes ſe extra omnem mortis aleam poſitos putant. Senes ſperant meliora. Et nemo tàm ſenex eſt, qui ſe non annum viuere poſſe putet. Quod ſi verò iuuenes cogitarent de his miſeriis, non optarent vitam longiorem. Senes verò ſi rationes cum Salomone ſæpius inducerent, & vanitates iam olim viſas aſſiduè computarent, certè aliud ſentirent, & potius orarent cum Elia, Domine, tolle animam meam, 1. Reg. 17. Sat habeo. Cœleſtia enim magis quærenda & ſuperna, Coloſſ.3. Phil.3. 2.Cor.5.

At pauci deſiderio alterius vitæ tenentur. Plurimi terræ affixi vitam hîc longæuam optant.

II. Vnde tanta miſeria huius vitæ agnoſcenda. A peccato. Peccata itaque deteſtemur, fugiamus & caueamus. Illa enim diuidunt Deum & nos, Eſa.59. Et ſicut peccati ſtipendium mors, Rom. 6. ita omnis miſeria.

III. Nemo ſuam felicitatem quærat in his terris. Neq; veram vitam putet eſſe in his terris. Cum vera vita non ſit, niſi vbi feliciter viuitur, teſte Auguſtino. Iſtam mortalem vitam, mortalem dicant vitam, an mortem vitalem, neſcio, ait idem. Confeſſ. lib.1. cap.6.

Stultè igitur agunt quicunque voluptatem & delitias huius mundi ſectantur, & in diem viuunt, exiſtimantes, ſic ſe miſerias huius vitæ poſſe profligare. Quemadmodum Diues Epulo, Luc.16. Nabal, 1.Sam.25. & Epicuræi illi feciſſe leguntur, qui dicunt: Edamus, bibamus, cras moriemur, 1.Cor.15.v.32. Et illi, quos deſcribit liber Sapientiæ cap.2. v.6.

Tales enim hîc nihilominus ſunt miſeri, dum ſemper

cum

cum tremore coguntur expectare vocem illam de cœlo, Luc.12. Stulte, hac nocte auferetur anima tua, aut illam, Daniel.5. Appensus es in statera, & inuentus es minus habens, &c. Et quia animæ suæ non habuerunt rationem, cruciabuntur in æternum, Esa.66.

Christiani autem non grauentur in hoc mundo pati pressuram, Ioan.16.v.33. vt ibi solatio frui possint cum Lazaro. Et soletur ipsos gaudium futuri sæculi, quod non auferetur ab eis, Ioan.16.v.22. Psalm.16.v.11.

THEMA XXXII. CLASSIS II.

Ecclesiast. 12. vers. 1. ad 8.

Memento Creatoris in Iuuentute tua, &c. Manual. pag. ~~…~~ 276. infra.

DISPOSITIO.

Egregius est hic locus, vbi Salomon triste senium depingit iuuenibus considerandum: vt cogitent, quid aliquando de ipsis sit futurum, qui iam sunt propter integras vires corporis insolẽtiores. Notandum autem, quod cùm in verbis præcedentibus huius capitis Salomon iuuenes sic fuerit allocutus, Lætare iuuenis in adolescentia tua, & lætum sit cor tuum in iuuentute tua; is tamen ita temperare voluerit iuuenum læticiam, ne obliuiscantur Creatoris, ostendens primum quàm citò obrepat nõ intellecta senectus, quam (mit verblümbten Worten/) metaphoris venustissimis ita describit, vt vix eam penicillo pictor potuerit accuratius depingere. Deinde verò addit Sapientissimus Rex, quid tristem senectutem mox subsequatur.

Hæc iam cum suis doctrinis breuiter videamus.

I. *Pars.*

Memento, ô iuuenis, inquit Salomon, Creatoris tui, cogita te ortum habere non ex temetipso, nec ex fortunę casu, sed Deum te creâsse, vt ipsi seruias, & ipsum vt pa-

 trem

trem honores. Malach.1. Sic enim in ſymbolo profiteris, Ego credo in Deum patrem omnipotentem Creatorem.

Non autem exiſtimes, ſatis eſſe ſi de ortu & creatione atq; creatore tum demum cogites, cum mors & interitus approquinquauerit: Sed in iuuentute tua de his cogitabis. Ratio. Quia vbi conſenueris, accedent anni, quos dices tibi non placere. Tantis enim tum grauabere malis & incommodis, vt de creatore difficilius cogites quam dum es iuuenis.

Senectus enim per ſe morbus multum te affliget. Quid igitur incommodi fert ſenectus, quo minus tum poſſim optimam habere occaſionem cogitandi de Deo creatore? Audi. Depingam tibi ſenem ægrum & tremulum. 1. Sol & Luna, Lux & ſtellæ obtenebreſcunt, &c.

Lux læticiam, tenebræ triſticiam afferunt: & idem etiam ſcriptura intelligit, Ioël. 2. v. 2. ſicut Germanico Prouerb. etiam nos dicimus, Es will kein ſtern da ſeyn. Ita in ſenectute omnia ad triſticiam vergunt. At dicitur alias, poſt nubila Phœbus. Nach Regen kompt Sonnenſchein. Sed hîc alia eſt ratio. Poſt pluuiam denſæ recurrunt nubes. Alia aliam excipit calamitas. Deſtillationes ferè continuas ſentiunt. Prouerb. dicitur. Ein Alter hat alle tag newe zeitung. Semper noui morbi accedunt, prioribus vix ſuperatis, & fluctus fluctum conſequitur.

2. Cuſtodes domus tremunt. Manus & brachia, quæ alioquin defendunt hominem & labores ſuſtinent, iam ſunt tremula & infirma, nec faciunt officium.

3. Fortes nutabunt. Pedes qui geſtare totum corpus debebant, iam nutare incipiunt, vt baculo opus ſit gradum ſenis iuuare.

3. Molitrices otioſæ ſunt. Edentuli plerumque ſunt ſenes, & non poſſunt amplius, ſi maximè velint, omnis generis cibos manducare. Dentes igitur otioſi. Quia pauci, inquit Salomon, & longe ab inuicem diſtantes. Sæpè magis inde dolorem quam commodum ſentiunt ſenes.

4. Videntes per feneſtras obtenebreſcent. Oculi caliga-

ligabunt, vt vix præſentiſſima aſpiciant. Exemplum. Iſaac, Gen. 35. Ahia. 1. Reg. 14.

5. Claudentur oſtia in platea. Labia occluſa erunt, per quæ egreditur alioquin tanquam ex platea, quicquid eſt in corde humano, Mat. 15. Senes autẽ nec poſſunt, nec valent amplius multum loqui. Quia vox molitricis exilis. Vox ſenibus infirma & humilis eſt, vt non amplius clarè loquantur.

6. Expergiſcitur ſenex ad vocem auiculæ. Senes facilè à ſomno (qui propter vẽtriculi cruditatem vel cerebri ſiccitatem eſt leuiſſimus) excitantur: cum iuuenis tuba ſonante vix excitetur interdum.

7. Incuruantur filiæ cantus. Aures audientes alioquin cantica & ſuauem melodiam, obſurdeſcunt ſenibus: vt nec percipiant ſonum, nec delectentur amplius concentu muſico. Barſillai. 2. Sam. 19. v. 35.

8. Excelſa timent & formidant in via. Senes alta loca conſcendere metuunt, & lento incedentes gradu timent leuiſſima quoque offendicula in via & lapſus metuunt. Meticuloſi ſemper incedunt. Via plana illis aſpera, & quiuis lapillus inſtar montis eſt.

9. Floret amygdalus. Caput caneſcit, & inſtar florentis amygdali capilli capitis & barbæ apparebunt.

10. Onerabitur locuſta. Incuruantur coxæ & ſpinæ dorſi ad modum incuruatæ locuſtæ. Vel, creſcit in cute calloſa durities, quaſi locuſtæ cruſta fiat.

11 Abiit deſiderium. Faſtidium cibi & potus deſignatur.

12. Rumpitur funiculus argenteus. Quia ſenex non amplius cum deſiderio (ſed cum perpetua nauſea) edit & bibit, ideoque rumpitur funiculus argenteus. Prouerbio enim dicitur, Eſſen vnd trincken iſt der Neſtel / der Leib vnd Seel zuſammen hält.

13. Decurrit ſcaturigo aurea. Humidum radicale paulatim deficit. Et extinguitur calor naturalis. Sicut lampas deficiente oleo extinguitur.

14. Vrna putei conteritur. Ventriculus,qui alioquin haurit cibum & potum, non amplius poteſt concoquere id quod accepit,ſed inſtar vrnæ confractæ cibum reiicit.

15. Tandem & rota putei confringitur. Iecur aliàs (inſtar rotæ extrahentis aquam ex puteo) quod optimum eſt de cibo & potu, ex ventriculo extrahit & diſtribuit alimenta. Iam verò non amplius facit officium, & ſic non poſſunt vires hominis refici, ideoque plane concidunt.

Hæc ſunt incommoda ſenectutis. Ideoque antequam hæc experiatur homo, in tempore conuertatur ad Deum ſuum. Quod verò nonnulli ſenes his incommodis non videntur grauati, ſciendum fuiſſe illud beneficium ſingulare: quando ſcilicet Moſes, Abraham, &c. leguntur mortui in ſenectute bona; Attamen vt plurimum hæc videmus accidere ſenibus. Itaque non eſt, quod meliorem exſpectes fortunam.

L. Inſignis hæc ſenectutis pictura facit ad doctrinam pro iuuenibus & ſenibus, & omnibus.

I. Diſcant enim hinc iuuenes & quicunque alij procraſtinatores, quàm periculoſa ſit illa procraſtinatio, de qua etiam Syr.18. cap.monet. Neſcis enim vtrum ad ſenectam vſque ſis victurus. Quòd ſi verò contingat,te fieri ſenem, vides quæ ſecum ferat incommoda ſenectus. Si enim cogites, vbi ſenuero, pietati ſtudebo, ibo ad templum; reſpondet Salomon, At pedes te non ferent. Si dicas, Tum audiam conciones, reſpondet, at auditus hebetabitur, deficiet. Legam, ais, verbum Dei. At oculi caligabunt. Meditabor tamen, inquis, audita. At tot ægritudines corporis non patientur illud. Labia tua ceſſabunt, vox tua non audietur amplius. Itaque in iuuentute diſce timere Deum. Exempla piorum Iuuenum ſunt in promptu, Ioſeph, Daniel, & ſocij, Ioſias, Dauid, Pſal.71. Spes mea à Iuuentute. Samuel, Timotheus. Pſalm. 119. Quomodo inculpatè vixerit adoleſcens, inquit Dauid: & reſpondet, ſi cuſtodierit ſermones tuos. Diſce igitur voluntatem Domini ex verbo ipſius,& cum accedent anni af-

ni afflictionis, senties consolationem. Et certè vehementer opus est, vt in iuuentute orent pij ad Dominum, ne in senectute abiiciantur vel derelinquantur. Quod videmus factum à Dauide, Psal. 71. v. 9. & 18.

II. Quicúnque verò senes pij hæc incommoda sentiunt, illi loco magnæ consolationis ponant idipsum, quod intelligunt, ipsorum infirmitates Deo non esse incognitas: quia tàm exactè à Spiritu sancto describuntur. Et soletur 1. ipsos istud. Esaiæ 46. Ego ad senectam vsque portabo. Non derelinquam te vbi senueris. Ego tecum. 2. Fidelis Deus non sinens vltra vires tentari, 1. Corinth. 10. Scit enim quale simus figmentum, Psalm. 103. vers. 14.

III. Omnes autem in genere intelligunt, verum esse illud Prouerbium, Senectutem esse hospitem, qui quidem à plerisq; sæpius inuitetur; ast vbi comparuerit ab omnibus tùm fastidiatur. Non igitur tantis contentionibus petenda longæuitas & seniles anni: sed etiam in iuuenta parati simus discedere ex hac lachrymarum valle.

Ast vbi Deus nos ad longam senectutem viuere, atque hæc etiam incommoda experiri voluerit, est vt patienter feramus. Si enim bona (& integras corporis atque animi vires in iuuẽtute) accepimus à Domino, mala cur non sustineamus, Hiob. 2. v. 10. Et rogandus Dominus, vt non abiiciat nos tum à facie sua, nec Spiritum sanctum auferat, Psal. 51.

II. Pars.

Sed quid tandem fit, vbi senectus tàm variè afflixit hominem? Tendit homo ad domum suam sempiternam: id est, ad sepulchrum tandem deuenit, ibique ipsi manendum vsque ad finem seculi. (Æternitas enim in scriptura tripliciter intelligitur. Vel ad finem vitæ hominis refertur, vt; erit tibi seruus in æternum, id est, quoad vixerit. Deuteron. 15. v. 17. Vel ad finem huius sæculi extenditur, vt hoc loco. Vel infinitam æternitatem denotat, vt Genes.

Genes.3.v.22. Psal. 102. v. 13.) Et hoc quotidiè fieri testantur qui frequenter in viis circũeunt lugentes. Sunt enim exempla talium ferè quotidiana. Hodie mihi, Cras tibi. Syrach. 38. Sed quid tum fiet? Numquid silicernio in terram abscondito, omnia tum finem habent, vt nulla amplius sit memoria omnium eorũ, quæ in terris acta sunt? At restat aliud. Es wirdt nicht also wett seyn. Puluis quidem reuertitur in terram. Corpus ex terra est, adeoque in terram resoluitur. Gen. 3. Spiritus autem, hoc est, anima hominis, reuertitur ad Deum, qui dedit eum. Anima sistitur iudicio Dei, vt is pronunciet, quo loco habenda sit. Is enim potestatem habet super Spiritum, quia dedit eum. Respicit ad formationem Protoplasti. Gen. 2. vers. 7.

Vel si de animis piorum hoc tantùm intelligatur (de impiis enim alia est ratio) hoc vult, animas piorum in manu Dei asseruari, ne tangat illas tormentum. Sap. 3.

Locus. I. Cum Salomon puluerem nobis hîc obiicit, ad humilitatem inuitat, ne superbiamus, nevè alter alterum contemnat, cum omnes ex eadẽ massa facti sint, scil. ex limo terræ. Agnoscit hoc Abraham Gen. 18. puluis & cinis sum. Hinc Syr. 10. Quid superbit terra & cinis? Iob ait nos incolere domos luteas. cap. 4. v. 19. Et sciendum quod etiam reuertendum nobis sit eò, vnde sumus prognati.

II. Cum videamus animam non simul cum corpore extingui, sicut Epicuræi sibiipsis persuadent, sed certum sit, animam mox vbi egressa fuit ex corpore Deo iudici sistendam, vt pro gestis in corpore vel ad barathrum inferorum, vel ad sedem beatorum adiudicetur: Certè iuuenes & omnes alij cautè agere & in tempore cum Deo in gratiam redire debent, ne in lacum, sulphure & igni ardentem, proiiciantur. Quamprimum enim moritur homo, tum experietur quomodo vixerit. Syr. 11. vers. 29.

Quid igitur faciendum, cum animæ quidem omnium diuino iudicio sistendæ, piorum autem tantum saluandæ & in manu Dei asseruandæ sint? Hoc agendum, vt animæ puræ & sanctæ sint. Nam immundus non regnabit

bit in Ierosolyma cœlesti, Esa.52.v.1. Itaque purificandæ & sanctificandæ animæ. Quomodo? Fide. Actor.15.v.9. vt expurgetur vetus fermentum, 1.Corinth.5. Hinc illud Psal.15. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui ingreditur sine macula, &c. Corda nostra ita paranda, vt sint templa Spiritus sancti, 1.Corin.6. Hinc, Rom.8. egregius extat locus in hanc sententiam, Quod si Spiritus excitantis Iesum à mortuis, habitat in vobis, is viuificabit & mortalia vestra corpora, propter ipsius Spiritum inhabitantem in vobis.

THEMA XXXIII. CLASSIS II.

Syrach. 41. in fine.

Noli metuere iudicium mortis. Memento à Deo sic ordinatum esse super omnem carnem, eorum videlicet, qui ante te fuerunt, & qui post te in hunc mundum ingredientur. Et quid recusas voluntati diuinæ obtemperare, siue viuas tantum decem annos, siue centum, siue mille? In morte enim non quæritur, quamdiu quis vixerit. Græc. In sepulchro non est redargutio vitæ.

DISPOSITIO.

Mors omnium malorum terribilissimum existimatur à plerisq;, cum coniunctissimos diuellat, neq; tantum amicos, sed etiam corpus & animam separat, nec sine dolore. Hinc quoq; pij horrent mortem, & trepidant multi vel ad nudam mortis mentionem. Et hoc videtur esse naturale, atq; innatum hominibus. Notandi itaque magno studio Loci scripturæ, qui amaritudinẽ mortis vincere, & horrorem illum (ipsa morte acerbiorem) pellere docent. Talis est & hic insignis locus Syracidis, vbi Sapiens docet 1. Mortem non esse tantoperè extimescendam: vbi notandum, de quib. hoc sit intelligendũ. 2. Causas addit, quare mors non debeat esse formidabilis, quas excutere placet.

I. Pars.

I. Pars.

Noli metuere, inquit Syracides, iudicium mortis. Hoc loco natandum, quibus mors non sit extimescenda. Impij sanè haud immeritò mortis iudicium timent, cùm audiunt, se mox vbi naturæ debitum persoluerunt, cruciatibus adiudicandos esse æternis. Duplici enim morte illis pereundum. Primam enim & corporalem excipit mors secunda. De qua Apoc. 21. Sic enim Syr. 11. v. 29. cum moritur homo, experitur quomodo vixerit. Et simul illud de Diuite Luc. 16. quòd mox vbi sepultus fuisse legitur, confestim addatur, ipsum fuisse in inferno.

Hoc est quod mortem facit impiis formidabilem & malam. Testis enim est Augustinus lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 11. quod hoc quod sequitur mortem, malam etiam faciat mortem. Et hoc maximè curandum, quo quis moriendo ire cogatur. Cum autem impij moriendo ad æternos cruciatus ire cogantur, non sine causa mortis iudicium metuunt. Ibi enim excipiet illos fletus & stridor dentium. Matth. 8. 13. Luc. 13.

Simile. Qui extremo supplicio afficiendus, timet pulsum campanæ, trepidat ad conuentum Iudicum, cum tremore audit sententiam, cibũ in anxietate capit. Quia scit, peractis his mox se tradendum carnifici, vt occidatur. Ita de impiis fit, cùm instat hora mortis. Cum his itaque non loquitur Sapiens, sed cum piis, de quibus longè est alia ratio, & quorum mors mala esse non potest, cum bona vita præcesserit. Nec malum est quod sequitur illorum mortem.

Vsvs. Debebant itaque impij vel ob hanc vnam causam abnegata impietate pietati studere, ne cogantur cum timore & tremore mori, & expectare tam triste supplicium. Debebant sæpius meditari illud Heb. 10. vers. 27. quod post mortem maximè ad ipsos pertinet, sc. quod supersit formidabilis quædam iudicij diuini expectatio, &c. Cum pij vicissim magna cum voluptate exspectent aduentum redemptoris.

II. Pars.

II. Pars.

Sed videtur tamen piis etiam mors esse formidabilis, cum sit destructio vitæ, & dissoluat corpus & animam? At rationes adducit Syracides, cur non extimescẽdum mortis iudicium.

Prima sic habet. Memento à Deo sic ordinatum esse. Dei voluntas hæc est, vt qui ex terra natus est, in terram reuertatur. Quia igitur is habet potestatem vitæ & necis, Sap. 16. licet illi de nostra vita statuere quod vult. Iustum enim est, vt puluis reuertatur in terram: Spiritus autem ad Deum, qui dedit eum, Eccl. 12. Si igitur animam repetit Deus, quod suum est, repetit. Ideoq; non iniquus est.

Altera latet in verbis, vbi dicit: Super omnem carnem sic ordinatum esse à Deo. Eadem est sors omnium, qui tecum viuunt. Quid igitur petis prærogatiuæ? vt tu scilicet solus supersis? Estq; hæc via vniuersæ carnis. 1. Reg. 2. Iosuæ 23. Da gehts gleich zu. Mors nescit legem, tollit cum paupere Regem. Pallida mors æquo pede pulsat pauperum tabernas, regumq; turres. Moriendum tibi est: Cogita, Es geht dir erst wie andern Leuten.

Tertia ratio esse potest in his verbis: Eorum qui ante te fuerunt, & qui post te ingredientur in mundum. Ne enim quis existimet, eos qui ante ipsum vixerunt, fuisse feliciores, aut post se venturos tales fore: anteuertit Syracides cogitationes, & respondet, Non tantum omnes, qui tecum viuunt, sed & qui ante vixerunt, & qui post te victuri sunt, eandem ingrediuntur viam. Anne igitur melior es patribus aut posteris tuis? Elias certè dicit, 1. Reg. 19. Non sum melior patribus meis. Tolle animam meam. Sic tu dicas, lubens moriar, & cum patribus dormiam, Vnser HERR Gott darff mir kein besonders machen.

Quarta ratio. Si maximè quis conetur resistere voluntati diuinæ, dum vel moras nectere, vel prorogationem termini impetrare, aut mortis horam in aliud tempus reiicere tentat, nihil efficiet. Non enim habet homo potestatem Spiritus, in hora mortis, &c. Vide Eccl. 8. v. 8.

Es muß doch einmahl seyn. Ideò non valet, si dixeris, si prius attigissem annum sexagesimum aut octogesimum, tum lubenti animo cuperem dissolui: sed iam non sum paratus. Perinde enim est, si maximè mille annos vixisses, tamen semel est moriendum. Ist eben so gut bey zeit / als vber lang. Mors enim non curat quamdiu quis vixerit: sed tàm decennem quàm centenarium hinc euocat. Ergo non graue sit tibi etiam in flore ætatis mori. Stirbest du bald / so hast du es bald vberwunden.

VSVS. Hæc, quæ diximus, amaritudinem mortis vincere poterunt. Cum enim non nisi Deo volente moriamur, sine cuius voluntate nec capillus cadit in terram, Matth.10. Certum est, quod diligētibus Deum, mors (sicut alia omnia, Rom. 8.) in bonum cooperetur. Piis enim mors non tantum est somnus, Ioan.11. 1. Thess.4. & dulcis quies, Esa.56. Apocal.14.v.13. sed etiam transitus ad vitam æternam, Ioan.5. Cumq; ante nos hanc viam ingressi sint omnes sancti Patriarchæ, Prophetæ, Reges, Apostoli, Martyres, illorum vestigia sequamur, & finem illorum intueamur, Heb.13.v.7. imitaturi fidem illorum. Et quia non tantum illos, quos præmisimus, sed etiam quos post nos reliquimus, in eadem via inuenimus, cum quibus perpetuò lætari licebit, tantò minus graue sit nobis mori. Vide verba Dauidis, 2. Sam.12. Cumq; qui citius moritur, citius etiam liberetur ab omnibus malis, cupiamus mox dissolui, & esse cum Christo, & oremus, veni citò DOMINE IESV, Amen.

THEMA XXXIV. CLASSIS II.
Syrach 18. vers. 6.

Homo cum egregiè fecerit opus, vix inceptum est: & cùm existimat se absoluisse, multum adhuc abest. Quid est homo? ad quid vtilis est? & quid potest prodesse aut nocere? Numerus dierum illius, vt multum, centum anni,

ni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt, & sicut arenæ granulum ad totam terram, sic exigui anni illius ad æternitatem.

DISPOSITIO.

Initio huius capitis Sapiens commendat maiestatem Dei Regis æterni, Creatoris huius vniuersi. Postea subiicit hæc quæ prælegimus verba, & cum diuina potentia & sapientia confert humanam imbecillitatem atq; operum humanorum imperfectionem: cuius causam ponit breuitatem & fugacitatem vitæ humanæ. Sunt igitur egregij huius loci duo membra tractanda.

1. Alterum de imperfectione omnium operum humanorum.

2. De breui vitæ humanæ termino, si conferatur ad æternitatem.

I. Pars.

A Deo impositus est homini labor, pro ratione vocationis aut conditionis vitæ. In sudore vultus pane vesci debet, Gen. 3. Inter cætera autem requiritur etiam, vt suis domesticis prospiciat, 1. Tim. 5. nisi infideli deterior esse velit. Varia igitur tentat, vt hæredibus aliquid relinquat. Sæpè autem fit, vt in medio vitæ cursu abripiatur, & sic cum vix cœpit prouidere domui suç, priusquam absoluit, quod diu multumque animo suo agitauit, ex hac vita decedit.

Deinde partem nostri laboris etiam sibi vendicat patria, vel Ecclesia, vel Respublica. Quibus dum homo suis donis diuinitus concessis inseruire studet, tamen mox cogitur cessare, cum mors ipsum auocat.

Quid igitur potuit præstare suis? Quid aliis? Certè non tantum prodesse potuit quantum ipse voluit: Cum illi diu non detur viuere. Et si maximè propositum habuit vel suis vel aliis inseruiendi vtiliter, tamen in morte vana sunt omnia hominis consilia, iuxta Psal. 146. v. 4. Vicissim si nocere aliis voluit, (quod tamen à Christiano abesse

debet quam longissimè) nec hoc poterit in actum producere, morte præuentus. Sic de cæteris hominum operibus statuere possumus. Multi docti viri præclara opera cœperunt, sed prius mortui sunt quàm ad vmbilicum perducerent. Idem de artificib. dici potest. Magnum itaq; consiliorum & actionũ imperfectionẽ huius vitę breuitas facit.

Locvs. Non sine causa Syracides hæc consideranda proposuit: quanta sit imperfectio actionum humanarum. Multum enim profuerit hæc meditatio.

1. Primum itaque docet humilitatem. Cùm enim homo ex sese neque prodesse neque nocere possit cuiquam: nisi vel donis vel viribus à Deo instruatur, vel etiam vita ipsi à Deo conseruetur aut concedatur, insanus certè erit, qui tanto fastu turget, vt se alterum Deum esse credat, in cuius manu aliorum vita & fortuna consistat.

De his Psalm. 37. Transiui & ecce non erat. Plura ibidem cernere licet, quæ huc referri debent.

Nemo itaque superbiat, nemo alios contemnat, nemo quoque aliis nocere tentet, quia nescit vtrum Deus ipsi vitam tam diu sit prolongaturus, vt possit exsequi id, quod in animo habet.

2. Deinde facit hoc ipsum etiam contra eos, qui confidunt in hominibus, quos sperant sibi fore instar magni alicuius numinis, & affuturos in omnibus aduersitatibus. Horum ope sperant se ad summum dignitatis fastigium conscensuros, &c. At cogitandum illud Psalm. 146. v. 4. Exibit Spiritus eius & reuertetur in terram: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Et quid prodesse poterit mox moriturus? sicut hoc loco innuit Sapiens. Ideoque non confidendum in hominibus, ne in principibus quidem & filiis hominum, in quibus non est salus. Ibid. & Psalm. 118. v. 8. Maledictus qui confidit in homine. Ierem. 17.

3. Tandem facit idipsum etiam contra præposterum hunc metum, vbi homines iniquos & iniustos, quos videmus in authoritate & dignitatib. constitutos, & propterea

pterea nocere valentes, nimium metuimus, ne fortè hîc vel illic noceant. Hinc multi etiam in gratiam ipſorum iniquè agunt contra conſcientiã. At cogita eſſe homines breui morituros. Hoc loco dicitur hominẽ etiam ſi velit, nocere non poſſe: quia moriendum ipſi. Numquid igitur mortui etiam nocebunt? Minimè. Minatur impius ille Achabus internecionem Prophetæ, ſi in pace reuerſus fuerit. At rediit occiſus, nec vltrà nocet, 1. Reg. 22. Et Angelus Ioſepho nunciat cum gaudio, Mortui ſunt qui quærebant animam pueri, Matth. 2. v. 20. De Iuliano Athanaſius dixiſſe fertur: Nubecula eſt, citò tranſibit. Tu itaq; Deum time immortalem: non homines mortales. Et ſi maximè fractus illabatur orbis, tamen fac officium ſine fraude, & defende veritatem. Sic Deus pugnabit pro te. Syr. 4. v. 33.

II. Pars.

Imperfectionem actionum humanarum conſiderauimus. Cauſa eius rei eſt breuitas vitæ humanæ, quam nunc etiam proponit conſiderandam Sapiens, facta collatione annorum vitæ hominis ad annos æternitatis.

Homo ad ſummum viuit centum annis, inquit. Noſtro tempore inter centum millia hominum vix vnus reperitur centenarius. Sed eſto viuat homo centum annis: (imò viuat mille annis, quod nulli hominum contigit in hoc mundo) nulla tamen eſt proportio ad æternitatem, quæ nullis annorum myriadibus finitur.

Duabus ſimilitudinib. hanc rem illuſtrat. 1. Sicut vna gutta aquæ cum immenſa & ineffabili copia aquæ maris non poteſt comparari: 2. & ſicut vnum granulum non poteſt conferri cum infinita multitudine arenæ maris: Ita nec omnes dies vitæ noſtræ vllam proportionem habent ad æternitatem. Si itaque velimus conferre vitam noſtram, quæ 60. aut 80. annorum eſt, non erit vnum momentum cum æternitate comparatum.

Locvs. Multum etiam poſſet hæc vitæ noſtræ breuitas monere; at vnum tantum & alterum delibabimus.

I. Quia tempus breue, bene collocandũ. Redimentes tempus quia tempora mala ſunt. Eph.5.v.16. Col.4.v.5. Et 1.Cor.7. fratres, tempus breue eſt, &c. Gal.6. Dum tempus habemus, benefaciamus omnibus. Certè Diabolus quia ſcit modicum ſibi ſupereſſe tempus, Apocal.12. v.12. valdè eſt laborioſus. Quare non potius nos hoc agimus, vt diſcamus & faciamus quæ faciunt ad ſalutem noſtram?

II. Stultè agunt qui tanto ſtudio & tanta cum ſolicitudine corradunt opes, quarum breuiſſimi temporis vſus ipſis conceditur. Stulte cuius erunt quæ corraſeras? Luc.12. Theſaurus potius colligendus, qui in futura vita durare poſſit. De quo 1. Tim.6.v.18.19. Matth. 6.v.20.

III. Inſani ſunt qui propter pauculos annos, quos cum voluptate tranſigere cupiunt, ſeſe in æternum præcipitant exitium: & vnius momenti voluptatulam cum æternis cruciatibus commutant, nullis annorum myriadibus finiendis. Quoties clamabunt damnati, **O ewig ewig wie biſtu ſo lang.** Impoſſibile eſt contra conſcientiam eum peccare, qui de æternitatis duratione cogitat ſemper & aſſiduè. At noſtrates hæc rident, vſque dum magno cum ſuo malo experiantur.

FINIS.

THEMA XXXV. CLASSIS II.

Syrach 41.

O mors, quàm bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, infirmo, ætate prouecto, & cui de omnibus cura eſt, & cui nulla melioris vitæ ſpes eſt nec exſpectatio.

DISPOSITIO.

Mortem communiter vocant omnes amaram, **Den bittern Todt:** Quia cum dolore ſeparat animam & corpus. Atqui Syracides hoc loco oſtendit, tantam non eſſe amaritudinem mortis, quin illa etiam aliquid iucunditatis ſecum ferat. Licet enim amara ſit homini diuiti, ſecuro,

curo, fælici & voluptatibus dedito, tamen de aliis non eandem eſſe rationem, cùm non omnes eiuſdem ſint ingenij, nec eadem omnes vtantur fortuna.

Neque verò mors ſua natura iucunda eſt, cum ſit pœna peccati: ſed per accidens fit talis, cum finem faciat malorum, quæ affligunt hominem.

Enumerat autem Sapiens quinque genera afflictionum, quæ homini faciunt mortem iucundiorem: cum illa alioquin hominem miſerum ipſa morte premant validius. De his ordine primum dicemus, & deinde ad vſum noſtrum accommodabimus.

I. Pars.

1. Bona, inquit Sapiens, eſt mors Indigenti. Hoc non tantum de pauperibus intelligi poteſt, qui panem ſuum oſtiatim quærere coguntur, ſed de omnibus aliis, qui aliorum ope, conſilio, auxilio opus habent. Die jhnen ſelbs weder zu rahten noch zu helffen wiſſen / vnnd müſſen andern Leuten in die Händ ſehen.

Quod ſanè interdum etiam ditioribus accidit: præſertim ſi non valeant iudicio: aut opprimantur à potentioribus. Taceo quod nemo hominum eſt qui non indigeat plurimis rebus ad vitæ corporalis ſuſtentationem. Si autem de pauperibus, mendicis & ſimilibus tantum velimus intelligere, expedita res eſt. Certè ſatius illis ſemel mori quàm quotidiè cum fame & egeſtate conflictari. Patet hoc exemplo Lazari. Luc. 16.

2. Bona mors infirmo, & morbis circumuento. Etenim multum præſtat mori, quàm perpetuò ægrotare, teſte hoc eodem noſtro Sapiente capite. 30. verſ. 17.

Huc redit eiuſdem Lazari exemplum.

Vide quomodo Iob optauerit mori. Iob. 3. & 7. verſu inprimis 15. & alibi paſſim. Satius enim mori ſemel quàm quotidiè. Quoties, putas, mori optauit paralyticus ille 38. annorum. Ioan. 5. quoties hæmorrhouſa mulier Luc. 8. quoties incuruata illa, Luc. 13.

3. Bona mors ſeni. Inueniuntur quidem ſenes, quorum vegetior aſpectus, quam iuniorum. Attamen plerumque ſentiunt pondera amarę ſenectæ graudæui. Et ægra ſenectus tremulo venit gradu. Imò per ſe morbus eſſe dicitur. Quotidiè enim ſentiunt noua incommoda. **Ein alter Man hat alle Tag newe Zeitung**/ dicitur prouerbio. Et teſtatur præcedens vocabulum, quod Sapiens noſter de ſenibus infirmis loquatur. His iam mors quotidiè obambulat ante oculos, quam optant citò vincere, vt vel tandem ad quietem perueniant. De ſenibus dicunt noſtrates: **Sie tragen die Seel am Arm**. Item: **Sie haben den einen Fuß im Grab**.

De incommodis ſenectutis vide Eccleſ. 12. Et exemplum Barſillai ſenis. 2. Sam. 19. v. 35.

Iucundum igitur illis diſſolui & liberari, ſi ſapiunt.

4. Bona mors homini multum de variis rebus ſolicito. Non parum affligunt hominem curæ, Syr. 30. v. 26. imò ſæpè etiam conficiunt curæ graues, vel officij, vel Oeconomiæ, vel liberorum cauſa ſolicitum tenentes virum bonum. Vide quàm graue fuerit Patriarchæ Iacobo, voluere curarum triſteis in pectore fluctus, cum de filio Ioſepho & cæteris eſſet ſolicitus. Gen. 37. v. 42. Ita de aliis iudicare licet.

5. Tandem mors bona & iucunda erit homini, cui nulla melioris vitæ ſpes nec exſpectatio. Spes alioquin alit afflictos. Et ſolent plerique ſperare meliora. At vbi nec corporis & valetudinis, nec fortunæ, nec totius vitæ ratione vlla ſpes melior affulget, ibi ſanè mortis exſpectatio eſt iucundiſſima. Elias, vbi nulla ſpes vitæ & felicitatis reliqua eſt, rogat vt moriatur. 1. Reg. 19.

Hæc ſunt, chariſſimi, quæ mortem alioquin acerbam iucundam faciunt & exoptatam, cum ipſa morte grauiora ſint mala.

Quod ſi verò ſunt, qui has calamitates experti, indigētia, infirmitate, ſenio, curis & metu futurorum malorum confecti, & tamen vltrà viuere deſiderant, inſanos illos

&

& ἀναισθήτους esse oportet. Quales interdum reperiuntur inter nos.

II. Pars.

Hæc quæ diximus, si apud animum nostrum perpenderimus, plurimum habebunt ponderis & vtilitatis apud rectè sentientes.

1. Primum enim mortis acerbitatem & amaritudinem, si non omninò tollere, lenire tamen possunt & debent meditationes crebriores, quib. malis simus expositi in hac vita. Vel n. indigentia, vel infirmitas, vel senium, vel curæ vel metus nos affligunt, &vel simul atque omnia coniuncta, vel singula diuexant miserū. Aut n. est inops, licet firmæ valetudinis sit: aut si abundat, cum perpetuis morbis conflictatur: aut senex est atque debilis, vel iuuenis multis curis distractus. Quod si cætera nescias, vel hoc vnum nos iubet præsenti animo mori, quod nulla est melioris vitæ nec spes nec exspectatio. Hora nouissima est. 1. Ioan. 2. Mala tēpora. Eph. 5. Et posteriora semper futura deteriora, Christo teste. Matth. 24. v. 21. Restant igitur illa, de quibus idem Saluator noster. Luc. 21. Erit anxietas, & extabescent multi præ timore & expectatione eorum, quæ superuenient orbi terrarum.

Quis igitur non cupiat dissolui & viuere cum Christo, quod melius esset. Phil. 1. Quis non cupiat dimitti cum Simeone. Luc. 2. Quid faciunt igitur qui hanc vel mortalem vitam, vel vitalem mortem (vt Augustinus loquitur) tantoperè admirantur, vt exire inde nolint? Insani sunt, q non intelligunt nec credunt scripturæ, docenti quiescere mortuos à suis laboribus. Ap. 14. v. 13. Esa. 56. in fine.

Quod si maximè nihil vltrà vulgus Ethnicorum saperemus, & hoc vnum nobis esset cognitum, quod illi frequenter iactârunt, Mors si non bona, finis tamen illa malorum est, possemus amaritudinem mortis tolerare. Atqui Christiani cum simus, & hoc nos non fugiat, quod mors non tantum finis laborum & miseriarum, sed etiam

transitus ad vitam sit, piis & credentibus, multò magis promptos nos & paratos esse decet, sequi Deum euocantem per mortem ex hac lachrymarum valle. Hinc illa alacritas Patriarcharum, piorum Regum atque Prophetarum, & sanctissimorum Martyrum: quorum exempla in scripturis atq; Ecclesiasticis historijs passim sunt obuia.

2. Deindè possunt, imò debent etiam patientiam excitare in animis nostris, ea quæ supra dicta sunt: Cum intelligamus non tantum morte finiri omnia illa mala, quæ nos viuentes circumstant, sed & ex scripturis compertum habeamus, illa abundè nobis esse compensanda æterna felicitate & gloria. Si compatimur, 2. Tim.2.v.11. Rom.8.v.17. Momentanea afflictio. 2.Cor.4.v.17. Abstergentur omnes lachrymæ, Esa.25. Apoc.21.v.4.

Tum enim, vbi Deus erit omnia in omnibus, nihil nobis deerit, nulla erit infirmitas, non triste senium, non cura præsentium nec metus futurorum, Apocal.21. Nec dolor nec clamor.

SEQVITVR

CLASSIS III.

CONTINENS THEMATA TRACTANDA IN FVNERIBVS PIARVM matronarum, quæ doloribus partus superatæ, vel in ipso partu, aut non longè post expirarunt.

THEMA I. Manual. pag. 486.

Genes. 3. vers. 16.

Mulieri quoque dixit, Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios.

DISPOSITIO.

Durus est hic sermo, pronuntiatus à Deo contra Euam matrem

matrem omnium viuentium, poſtquam inobedientia ſua Deum offendit. Sicut autē peccatum Euæ ad omnes mulieres tranſiit, Rom. 5. v. 12. ita etiam hæc ſententia lata eſt à Domino aduerſus omnes mulieres. Cuius etiam bonam partem ſenſit preſens defuncta, iam terræ demandata. Ideoque hæc verba paulò altius repetenda & explicanda erunt, vt inde non tantum mulieres, (licèt illæ maximè) ſed & omnes doctrinam & conſolationem percipiant.

Primum itaque vnde tam triſtis ſententia aduerſus ſexum muliebrem prolata ſit, diſpiciendum. Deinde ipſa verba ponderanda erunt, quid ſibi velint. Tertiò ſingula ad vſum noſtrum transferenda.

I. *Pars.*

In quanta felicitate creata fuerit Eua, omnibus conſtare arbitror. Hanc illi felicitatem inuidit Satan, qui eâdem iam exciderat, & ſua culpa damnatus erat. Ideoq; omni conatu hoc agit, vt Protoplaſtos in eandē ſecum miſeriam coniiciat. Aggreditur itaque Euam, eique multis blandimentis atq; mendaciis circumuentę perſuadet per ſerpentem, vt de arbore vetita comedat, atq; ſic mandatum Creatoris tranſgrediatur. Quamuis autem eſus vnius pomi videatur res leuiſſima, tamen inobedientia hæc mulieris non immeritò ita offendit Creatorem, vt ſerpenti atque Satanæ maledixerit: & poſtmodum etiam ad mulierem inobedientem cōuerſus grauiſſimam hanc contra illam tulerit ſententiam: quæ continet duplicem pœnam. 1. Dolores. 2. Subiectionem. De prima nobis in præſentia ſermo eſt, de qua mox dicetur.

Vbi tamen notandū, quod longè alia habetur ad mulierem (ſicut etiam ad virum) concio, q̄ ad ſerpentem & Diabolum. Serpens enim cū Satana abiicitur, & maledicitur in perpetuum. Quia Satan author eſt huius perditionis.

Mulier verò etſi pœna corporali (licet ſatis graui) puniatur, tamen non maledicitur nec abiicitur in ęternum, ſed propter ſemē ex ipſa naſciturum (Chriſtum) ſeruatur.

II. *Pars.*

II. Pars.

Nunc ipſam ſententiam contra mulierem latam excutiamus. Vno verbo minatur illi dolores & ærumnas. Eaſq; duplices. 1. In conceptu. Intelligit autem omne id tempus, quo fœtus conceptus geſtatur in vtero. Multiplicabo, inquit, ærumnas hoc tempore. Teſtatur enim experientia, quod conceptum ſubſequantur varii & maximi dolores capitis, vertigo, dentium atque aliorum membrorum dolores. Accedunt nauſea & faſtidium cibi atq; potus moleſtiſſimum, crebri & difficiles vomitus. Nec infrequens eſt illud ventriculi vitium, quod picam alij, alij verò cittam vocant, vel malaciam (Græcè dicitur Κίττα, & μαλακία) eſtq; peruerſus & deprauatus prægnantium appetitus, vbi cibos vel inutiles, vel tales etiam, à quibus alioquin natura abhorret, appetunt.

2. At poſtquam fœtus iam in vtero confirmatus eſt, & partus inſtat, maius reſtat periculum, & dolor acerrimus. De quo hîc: In dolore paries filios. Quanta hîc miſeria, quæ pericula, qui gemitus, quæ ſuſpiria audiantur, teſtatur experientia, vbi non niſi cum vitæ extremo diſcrimine, & tantum non moribunda parturiens fœtum enititur.

Propterea etiam triſtia interdum exempla ob oculos ſtatuit Dominus, vbi doloribus partus ſuccumbunt, vt agnoſcamus vim huius ſententiæ.

Notandum autem vnde ſint hi dolores, &c. Ego, inquit, multiplicabo ærumnas, dolores. A Deo itaque immittuntur.

Idque propter peccatum Euæ: cuius naturam imitantur iam omnes filiæ, peccando ſcilicet.

III. Pars.

Vsvs huius loci multiplex eſſe poteſt.

I. Fateri cogimur, dolores conceptus & partus eſſe pœnam peccati. Quia enim peccatum cum Eua habent commune, ſentiunt quoq; prægnantes eandem pœnam.

Si

Si enim non peccasset Eua, certè sine omni molestia & cum magna voluptate fœtum gestasset in vtero, tãquam pulchram coronam in capite. Debent itaque hi dolores admonere transgressionis nostræ: cui quoniam Eua primum consensit 1. Tim 2.v. 14. cum ipsi tum filiabus illius hæc pœna imponitur.

II. Magna tamen consolatio vicissim accedit illis, si expendant, vnde ipsis immittantur tam varii dolores: à Deo scilicet. Ego inquit multiplicabo ærumnas. Non dicitur, Satan tibi multiplicabit ærumnas; aut multiplicabitur tibi dolor: sed ego faciam. Bonum igitur ipsis dum incidunt in manus Dei, quod Dauid elegit 2. Sam. 24. v. 16. non in manus hominum aut Satanæ.

Est itaq; hæc pœna non flagellum carnificis, sed virga patris clementissimi: qui non tentat vltra vires. 1. Cor. 10.v. 13. Estque illis sancta crux, quod Christus innuit, comparans omnem piorum afflictionem cum doloribus parturientium. Ioan. 16.v. 21. Et salua fit mulier per filiorum generationem, si manserit in fide. 1. Tim. 2.v. 15. De hoc cogitare debent in difficili partu.

III. Patienter itaq; ferant dolores istos, quæcunque sunt piæ matronæ, nec murmurent vel adversus Euam, quæ semel peccato infecta alias filias præter peccatrices generare non potuit: neque etiam aduersus maritos suos, &c. Sciant se experiri hæc mala in sua vocatione. A Deo hoc impositum onus: cui sic seruire debeant, pariendo filios cum dolore. Et vbi legitimè certauerint in hac pugna, si maximè succumbant, paratum illis brabeum, 2. Tim. 2. & 4.

FINIS.

THEMA II. CLASSIS III.

Ex Genes. 25.v. 22.

Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua eò quod esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.

becca. Sed collidebantur in vtero eius paruuli, quæ ait: Si mihi sic futurum erat, quid necesse fuit concipere?

DISPOSITIO.

Historiam quam prælegimus ideo in præsenti funere explicandam suscepimus, quod sicut Rebecca propter difficilem partum, quem metuebat, collisis inter se in vtero gemellis, de vita periclitari videbatur, ideoque se nunquam grauidam factam optabat: sic præsens non tantum defuncta difficili partu emortua, sed & bonus illius maritus atque alii haud dubiè plurimi hoc tristi casu perturbati, satius fuisse iudicabunt, nunquam concepisse, quàm in partu periculoso periisse. Vt autem de his casibus rectius possimus iudicare, agite historiam hanc excutiamus diligentius. Vbi quidem non illa tractanda erunt, quæ alioquin ad historiam Patriarcharum pertinent, sed ea tantum quę nostro instituto seruire poterunt. Primum autem dicemus, vnde grauida facta fuerit Rebecca. Deinde quid ipsi grauidæ aut prægnanti acciderit.

I. Pars.

Initiò autem nemini videatur absurdum, quærere, vnde facta fuerit grauida Rebecca, cum extra dubium sit, quod maritum habuerit vegetum & valentem Isaacum, adeoq; ex ipso facta fuerit grauida. Licet enim hęc naturaliter ita fieri videantur, scriptura tamen nobis altius ista rimanda proponit. Etenim cum Rebecca iuuencula ex Isaaco quadragenario non potuerit fieri grauida viginti annorum spatio, quo sterilis fuisse legitur, mirum quod iam ex sexagenario, ipsa viginti annis maior, facta fuerit grauida. Hoc textus breuiter innuit. Primum autem ex parte mariti interuenerunt preces ardentissimæ ad Deum, pro vxore, vt is velit eam facere prægnantem, seu aptam ad concipiendum & generandum. Etenim vehementer angebantur pii homines, quomodo posset impleri diuina promissio, Abrahamo Gen. 12. & 15. & 17.

& 17. & 18. & 22. de Isaaco facta, & de seminis multiplicatione, & de Messia ex ipsis nasciturо. Hac spe se omninò frustari putabant. Insuper & sterilitas tum temporis habebatur pro maledictione: Ideoq; tantoperè desiderant prolem Matriarchæ. Patet id exemplo Rachelis dicentis, Tulit Deus opprobrium meum. Genes. 30. vers. 23. cum genuisset Iosephum. Deinde accedit aliud ex parte Dei, de quo hîc, Deus dedit conceptum Rebeccæ. Id ita intelligendum, verba textus innuunt, quæ sic se inuicem subsequuntur: 1. Deprecatus est Isaac Dominum cum esset Rebecca sterilis. 2. Et factus est exorabilis Deus. 3. Et statim sequitur, Concepitque Rebecca.

DISCIMVS Charissimi, carnalem istam generationem non esse naturæ propriam sed donum Dei. Licet enim hæc videantur esse leuicula & vulgaria, cum multæ mulieres sint, quæ imprægnantur sine oratione & deprecatione ad Dominum, imò etiam sæpè contrà votum & voluntatem, cum non cupiant habere prolem: tamen fatendum est, quod ad diuinam creationem pertineat gignere & parere filios aut filias. Hinc enim Deum creatorem & patrem nostrum vocamus. Sanè de Rachele expressus textus est, Dominum illam fecisse ad generandum aptam, Fruchtbar. Genes. 30. vers. 23. Idem etiam testantur exempla Saræ Gen. 17. vers. 16. Hannæ. 1. Sam. 1. v. 17. & similia alia.

Nec caret conceptio & formatio fœtus miraculo: quod fatetur Iob. cap. 10. v. 8. & Dauid Psalm. 139. v. 15. 16. Diuina igitur magis hæc sunt quam humana.

1. Agnoscenda hæc à nobis grato animo, & Deo gratiæ agendæ cum Dauide, Psal. 139. v. 14.

2. Rogandus etiam Dominus non tantum à prægnantibus, sed etiam à viris, maritis & aliis, vt fœtum conceptum in vtero clementer tueatur, vtque suo tempore in lucem fæliciter edatur.

3. Nemo lædat aut offendat vterum gestantes, ne fiat homicida & destructor operis diuini.

4. Ipsæ

4. Ipsæ etiam matres grauidæ sibi & fœtui parcant, ne temeritate sua noceant sibiipsis.

II. *Pars.*

Rebeccam diuina gratia &non absq; miraculo (si rectè velimus sentire) grauidam factam diximus. Iam igitur se fœlicissimam putat. At mox sequuntur incommoda, non ipsa sterilitate leuiora. Etenim cum gemellos gestaret, colliduntur hi inuicem in vtero. Res mira, noua & inexpectata Rebeccæ. Neque sine multo dolore facta ista collisio, vt iam de fælici partu desperare incipiat. Nescit enim quid futurum in partu, si iam talis fiat collisio.

Et non frustrà aliquid periculi præsagiebat animus. Etenim partus fuit iuxta communē naturæ ordinem periculosus, cum posterior ex gemellis editus fuerit, plantam fratris prius egredientis manu tenens. Vide v.25.

Exclamat igitur Rebecca. O me miseram. Quorsum tam anxiè rogaui pro sobole. Satius me nunquam grauidam factam, quàm vel prægnantem occidi a fœtu, vel in partu succumbere. Et multum affligit ipsam hæc tentatio, vsq; dum oraculo diuino consulto intelligit, hanc gemellorum collisionem non carere mysterio. De quo quia ad institutum non facit in præsentia non dicemus.

LOCVS. Quanquam autem Rebecca in partu non defecerit, quemadmodum præsens defuncta iam terræ demandata, videmus tamen gestationem vteri & partum vix vnquam sine dolore & præsentissimo mortis periculo esse, etiam apud piissimas & sanctissimas matronas. Nec desunt quoque exempla piissimarum, quæ in partu succubuerunt. Rachel. Genes. 35. vxor Pinehas. 1. Sam. 4. Quia verò Deus conceptum dat (vt suprà) ideoque licet ipsi etiam de fœtu concepto statuere quod vult.

Ad consolationem autem piarum matronarum doloribus partus oppressarum facere potest, quod sanctissimis mulieribus idem euenit.

Neq; propterea infœliciores sunt, sed si maneant in fide & for-

& fortiter ferant istas aduersitates, atque ita in sua vocatione occumbant, multò cæteris erunt beatiores. 1. Timoth. 2. v. 14.

Non itaque sint impatientes, nec optent sterilitatem, nec murmurent aduersus Deum. Sed dicant, fiat voluntas tua Domine. Tibi viuimus, tibi morimur, Rom. 14. v. 8. Tu ex singulari gratia dedisti conceptum, fac de nobis, quod bonum est animę nostræ. Et sciant, quod Deum diligentibus omnia (sic etiam mors) cooperantur in bonum, Rom. 8. v. 28.

Et nota sunt Deo creatori ipsorum suspiria, pericula, dolores, &c. quod patet ex Ierem. 4. v. vlt. Et Ioan. 16. v. 21. is absterget lachrymas ipsarum, Esa. 25. v. 8. Apoc. 21. v. 4. quas collegit in vtrem suum. Psal. 56. v. 9. & in numerato habet.

Hæc autem tam tristia spectacula ob oculos ponit, vt intelligant omnes, quantum sit Dei beneficium, si partus feliciter edatur. De quo pauci cogitant.

Certè miraculo nunquam caret, vbi rectè perpenderimus: quod agnoscit Psal. 22. v. 10. Extraxisti me ex vtero.

Certè Augustinus rectè scribit Serm. 147. de tempore, Tom. 10. pag. 662. exempl. Basil, Maiora miracula sunt, tot quotidiè homines nasci, qui non erant, quàm paucos resurrexisse, qui erant, & tamen ista miracula non consideratione comprehensa sunt, sed assiduitate viluerunt.

Et lib. 12. cap. 10. de Ciuit. Dei. Quamuis miracula visibilium naturarum viuendi assiduitate viluerint, tamen cum ea sapienter intuemur, inusitatissimis rarissimisque maiora sunt. Nam & omni miraculo, quod fit per hominem, maius miraculum est homo.

Possunt isthæc explicari latius.

THEMA III. CLASSIS III.

Ex Genes. 35. vers. 16.

Historia de difficili partu, morte & sepultura Rachelis.

Luctuosa sanè & tristis hoc loco describitur historia, quomodo sc. piissima & pulcherrima Rachel, postquam multis annis sterilis fuisset, & tandem precibus à Deo conceptum impetrasset, dum secunda vice grauida facta fuit, doloribus partus superata in itinere & in patenti campo, magno cum dolore expirauerit. Quia verò ex hac historia multa instituto nostro seruire poterunt, cum eadem nostræ defunctæ fortuna fuerit, agite ex præsenti historia tria notabimus.

1. Dicemus de doloribus parturientis Rachelis.
2. De morte.
3. Et tandem de sepultura eiusdem.

I. *Pars.*

Optimus Patriarcha Iacobus postquam diuinam promissionem audiuit in Bethel, properat cum Rachele grauida ad parentem grandæuum Isaacum habitantem in Mamre: & iam vix abest trium aut quatuor miliarum spacio. Cumque speraret se exhilaraturum parentem senem pulchra prole: ecce præter omnem exspectationem orbatur charissima coniuge. Parturit enim Rachel in via, in patenti campo; non procul ab Ephrat. Magnis autem doloribus circumuentam in partu Rachelem, obstetrix solatur, vt benè speret, fore enim vt fæliciter hunc infantem enitatur. Ipsa verò grauissimos non tantum dolores, sed & vitæ periculum imminens sentiens, iam iam moritura filium in lucem editum, BenOni, hoc est filium doloris vocat, innuens quod partus dolores sint grauissimi & certò ipsam enecaturi.

Locvs. I. Matriarcha illa piissima sentit hoc loco illud Genes.3.v.16. In dolore paries filios tuos. Facit enim peccatum, vt gestatio partus & educatio plena sint difficultatibus, molestiis & miseriis.

At consolationem habent mulieres in his doloribus, quod sanctissimas etiam mulieres & certò saluatas Deus sic afflixit: vt illud Pauli verum fiat in ipsis, Salua fit mulier,

mulier, si manserit. &c. 1. Tim. 2. v. 15. Et qui hoc eodem loco in Ephrata (quæ alio nomine Bethlehem dicta est, atque Bethlehem Ephrata vocatur Mich. 5. vers. 2.) natus est sine dolore matris, quia sine peccato conceptus ex Spiritu sancto, is sanctificauit hos piarum matronarum dolores, ne animæ possint nocere, & qui morienti Racheli adfuit, is etiam præsentissimus adest parturientibus ipsum inuocantibus, Psal. 145. vers. 18. & facit vt omnia ipsis cooperentur in bonum. Rom. 8. vers. 28.

L. II. Discant liberi, qui omnes cum dolore matrum sunt geniti, ex hoc loco illud, quod Tobias senior probè inculcauit filio Tob. 4. v. 4. Idem ferè Syrach repetit capit. 7. v. 29. Non obliuiscaris gemitus matris tuæ.

Et grauissimas (nec immeritò) pœnas minatur scriptura his, qui matres perturbant. Prou. 30. v. 17.

L. III. Pia hæc obstetrix admonet eas, quæ hoc funguntur officio, ne sint duræ & imperiosæ erga parturientes, sed blandè illas tractent & consolentur in tantis difficultatibus. Deus erit merces. Et piarum obstetricum laudes non reticet scriptura: hoc loco & Exod. 1. v. 21. & 1. Sam. 4. vers. 20.

II. Pars.

Non tantum dolores in partu sensit grauissimos optima Rachel, sed & omninò defecit, & difficili partu emortua est. Et sic verè filius natus fuit BenOni. Iacobus verò ne perpetuò huius tristissimi casus recordatione affligeretur, nomen immutat & BenIamin vocat, h. e. filium dextræ & charissimæ coniugis.

L. I. Hæc demum magna est miseria, non tantum cum dolore parere filios, sed & doloribus superari & penitus enecari. Tristia sanè spectacula, quæ ob oculos nobis statuit Deus, vt intelligamus quantum beneficium, imò quantum sit miraculum Dei, si infans fæliciter in lucem edatur.

De hoc loco vide in fine Dispositionis præcedentis

L. II. Reuerenter ſentiendum de ſexu muliebri, & reuerenter illæ etiam, præſertim grauidæ tractandæ: cum tantis vndiq; ante partum, in ipſo partu & poſt premantur miſeriis, doloribus, quos vix fortiſſimus vir patienter perferre poſſet. Tribuendus illis ſuus honor, 1.Pet.3.v.7.

III. Pars.

Actum eſt de vita Rachelis. At quid Iacobus noſter? Quantis cum ſuſpiriis atque gemitibus aſtiterit morienti coniugi chariſſimæ, impoſſibile eſt verbis explicare. Et potuit certè Iacobus dicere, quod verſus habent Ouidiani:

Diuidor haud aliter, quàm ſi mea membra relinquam;
Et pars abrumpi corpore viſa meo eſt.

Et:

Te loquor abſentem, te vox mea nominat vnam,
Nulla venit ſine te nox mihi, nulla dies.

At quid faciat bonus Iacobus? Parcit lacerare genas, nec ſcindit capillos. Quantum poteſt, extenuat forti mala corde ferendo: Ad mala iam pridem non rude pectus habens. Etenim ſcit hanc eſſe Dei voluntatem, coniugem præmiſſam non amiſſam, nec periiſſe animam cum corpore. Ideoque nec reluctatur voluntati diuinæ: nec inſurgit aduerſus Deum. Honorificè ſepelit defunctam, atq; ibi ad ſepulchrum erigit monumentum: quod multis poſt ſæculis ibi viſum eſt. Certus de reſurrectione coniugis, æquo & forti animo fert triſtem caſum.

LOCVS. Iacobi exemplum pii mariti imitentur, nec fremant aut inſurgant aduerſus Deum, quod nonnulli impatientes mariti faciunt. Cogitent, Dominus dedit, Dominus abſtulit, Iob.1. v.22. cogitent de hiſtoria illa Ezech. 24. v. 15. & ſeqq. Solentur ſeſe certa ſpe reſurrectionis, & quod ſint ſuo tempore iterum inuicem agnituri. Honeſtè ſepeliant, & in luctu modum ſeruent.

Viciſſim verò ſi qui ſunt (vt certè ſunt) duri & ἄστοργοι mariti, quos hęc triſtia ſpectacula coniugum in partu deficien-

ficientium parum mouent, vt ſæpè prius de ſecundis votis cogitent, quàm prior coniux terræ demandata fuerit: illos accuſat hoc Iacobi monumentum erectum ad perpetuam charæ coniugis memoriam, quæ nunquam intercidit apud ipſum, &c.

FINIS.

THEMA IV. CLASSIS III.

1. Sam. 4.

De difficili partu & morte vxoris Pinehas.

DISPOSITIO.

Prouerb. 25. v. 22. Sicut aqua frigida homini ſitienti eſt gratiſſima: ita nuntium bonum de terra longinqua exhilarat animum. At quemadmodum bonum nuntium exhilarat, ita viciſſim malum & triſte nuntium vehementer perturbat, imò ſæpè etiam mortem accelerat. Cuius rei exemplum proponitur in hac hiſtoria, vbi vxor Pinehas grauida audito triſti nuntio ſubitis doloribus partus obruta expirauit. Cum itaq; hiſce diebus ſimilis penè caſus acciderit cũ defuncta, agite, hanc hiſtoriam excutiamus.

Dicendum autem 1. de difficili partu & morte huius matronæ. 2. Quæ huius difficultatis & ſubitaneæ mortis cauſa. 3. De aſtantibus & conſolatoribus.

I. Pars.

Eli ſummus Sacerdos & Iudex Iſraëlis duos habet filios, Hophni & Pinehas, vterq; eſt impius.

At Pinehas vxorem habet piam & prudentem, atque non tantùm in ſacris literis, ſed etiam reb. ciuilibus probè eruditam, quod ex verbis illius colligitur, cum deplorat ſtatum populi Iſraëlitici, & gloriam Iſraëlis ablatam ad extremum vſque vitę halitum, non ſine cauſa conqueritur. (De quo quidem plura diſſerere ad inſtitutum propriè non pertinet.)

Est illa ex marito suo grauida, & vicina partui. Irruunt autem in eam subiti dolores partus ante legitimum tempus. Ideoque partus est difficillimus & cum ingenti dolore atque vitæ periculo coniunctus. Adeoque vix puerulum enixa, repentina quasi morte in ipso partu perit.

L. I. Difficilis hic & tristis casus piissimæ matronæ, quæ pro gloria Dei & salute patriæ multum fuit solicita, solatium afferre potest miseris mulierculis, quibus similia accidunt, quod hæc omnia non proueniant à Deo irato, alioquin non hoc modo affligeret pias matronas. Tales itaque sciant quod Deus habeat causas certas, nobis vero incognitas, quare hoc genere mortis interire sinat pias mulieres.

Est quidem partus difficultas per se pœna peccati, sicut ex Gen. 3. vers. 16. constat, & propter impium maritum vxor Pinehas hoc genere mortis perit: attamen hæc calamitas vt omnia alia diligentibus Deum in bonum cooperatur. Rom. 8. v. 28.

Voluitq; Deus hanc matronam sic perire, vt in pia vocatione moriatur, & ne oculi illius videant subsequutura mala Israelis. Beatior itaque est multis aliis.

Sic alias quoque interdum pias matronas maioribus malis subtrahere vult, dum in pia ista vocatione euocat ex his terris. Non igitur se aliis infæliciores existiment. Faciant officium strenuè. Benè sperent de præmiis æternis, & forti animo occumbant in hac statione, in qua sunt collocatæ à Deo.

Nota. Cæteri loci, videlicet: 1. quanto cum periculo coniunctus sit partus. 2. Et quantum in generatione miraculum. 3. Quodque liberi hæc agnoscere, & parentibus grati esse debeant, qui hoc loco etiam possent commodè inseri, in superiorum Thematum Dispositionibus sunt annotati. Inde qui vult petere potest.

Cum enim materia eadem recurrit, iidem etiam loci sese offerunt.

II. Pars.

II. Pars.

At non fortuito casu accidit, vt dolores partus iam subitò irruerent: nec sine causa hic partus tam difficilis fuit: quod quidem paucis verbis textus præsens innuit. Territa fuit optima matrona tristi aliquo & dolendo nuntio. Etenim vir quidam stolidus Beniamita auidè res aduersas nuntiat, (licet vera dixerit) quod maritus in prælio occisus, & arca Domini capta sit: & vrbem Siloh questibus implet, vt socer huius matronæ summus Sacerdos fracta ceruice subitò expirauerit. Nostra itaq; hoc audito nuntio & de triplici infortunio haud immaturè cogitans, sic est consternata, vt mox ex partu infœlici & præmaturo animam agere incipiat.

Locus. Videmus quantum interdum periculi grauidis & prægnantibus, maximè vero partui vicinis, afferant subiti terrores. Fieri potest vt homo cordatus & fortis tristi aliquo nuntio ita consternetur, vt vix possit recipere animum. Nec desunt exempla eorum, qui subito tristi nuntio audito statim expirarunt. Magis verò nocet hòc mulieribus vterum gestantibus. Parcendum itaque illis, & prius dissimulanda etiam quæ verè ita gesta sunt, nec simul & semel omnia effutienda coram talibus matronis: ne periculum ipsis & fœtui creetur. Sicuti aliàs extra hunc casum etiam monet Salomon Prouerb. 17. vers. 27. vt qui prudens esse vult suum sermonem moderetur.

Hæc pro imprudentibus quibusdam maritis, & aliis rerum aduersarum cupidis nuntiis ac nugigerulis notanda sunt. Vir impius de aduerso nuntio lætatur, quod innuit Prou. 13. vers. 17.

L. II. Exemplum huius piæ matronæ imitari omnes pii, & cum laborat salus Ecclesiæ atq; Reipublicæ, contristari debebant, super contritione Ioseph. Amos 6. v. 6. At multi sunt ἐπιχαιρέκακοι. Denen das hertz im Leib lacht wans vbel zugeth. Imitantur hi patrem Diabolum.

III. *Pars.*

Parturienti aſtant mulieres, & blandis ipſam verbis conſolantur, Ne timeas. Benè ſpera. Peperiſti filium. Sic putabant illam recepturam animum: quia Chriſto teſte Ioan.16. v.21. nato infante magna matres lætitia perfunduntur, vt non amplius cogitent de doloribus partus. Illa verò de gloria Domini magis quàm de infante ſolicita, nullam ex his verbis obſtetricanitum conſolationem ſenſit, ſed cum gemitu expirauit.

L. I. Quomodo qui parturientibus adſunt, blandè ipſas tractare, & conſolari atq; animum addere debeant, ſuprà in Diſpoſit. Thematis tertij eſt annotatum. Et maximè valet hoc loco illud 1. Theſſal.5. v.14. Conſolamini puſillanimes.

L. II. Quia in his terris non apud omnes pias matronas impletur illa Chriſti conſolatio, Ioan.16. quod felici partu exhilarentur: ſciendum, his paratum eſſe in cœlis maius gaudium. Vbi abſtergentur omnes lachrymæ, Eſa.25.v.8. Apoc.21.v.4.

Thema V. Classis III.

Ex Pſalm. 22.

Extraxiſti me ex vtero matris meæ, ſpes mea ab vberibus matris meæ.

Non ſine cauſa Tobias filio iſtud inculcat, Tob.4. v.4. quantis cum periculis matris in vtero geſtatus fuerit. Id enim tum alia multa, tum præſens quoque triſte admodum & luctuoſum exemplum docet. Hæc enim quam iam terræ mandauimus matrona piiſſima, filiolum cum tanto dolore & periculo enixa eſt, vt vitam cum morte in ipſo partu commutauerit. Rurſus verò Dei beneficium ingens eſt hoc, quod ſingulari ipſius prouidentia incolumis in tam difficili partu conſeruatus eſt infans. Quia verò pauci ſunt, qui de hoc beneficio cogitant, quod viui ſunt in lucem editi: ideoque occaſione præſentis funeris, ea

quæ

quæ prælegimus verba, nobis erunt pertractanda: Cum in his Regius Psaltes (imò ipse filius Dei, cuius passio hoc Psalmo egregiè describitur) duo illa summa at rationi humanæ stulta & ridicula Dei beneficia, videlicet, Natiuitatis & lactationis, nobis commendare non dedignetur. Non itaque pudeat nos isthæc audire, quæ Spiritus sanctus singulari studio meditanda proposuit.

Dicemus primum de Natiuitate. 2. De sustentatione in infantili ætate.

I. Pars.

Sic autem Psaltes de Natiuitate loquitur: Extraxisti me, &c. Tametsi certum sit, Dauidem hæc verba in persona Christi proloquutum fuisse, qui singulari planè, admirabili & nouo modo sine peccato ex virginali aluo, tanquam mel ex flosculo extractus est: Certum tamen est, quod Christus hoc loco more alterius alicuius hominis loquatur de natiuitate sua: innuens, quod omnium hominum carnalis etiam natiuitas stupendo planè diuinæ bonitatis mysterio non careat. Licet enim optima quæq; mater suam hac in parte Deo fidelē locare velit operam: (illa namque ceu medio & instrumento in propagatione generis humani vti Deus voluit) tamen frustra omnes intendi vires, nisi Deus adsit parturienti præsentissimus, & fœtum ipse ex vtero materno extrahat. Et hoc magni beneficij loco commendat.

L. Quam vera hæc sint ipsa experientia & præsentis funeris deductio nos docere possunt. Hanc etenim ob causam interdum omnes vires matris parturientis deficiunt, vt intelligatur, Dei hoc esse opus, non hominum. Et hac etiam ratione rectè Deum patrem vocamus, Esa. 64. v. 8. Tu pater noster, nos lutum, & tu fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos.

Quorsum hæc omnia? Vt cum Dauide discamus, hoc non tantum agnoscere, sed Deum cum ipso glorificemus propterea, Psal. 139. v. 14. Gratias ago tibi, quod mira-

biliter factus sum. Agnoscit anima mea hoc probè. Stupenda sunt opera tua, Sic Iob. 10. v. 12. Vitam & misericordiam fecisti mecum. &c. Vide etiam Psalm. 71. v. 6. Et nisi Deus extraxisset potenti & benigna sua manu, vterus maternus factus nobis esset sepulchrum. Ier. 20. v. 17.

L. II. Magna hæc est parturientibus consolatio, quod intelligunt planissimè Deum ipsis præsentem adesse, & manus obstetricum gubernare, atque infantem ex angustiis illis vteri materni extrahere in lucem.

Ideoque non adscribant infantis editi incolumitatem vel industriæ obstetricum (quæ plerumque sibi hanc laudem imperitè tribuunt) vel laboribus atque sudoribus suis, sed soli Deo.

Attamen quia Deus hæc sua opera mediatè per matres & obstetrices exequitur, bono sint animo & in magnis illis miseriis, angustiis atque periculis sciant se esse Dei ministras, & cùm Deum habeant præsentissimum fideliter suum etiam faciant officium: & ipsi piis precibus vitam suam atq; infantis commendent. Quod si maximè in partu succumbant aut deficiant, sciant se in officio pio, Deoque præsente & inspectante decedere: qui de meliori vita & præmio amplissimo pro his doloribus iam ipsis prospexerit.

Cum enim omnipotens sit, omninò credendum est, non illi defuisse hoc loco facultatem iuuandi, quia manus illius nunquam est abbreuiata, Esa. 59. v. 1. Quare autem non voluerit parientem seruare, causas ipsum habere alias nobis incognitas: quæ tamen in bonum morienti cooperentur.

II. Pars.

Ingens est beneficium si infans viuus in lucem edatur. Quod si verò recens nato Deus non vlterius prospexisset, mox extingueretur. Itaque haud paulò minus beneficium est istud, quod sequitur: Ab vberibus matris meæ spes mea. Quasi diceret: Tua prouidentia factum est, vt mihi

mihi recens nato infanti materna vbera inſtar paratiſſimi penus & loco inſtructiſſimæ culinæ fuerint.

L. Debet hæc quoque primæ infantiæ memoria à nobis grata mente ſæpius repeti. Quotus quiſque autem noſtrum ſufficienter expendit, Deumq; dignis laudibus celebrauit vnquam, pro hoc ingenti beneficio, quod nobis infantibus tam clementer proſpexit Dominus, vt mox poſtquam nati fuimus, demenſum noſtrum in vberibus maternis inuenire poſſemus?

Neque certè ſtupendo hæc res caret miraculo, quod cibus & potus in lac maternum, & hoc ipſum poſtea in nutrimentum infantis cedit: imò quod ex illo alimento etiam carnes, venę, nerui atque oſſa tandem duriſſima generantur.

Rident hæc omnia impuri & ingrati homines, & de his rebus ſcurriliter ſæpè loquuntur, indigni qui vel matres (à quibus olim lactati ſunt) vel lactentes alias, vel hunc denique ſolem aſpiciant.

L.II. Cum Chriſtus hoc loco magnum iſtud lactationis beneficium commendet, & pro hoc etiam matri in cruce pendens gratus fuerit, non magnam laudem merentur delicatulæ aut faſtuoſæ illæ matres, quæ infantibus editis lactationis beneficium denegant: non cogitantes quare vbera eaque in pectore poſita, & lac in illis diuina prouidentia ipſis deſtinarit.

Certè nobiliſſima Maria Chriſtum lactauit, & Gen. 21. v. 7. Sara Iſaacũ, & Samuelem Hanna. 1. Sam. 1. v. 23. Et mores delicatularum Deus exquiſitiſſimè obſeruat, ſicut ex Deut. 28. v. 56. patet, quod terram calcare nolint, &c. Sanè terra quæ mater omnium eſt Syr. 40. v. 1. etiam omnia ex ſe creata nutrit. Magna itaq; matrũ illarum eſt ἀστοργία. Excipio tamen hoc loco illas, quæ certis de cauſis officium illud lactationis præſtare non poſſunt infantibus.

THEMA VI. CLASSIS III.
Eſa. 26. verſ. 16.

Domi-

Domine, in angustia requisiuerunt te, & cum affliguntur, clamant ad te dolentes. Sicut quæ concepit cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: si facti sumus à facie tua Domine. Concepimus & doluimus, peperimus cum suspiriis.

DISPOSITIO.

Desumpta sunt hęc verba ex insigni illo cantico Esaię, in quo Propheta de fidelium fiducia in Deum, atque de eorum defensione in aduersis agit. Dum autem Propheta describere vult gemitus & suspiria piorum in angustiis, vtitur similitudine illa de parturiente: qua etiam Saluator ipse vtitur, Ioan. 16. v. 21. Nec est illa scripturæ infrequens, quod non tantum ex his duobus locis, sed etiam aliis, Esa. 37. v. 3. Ierem. 4. v. 31. patet.

Nos itaq; occasione præsentis funeris, primum ipsam Prophetæ similitudinẽ in genere tractabimus, & accommodationem quoq; ipsius percipiemus. Deinde verò quæ in specie de parturientibus instituto nostro seruient, pertractabimus.

I. Pars.

1. Prægnans cum parturire incipit, in magnas conijcitur angustias. Etenim obruunt illam dolores partus. Et scit, cum vitæ periculo esse coniunctum partum. Propterea in illa lucta vitæ & mortis coangustatur vndique. Ita inquit, nos qui sumus de Ecclesia tua, concepimus & coangustamur. Tu enim nos castigas & affligis, & in nos grassari finis impios. Du machst vns bang. Er vix spiritum trahimus.

Concepimus ex afflictionibus hisce Ecclesiæ grauissimos dolores, & parere oportet cum angustia.

2. At quid faciat parturiens in tantis angustijs? Ingemiscit, suspirat ad te, imò dolores illi intensissimi sæpe etiam clamores exprimunt, cum alia ratione non possint testari suum dolorem. Ita nos in calamitatibus & angustiis

gustiis illis ad te suspiramus gementes,&dolentes clamamus ad te,& preces tum fundimus ardentissimas.

DOCENT hæc generaliter omnes Christianos, quare Deus pios sinat affligi: non scilicet vt sic in aduersis pereant, sed vt calamitates ipsis in bonum cooperentur, Roman.8.v.28. Quia enim extra casum necessitatis rarò tam ardentes sunt preces sicut debebant: ideò Deus premit calamitatibus, vt excitet in suis preces ardentissimas & gemitus atq; suspiria parturientium. Dann denen ists freylich rechter Ernst.

Et propterea in tantas miserias coniicit, vt ipse precibus atque suspiriis excitatus propius ad illos possit accedere. Etenim proximus adest illis, qui ipsum seriis gemitibus inuocant:iuxta id Psal.145.v.18. Et Psal.34.v.19. Prope est Dominus his, qui sunt corde tribulato.

1. Agnoscamus itaque in tribulationibus consilium Dei: Et sciamus, miserias nostras esse similes doloribus parturientium,qui vbi superati sunt, gaudium afferunt, cum natus est infans,teste Christo,Ioan.16.v.21.

Beati qui lugent,quia consolationem accipient, Matthæi 5. v. 4.

2. Deinde in magnis angustiis non murmuremus, nec insurgamus aduersus Deum, non Diaboli auxilium imploremus: sed clamemus ad Dominum. Debebat autem oratio esse continua,Rom.12.v.12.Coloss.4.v.2.atque vehemens & ἐκτενὴς,Act.12.v.5.

II. Pars.

Nunc etiam quædam ex hac similitudine ad nostrum institutum accommodabimus,cum presens defuncta occasionem præbeat, de doloribus parturientium dicendi. Videamus autem quàm exquisitè Spiritus S. de his rebus possit loqui.

Primum licet omne ferè gestationis tempus dolores secum ferat, tamen illi sunt tolerabiles respectu eorum, qui circumueniunt parturientem. At cum instat tempus

partus,

partus, tum demum ſunt intenſiſſimi. Deinde quia conſtat matri de periculo vitæ, conijcitur in magnas anguſtias. Ideoque contriſtatur, Chriſto teſte, quia venit hora illius. Scit enim, quod infans omninò ſit edendus in lucem. Da iſt kein hindersich sehen. Es muß seyn.

Tertiò, quia dolorem ſuum verbis ſatis explicare non poteſt, poſt multa ſuſpiria interdum etiam clamorē edit. Hunc enim vel nolenti exprimunt dolores. Et ſic aliqua ex parte leniuntur dolores, Wann mans herauß läßt / vnd nicht verdruckt / wie dem armen Weib zu Muht iſt.

CONSOLATIONEM ex hoc loco maximam petere poſſunt & debent in partus doloribus piæ mulieres, quod Deus illorum dolores, anguſtias, gemitus, ſuſpiria, & clamores tam exactè nouit. Certè etiam numerat & lachrymas colligit, Pſal. 56. v. 9.

Neque tantum nouit, ſed & compatitur, & miſericordia tangitur ſuper iiſdem. Habet enim cor non ἄστοργον, ſed planè paternum, imò pluſquam maternum, Eſa. 49. verſ. 15.

Teſtantur idipſum leges, non ſolum de tempore puerperij, Leuit. 12. v. 4. & 5. ſed etiam de non lædendis prægnantibus, Exod. 21. v. 22. quomodo ſolicitus ſit ipſe altiſſimus pro grauidis & parientibus.

Ideoque etiam iuuat & extrahit infantem de vtero matris, atque matrem gaudio replet, Pſalm. 22. v. 10. & 71. v. 6. Ioan. 16. v. 21. Quod verò interdum ab hac regula diſcedit, non eſt ſignum inclementiæ, ſed quod præter alias cauſas, quas ipſe probè habet cognitas, non temporali tantum, ad momentum (ita dicendo) duratura, ſed æterna lætitia perfundere vult matronas iſtas pias, in partu deficientes. Alioquin non hac ratione Rachelem, & alias pias multas mulieres extinxiſſet.

DISCANT autem parturientes, quod in maximis illis doloribus optimum remedium ſit, clamare ad Dominum. Et ſciant, quia preces tum ſunt ardentiſſimæ, certè illas exaudiri. Et prope eſſe Dominum, Pſal. 145. v. 18.

M a-

MONENTVR tandem omnes, qui adſunt parturientibus, cum Deus non negligat clamores illos & gemitus miſerarum muliercularum, ne vel clamantes in ſuis doloribus propterea increpent aut reprehendant, (quod nonnullæ rigidæ & inhumanæ mulieres facere ſolent) cum miſericors Deus ipſis hoc vitio non vertat: neve quiſquã illis clamantibus aut gementibus illudat: (quod duri mariti aut alij leuiculi homines interdum ſolent) ſed potius ex animo compatiantur illis omnes, & ſuas preces cum ipſis coniungant. Dann es iſt warlich hie kein ſchertz.

THEMA VII. CLASSIS III.

Eſa. 37. verſ. 3.

Hæc dicit Ezechias: Dies eſt tribulationis, & correptionis, & blaſphemiæ dies eſt hæc. Quia venerunt filii ad partum vſque, & tamen virtus non eſt pariendi, &c.

DISPOSITIO.

Protulit hæc verba magnus ille, pius & fortiſſimus heros Hiskias Rex Iuda, cum ingenti exercitu Rex Aſſyriorum Sanherib vrbem Hieroſolymam peteret, & ipſi Regi bellum denuntiaret. Mirum verô alicui videri poſſet, quod Rex potentiſſimus (2. Reg. 20. v. 20.) qui Philiſtæos debellauit, frænum Regis Aſſyrij excuſſit, 1. Reg. 18. in re tam graui & tanto imminente ex bello periculo, tam muliebri & leuicula (vt apparet) vtatur ſimilitudine de parturientibus, & in partu deficientibus. At non pudet ipſum huius, cum nec ipſum cœli & terræ Creatorem pudeat de his rebus loqui, Ierem. 4. v. 31.

Occaſione igitur horum verborum & præſentis funeris, ex quo viuum huius rei experimentum capere poſſumus, dicemus:

1. Quid ſcriptura de his actibus muliebribus ſentiat.
2. Quid in hiſce actionibus periculoſis ſit faciendum.

I. Pars.

Cum vrbi Hierosolymæ, imo toti regno Iuda, ingens immineret periculum ab hoste potentissimo, exclamat Rex Hiskia, hanc esse diem tribulationis. Nec enim hostem ab vrbe propulsare, nec armis cum eo congredi & Martis aleam experiri poterat, quia scit se multò esse inferiorem Sanheribo. Nec aliunde poterat exspectare auxilium: nec sese hosti dedere. Conclamatum itaque videtur de Rege & Regno. Non poterat fugere & tergum hosti obuertere: nulla hîc locus induciis, Et nisi Deus miraculo singulari vrbem defendat, nulla superest spes salutis. Hoc periculum ingens comparat Rex difficultati partus: vbi mulier parturiens post multos dolores tandem viribus exhaustis deficit, cum iam ad partum venit infans. Da steht es sehr hart an.

Ibi tum & infans & mater versantur in summo discrimine. Infans seipsum iuuare nō potest. Mater tametsi velit cum vitæ periculo facere officium, tamen imbecillior est quàm vt possit fœtum eniti. Obstetrices & aliæ astantes licet vellent iuuare, tamen sua opera nihil proficiunt.

Iam igitur actum putatur de matre & infante: Et verè tum est tempus tribulationis, Hîc gemitus, hîc alta suspiria, hîc dubia mortis & vitæ lucta. Non locus hîc fugæ, non dilationi aut moræ. Vna in Deo spes esse potest, si velit miraculosè, vt solet, fœtum educere, & matrem ex his difficultatibus liberare.

L. Discant hinc omnes, mulierum partum non esse rem ludicram, aut leuiculam, quod multi parum rectè sapientes aut duri & ἄστοργοι homines putant. Hinc de tanta tamque difficili & planè periculosa re sæpè adeò contemptim loquuntur, vt nefas sit dicere.

Imò nonnullæ etiam leuiculæ mulieres, vbi semel atque iterum fæliciter pepererunt, de sua industria vel quadam magnanimitate stultè gloriantur, & se isthæc pericula nihil metuere garriunt. Sie wolten ein Kind vmb ein Stück Brodt haben / inquiunt. Nesciunt quid garriant

riant tales, & plerumq; in die tribulationis (vbi ſentiunt periculum & difficultatem) illarum corda labant atque timore micant. Certè rectius de his periculis iudicat Rex fortiſſimus, & agnoſcit, non minus eſſe Dei beneficium, liberare ex hac partus difficultate mulierem cum infante, quam ſit hoſtem potentiſſimum ab vrbe propellere. Nec dubium eſſe debet cuiquam, quod partus talis ſit res maximi momenti, cum hac ſimilitudine in rebus admodũ ſeriis omnipotens ipſe Deus, Ier.4. v.31. atq; filius Dei Saluator noſter Ioan.16.v.21. vſi ſint. Et propterea triſtia ſpectacula deficientium in partu ob oculos ponit: Cuius nos præſens funus admonet, vt periculi magnitudine expenſa intelligamus Dei beneficium, cum parturientes iuuat. Nec caret iſtud miraculo, ſi rectè velimus iudicare. At cum quotidiè videamus, feliciter parturire mulieres, iſta nobis diuina miracula vileſcunt, vt Deum laude ſua priuemus. Cum alioquin decantarint hæc miracula Dauid, Pſal.22.v.10. 71.v.6. 139.v.14. Et Iob cap.10. v.8. 9. 10. 11.12. Non enim ſunt hæc tam fœda & ſordida opera, quę Deus nolit tanti æſtimare, quanti ſoleat facere virginitatem, cœlibatum, ſicut aduerſarij opinantur. Quod enim non ſordeant Deo hæ actiones muliebres, ipſe teſtatur, quod de his rebus ſcriptura loquitur paſſim, & quidem admodum honorificè, &c. Et hæc quidem non modica debet & poteſt parturientium eſſe conſolatio. De his ſæpius aliàs.

II. Pars.

At quid in tantis difficultatibus faciendum, ſuo etiam exemplo rex piiſſimus docet.

Cum de omni humano auxilio deſperaſſet, diuinum implorat auxilium. Mittit etiam ſuos Conſiliarios ad Eſaiam Prophetam, vt ipſe quoque intercedat apud Dominum pro ſalute Regis & Regni.

Et impetrauit ſanè Rex miraculoſam vrbis defenſionem & hoſtis internecionem.

Iuxta tamen media legitima non negligit, muros instaurat, fontium ſcaturigines obſtruit, &c. de quibus omnibus vide 2. Paral. 32.

Docet Hiskias Rex etiam in difficili partu confugiendum ad Dominum. Cum enim neſcimus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos attollamus ad te Domine, ait Ioſaphat, 2. Paral. 20. v. 12. Et Dauid, Pſal. 121. v. 1. & 2. Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.

Et Pſal. 123. v. 1. Ad te leuaui oculos, qui habitas in cœlis. Poſſunt ſanè & debent piæ matronæ ſic orare ad Dominum, Domine, qui extraxiſti me de vtero matris meæ, Pſal. 22. v. 10. in te proiectus ſum ab vtero, Pſal. 71. v. 6. tu quoq; in vtero meo formaſti infantem meum, & manus tuæ finxerunt illum, Pſal. 139. v. 13. 14. tuus eſt infans, tua benedictione vitam accepit in vtero, tu iam educ quoq; illum in lucem, & celebrabimus te ſuper his beneficiis, atque miraculis tuis, &c. Quod facit Dauid. Ibidem. Debent quoque aliorum preces & interceſſiones pro ſe expetere, ſicut hîc fecit Hiskias.

De precum efficacia aliàs dictum.

Tandem verò etiam media legitima nunquam ſunt negligenda. Faciant officium matres, obſtetricantes & quicunque poſſunt.

FINIS.

Thema VIII. Classis III.

Ier. 4. verſ. 31. Manual. pag. 488.

Vocem quaſi parturientis audiui, anguſtias vt primogenitum enitentis.

DISPOSITIO.

Verba ſunt hęc ipſius Dei omnipotẽtis, (teſte ipſo Propheta dicente, Hæc dicit Dominus,) quibus per Hieremiam

miam denuntiat populo Iudaico eas calamitates & angustias, quas sint experturi, vbi Rex Babylonius ipsos subegerit, & captiuos abduxerit. Licet autem tum temporis nondum videbatur imminere periculum à Chaldæis, tamen hæc certò euentura prædicit Dominus, vt iam præsentibus quasi oculis illud aspiciat & clamorem illorum atque eiulatum iam audiat. Er höre sie schon allbereit schreyen. Exaggeraturus autem Dominus calamitatem illam, vtitur similitudine de clamoribus & angustiis parturientis: qua etiam Hiskias Rex vsus est Esa. 37. vers. 3.

Cum autem præter principalem illum scopum, ad quem digitum intendit Propheta, hæc similitudo ad nostrum institutum (in præsentis funeris deductione) haud parum facere possit, primùm verba Dei excutiemus, deinde illa etiam ad vsum nostrum accommodabimus.

I. *Paraphrasis textus.*

Hæc dicit Dominus: Audio clamorem. Et varios sanè clamores audiuisse legitur in scriptura.

Audit clamorem sanguinis Abelis de terra. Genes. 4. v. 10. audit clamorem peccatorum terræ Sodomorum. Gen. 18. v. 20. audit clamorem Israelitarum querulantium in Ægypto, Exod. 2. vers. 23. audit etiam clamorem Dauidis afflicti, Psal. 120. v. 1. Psal. 31. v. 23. Et cætera. At nihil horum audire se ait Dominus hoc loco, sed clamorem parturientis. Dolores enim intensi interdum exprimunt clamorem & eiulatum. Et licet non semper clamitent alta voce parturientes, sed ingemiscant atque muta & anxia ducant suspiria, ab imo pectore, hæc tamen in auribus Dei etiam sunt clamor immensus. Is enim acutissimè audit. Et quid ni? Qui fecit aurem non audiet? Psal. 94. v. 9. Hinc Mosi deprecanti Dominum dicitur, quid clamas? Exod. 14. v. 15. Audit Dominus Hannam, cuius vox penitus non audiebatur, sed labia tantum illius mouebantur. 1. Sam. 1. v. 13.

Et hoc manifestum magis est ex eo, quod sequitur,

Dominum audire, & intelligere angustias, cordis scilicet. Qui enim cor & renes scrutatur, Ier.20. v.12. is quoq; angustias cordis penitissimè cognoscit. Quales verò angustias Deus audiat & intelligat, additur, Quasi primogenitum enitentis. Maximas innuit angustias, quas sentiunt, quæ primum enituntur fœtum: partim quod in hoc ludo nondum sunt edoctæ, adeoq; dolores spe atque exspectatione ipsarum maiores sunt: partim quod plerumque primus partus est difficilior, propter causas quas recensere non est opus.

Sic itaque prædicit Deus imminentes calamitates filiæ Sion, quod tanta super ipsos ventura sit angustia, vt eiulatus audiendus sit de longè, quodque tanquam mulier iuuencula in primo partu difficillimo vehementissimè conturbanda fiet. Sed redeundũ ad institutum nostrum, & quid nos hæc similitudo ex ore ipsius Dei prolata, moneat, dispiciendum est.

II. *Vsus huius loci.*

Primùm autem ex his verbis omnipotentis Dei, maximam consolationem habent parturientes, quod intelligunt, Deo curæ esse ipsorum eiulatus, clamores, angustias, & dolores in partu.

Vide enim obsecro, quàm accuratè hæc omnia, quæ ipsis solent accidere, obseruet Dominus: & sic de his rebus loquitur, ac si multoties obstetricis munere defunctus esset. Scit, non absque clamore & gemitu vtplurimum edi infantem. Intelligit angustias, in quas coniiciuntur propter intensos dolores & pericula. Nouit difficultatem partus apud eas, quæ nunquam pepererunt, &c. Et quid ni sciat atq; intelligat hæc omnia, qui præsentissimus ipsis parturientibus adest, non tantum vniuersalis istius promissionis ratione, quod cum afflicto in tribulatione esse, & clamorem illius audire velit, Psal.34.v.7.& Psal.50. v.15. & Psal.91.v.15. sed speciali etiam præsentiæ modo, de quo Psalm.22.V.10.& 71.v.6. Nisi enim is, qui conceptum de-

dedit, Gen. 25. v. 21. qui ſicut caſeum coagulauit, Iob. 10. v. 10. qui in vtero formauit infantem, Pſal. 139. v. 13. quique pelle & carnibus veſtiuit, atq; oſſibus & neruis compegit, Iob. 10. v. 11. niſi, inquam, is quoq; ex vtero extraheret, & extractum cuſtodiret, nec infans matrem, nec mater vlla infantem viuum ipſa incolumis, nec vterque hanc lucem aſpexiſſet vnquam. Et hæc cauſa eſt, quod nonnunquam in partu mater cum infante extinguitur, vt intelligamus Dei beneficio naſci homines, & non neceſſariò, nec naturaliter tantùm per homines propagari & multiplicari genus humanum.

Docentur autem & pij ſimul mariti & coniuges ipſorum parturientes, vt in anguſtiis eiuſmodi conſtituti clament ad Dominum, qui audit gemitus, & intelligit anguſtias cordis, Eſa. 65. v. 24. Eſtq; adiutor in opportunitate, Pſal. 9. v. 10.

Neq; verò exiſtimandum, Deum propterea non audire, quod interdum in partu ſinit deficere piam mulierem. Licet enim non audiat iuxta voluntatem, audit tamen ſecundum vtilitatem ipſarum. Et glorioſior eſt ipſarum liberatio: compenſabit etiam has anguſtias, & lachrymas abſterget, Eſa. 25. v. 8. Interim ſoletur illas præſentia Dei. Dummodo te habeam, Pſal. 73. v. 8. Pſal. 23. v. 4. tu mecum es. Et Rom. 8. Si Deus nobiſcum, verſ. 31. Poteſt & hîc tractari locus, qui ſupra in Diſpoſit. Thematis VI. eſt vltimus. Et recurrunt hîc quoque alij plures.

FINIS.

THEMA IX. CLASSIS III.

Syrach 25. verſ. 33.

A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.

DISPOSITIO.

Durius quidem hæc videntur dicta aduerſus ſexum

fœmininum: at vera tamen ſunt, cum Paulus electum illud Dei organum hæc eadem confirmet, 1. Tim 2. v. 14. dicens, Mulier ſeducta tranſgreſſionem inuexit.

Hinc ipſæ etiam mulieres morti factæ ſunt obnoxiæ cum omnibus his, qui ab ipſis prognati ſunt.

Quia verò culpa etiam redundat in viros, itaque operę pretium erit ſæpius hoc expendere, in quantas miſerias genus humanum ſit coniectum per mulierem, quod occaſione Textus præſentis iam ſumus facturi. Iuxtà tamen monendi eſtis, quas hæc meditatio doctrinas ſecum ferre debeat.

I. *Pars.*

Qua ratione Diabolus per ſerpentem ſeduxerit Euam, ex Geneſ. 3. conſtat. Et certum eſt Diabolum aggreſſum fuiſſe Euam abſente marito Adamo: illamque aſſenſiſſe Diabolo, vt veſceretur de arbore vetita, inſcio & inconſulto Adamo. Hanc ob cauſam mulieri tribuitur initium peccati. Hinc Paulus virum non ſeductum aſſerit, ſcilicet per ſerpentem. Ipſe enim non Adamum ſed Euam decepit, nec cum Adamo egit de hac re, ſed cum muliere.

Et negari non poteſt, quod mulier non tantum primùm peccauerit, ſed etiam virum ſeduxerit. Hinc ipſa primùm etiam facta eſt inobediens & rea mortis, & mortalis reddita, & æternæ morti ſubiecta. At non ipſa tantum morti ſubiecta, ſed per peccatum mors tranſiit in omnes. Rom. 5. v. 12. Ad mortem autem pertinent omnes illæ clamitates & miſeriæ, quæ primùm ſunt mulieri denunciatæ, & quas ipſa primùm experiri coacta fuit: vt ſunt dolores mox poſt conceptum, & in geſtatione, atque in partu pręſentiſſima mortis pericula. Et ſicut propter peccatum mulieris omnes moriuntur, ita ipſæ ante omnes varia ſentiunt mortis præludia. Hinc etiam interdum in partu cum infante miſerabiliter, & nō ſine maximo dolore vitam finiunt. Quod ſi non peccaſſet mulier, & vteri geſtatio & partus cum voluptare maxima fuiſ-

fuissent coniuncta. Et sicut Maria absque omni dolore Christum peperit, quia abfuit à conceptione peccatum: Ita si sine peccato concepissent mulieres, certè absque omni dolore etiam peperissent.

II. *Pars.*

Nunc me conuerto ad doctrinas ex meditatione huius loci notandas.

I. Et primum quidem hæc non dicuntur neque à Sapiente neq; à Paulo, nec repetũtur propterea sæpius à nobis, 1. vt fœmineum sexum vel conuitiis proscindamus. 2. vel mala quæuis illis imprecemur, eò quod prima mulier totum genus humanum perdiderit. 3. vel vt omnes inde mulieres odio habeamus, & contemptim de illis loquamur, quod multi faciunt. Redundat enim hæc contumelia in ipsum creatorem Deum, qui mulieri non tantum remisit peccatum & cohæredem gratiæ esse voluit 1. Pet. 3. vers. 7. sed & salutem generi humano per semen mulieris, Genes. 3. restituit: & res magnas per mulieres fecit; Debora. Iud. 4. Abigail. 1. Sam. 25. Esther, Iael, Iudith, &c. easdem insignibus sæpè donis & Prophetiæ Spiritu donauit, Miriam. Exod. 15. v. 20. Hulda. 2. Reg. 22. vers. 24. Hanna. Luc. 2. v. 36. & plurimas de illis non temerè perturbandis sed potius diligendis leges tulit in scripturis. Deut. 20. & 21. v. 14. Malach. 2. v. 14. Prouerb. 5. v. 18. Eccles. 9. v. 9. Ephes. 5. v. 25. Coloss. 3. v. 19. & 1. Pet. 3. v. 7. &c.

Atque si odio habendam putas mulierem, magis detestare Diabolum, qui author fuit mulieri vt peccaret.

Neque viro nocuisset peccatum mulieris, si non ipse etiam Diabolo consensisset. Hinc Roman. 5. v. 14. inobedientia tribuitur viro, & per ipsum damnatio super omnes venisse dicitur.

Dum itaque mulieri exprobras peccatum, teipsum accusas, cum vir caput mulieris à peccato & inobedientia non fuerit immunis. Inculcatur autem nobis lapsus mulieris has ob causas. 1. vt fœminæ in vera humilitate viuant,

uant,memores,quantum mali prima mulier in mundum introduxerit. Ideoque Paulus illas in silentio cum omni subiectione vult discere, 1.Tim.2.v.12.

II. Deinde,vt intelligamus, quæ causa sit,quod mulieres præ omnibus aliis tot sint obnoxiæ calamitatibus, morbis,afflictionibus,prę;sertim in partu,&c.Hanc enim ipsis pœnam denuntiauit Dominus propter inobedientiam,Gen.3.v.16.

Quæ autem piæ sunt matronæ, propterea non desperent aut angantur animo, scientes, semen mulieris ipsarum crucem & calamitatem sanctificasse: & solentur se dicto insigni,1.Tim.2.v.15. Salua fit mulier, &c.

III. Patienter omnis generis aduersitates & partus difficultatem ferant mulieres, cogitãtes, se hanc pœnam transgressione sua commeruisse. Et sufficiat illis gratia Dei,2.Cor.12.v.9.atq; dicant illud Prophetę,Iram Domini portabo,quia peccaui illi, Mich.7.v.9. Neq; est quod accusent Euam, & se iam nihil tale meritas alienam sustinere culpam dicant. Cum enim verisimile sit,præceptum de arbore vitanda ad posteros Adami & Euæ pertinuisse, (vt perpetuam sic exercendæ obedientiæ erga Creatorem haberent materiam) fieri potuisset, vt illæ,quæ iam tantoperè Euam detestantur, hoc eodem modo à Satana tentatæ in peccatum prolaberentur.

THEMA X. CLASSIS III.

Ioan.16.

Mulier cum parit, dolorem habet, quia venit hora eius. Cum autem peperit puerum,iam non meminit anxietatis, propterea quod gaudeat hominem esse natum in mundo.

DISPOSITIO.

Hæc verba Saluator noster in prolixa illa sua concione,quam habuit ad Discipulos, paulò ante mortem,inter cætera,non absq; singulari affectu,magnæ consolationis

loco

loco propoſuit, non ipſis tantum Apoſtolis, ſed & omnibus Chriſtianis probè conſideranda. At hæc verba ſimilitudinis pertinent omnium maximè ad grauidas & parturientes, quarum Chriſtus etiam in mortis agone non fuit immemor. In gratiam illarum nos quoque horum verborum vim paulò accuratius inueſtigabimus, & primum dicemus, quomodo habeant res mulieris parturientis, cum venit hora ipſius. Deinde, quales poſt partum aſſumant affectus.

I. Pars.

Rectè profectò Chriſtus pronunciat, Mulier cum parit, triſtitiam habet. Dann das lachen iſt ſehr thewr vmb ſie zur ſelben zeit.

Et verbis ſubſequentibus meminit anxietatis, quæ affligit parturientes. Non tantùm illas obruunt dolores vehementiſſimi, ſed quæ omnium eſt grauiſſima, anxietas cordis ipſas premit. Quare? Quia venit hora illius, vbi ſubire cogitur pręſentiſſimum mortis periculum: Fœtum namque eniti oportet, aut vna cum illo pereundum. Sic enim Deus vult, illas cum dolore maximo parere. Geneſ. 3. verſ. 16. Eſtque hæc peccati pœna: quæ metum mortis ipſa morte facit grauiorem. Magna itaque animum parturientis occupat triſtitia, dum de ſua & infantis vita ſolicita eſt.

Locvs. Conqueruntur de hoc ſæpè piæ matronæ, Non eſſe virum, qui credere poſſit, quãtos dolores, quantas anguſtias ſentiant ipſæ parturientes, cum inexperti de his minus dextrè iudicare videantur.

Licet autem pius maritus diligens vxorem in illis periculis æque angatur animo, ac ipſa parturiens, (pro cuius ſalute ipſe tàm eſt ſolicitus, vt morte ſua vitam coniugis parturientis redimere vellet) tamen, vt maximè illis hoc concedamus, Chriſtus Ieſus, qui tentatus eſt per omnia, & qui eſt καρδιογνώστης πάντων, is nouit & obſeruat accuratiſſimè omnem parturientium anxietatẽ, triſticiam, &c.

Ideoque hoc loco de his rebus loquitur, ſicut & alibi Dominus, Ierem 4.v.31. vt oſtendat, hæc non latere eum, qui cor & renes ſcrutatur.

Faciunt hæc ad conſolationem parturientium maximam, præſertim cum præter ea, quæ diximus, illud etiam ad ipſas pertineat: Cum ipſo ſum in tribulatione. Pſal.91. v. 15. Eripiam. Ideoque in illis anguſtiis clament ad Dominum & audiet eas. Pſalm. 50. v. 15. Repetant illud Pſal. 73. Dummodô te habeam. &c.v.25. Et Pſal. 23.v.4. Tu mecum es. Et Roman.8. verſ.31. Si Deus pro nobis.

Et qui in numerato habet ſuſpiria, gemitus & lachrymas illarum Pſalm. 56. verſ. 9. is abſterget etiam. Eſa. 25. v.8. Apoc.7.v.17.& 21.v.4.

Patienter itaq; piæ mulieres ferant iſtas anguſtias, cogitantes, hæc eſt hora illa, de qua Chriſtus dixit. Es iſt vmb diß böſe ſtündlin zuthun. Eſt hora quam Deus conſtituit nobis, atque hora vocationis noſtræ.&c.

Plura quæ huc pertinent in ſuperioribus Diſpoſitionibus huius Claſſis ſunt annotata.

L. II. Quia ex verbis Saluatoris conſtat, in quantam triſticiam coniiciantur parturientes, ideoque omnes qui ipſis præſentes adſunt conſolationibus ex ſcripturis erigant puſillanimes, vbi venit hora illarum.

Huc enim quoque pertinent illa Pauli 1. Theſ. 5.v. 14. Conſolamini puſillanimes. &c.

Proponatur ipſis præſentia Dei, auxilium ipſius quod prædicatur Pſal.22.v.10. & 71. verſ. 5. Item quod laborent in ſua vocatione, in qua placeant Deo & ſaluæ etiam fiant ſi maneant in fide. 1. Tim.2.v. 15. Et quæ ſunt alia.

II. Pars.

Vidimus anguſtias parturientium, vbi venit hora earum. At quid tum fit cum ſuperarunt anguſtias illas? Wann das böſe ſtündlein fürüber iſt. Sic Chriſtus: Cum peperit puerum non meminit anxietatis, propterea quod gaudeat infantem natum. Tametſi enim non mox poſt

par-

partum omnes dolores euanescant, tamen gaudium super infante nato omnem postea dolorem mitigare videtur. Et sic lætatur mulier superatis doloribus partus, vt iam vix meminisse possit, quo loco fuerint res ipsius. Iam enim ex morte ad vitam transiisse putatur.

Locvs. Ecce fidelis Deus, qui sicut in cæteris afflictionibus, ita etiam in hora partus non finit tentari vltra vires. 1. Cor. 10. vers. 13. Sed post tribulationem magno gaudio perfundit parientes. Ad vesperam fletus. Psalm. 30. v. 6. In momento dereliqui te Esa. 54. v. 7. Et propterea dolores partus non vult durare integrum decennium, aut annum vnum, imò nec mensem nec septimanam, sed hora, inquit, venit. Es soll nicht zu lang wehren. Cum gaudium postea multò sit durabilius, super nato infante.

Reprehendendæ igitur ex hoc loco nonnullæ vel delicatulæ, vel ἄστοργοι, vel ignauæ mulieres, quæ infantem recens natum mox extingui optant: vt sic illis tempore puerperii & post molestus esse non possit: cum potius ex animo debebant lætari super hac diuina benedictione, & pro incolumitate illius preces ad Deum fundere. Tandem, cogitabunt haud dubiè nonnulli, Non semper locum habere hoc Saluatoris pronunciatum, quod partum subsequatur gaudium. Nonnunquam enim piæ matronæ in partu deficiunt & hac ratione doloris multum & gaudii parum sentiunt. Quemadmodum etiam de vxore Pinehas legitur, quod cum iuberetur benè sperare, propterea quod filium peperisset, ipsa (nihil inde sentiens gaudii) non apposuerit cor suum. 1. Sam. 4. vers. 20. Et idipsum quoque exemplum præsentis defunctæ, quæ in partu defecit, testatur.

Respondemus. Hoc ipso loco Christum, de duplici gaudio loqui. Alterum temporale est, quod post natum infantem sentitur sæpius, licet non semper. Alterum illud est, de quo asserit, non auferendum à nobis, atque adeò æternum gaudium.

Hinc facilè est colligere, cum Christus, qui est veritas,

tas,mentiri nesciat: is verò pronuntiet, matrem nato filio sensuram gaudium: quod illa, quæ gaudio terreno priuata fuit, superata doloribus partus, mox vbi animam Deo reddidit, sensura sit gaudium illud æternum, quod ab illa non sit auferendum. Sicque non malè cum ipsa agitur, cum pro paucorum annorum gaudio æternum illi detur celebrare Iubilæum, vtpotè quæ in officio vocationis, in fide & pia nominis diuini inuocatione, ex hac lachrymarum valle ad æterna gaudia migrauit.

Beatas illas & felices prædicare possumus præ omnibus viuentibus, quorum gaudia in his terris plerunq; luctus comitatur, Prouer.14.v.13. Soletur hoc ipsas morituras, & maritos, & omnes alios, quibus hi casus multum videntur esse luctuosi.

THEMA XI. CLASSIS III.

1. Timoth. 1. vers. 13.

Adam prior formatus est, deinde Eua. Et Adam non fuit deceptus, sed mulier seducta, obnoxia facta est transgreßioni. Salua tamen fiet per generationem liberorum, si manserit in fide ac dilectione, & sanctificatione cum castitate.

DISPOSITIO.

Duo tractat Apostolus his verbis. Primum enim admonet mulieres transgressionis factæ per mulierem primam, quæ peccatum inuexit super omnes: vt sic discant humilitatem. Deinde verò consolationem addit pro iisdem, ne desperent propterea, quòd multis sint obnoxiæ calamitatibus, ob illam, quam diximus, mulieris transgressionem.

Vtrumque considerandum erit.

I. Pars.

Adamum primò formatum asserit Paulus, & hinc illud

lud vult euincere, quod vir caput ſit vxoris, quodque illa debeat ſubiacere imperio mariti. Addit vero, Adamum non deceptum, ſed Heuam: ſcil. per ſerpentem, qui non cum Adamo, ſed cum Eua ſermones contulit, nec Adamum, ſed Euam ad defectionem ſolicitauit.

Illa verò maritum ſeduxit, & eidem, vt de arbore vetita veſceretur, author fuit. Hinc non ipſum tantum maritum perdidit, ſed propter illius aſſenſum tranſgreſſio ad omnes homines pertranſiit. Hinc pœnam etiam Deus primò denunciauit mulieri, Gen.3.v.16. eamq; ſatis grauem & perpetuò in his terris duraturam impoſuit.

LOCVS hic idem recurrit, qui in ſecunda parte Diſpoſitionis Thematis noni ſuprà habetur in hac claſſe.

II. Pars.

Poſſent autem mulieres, vaſa infirma, dum tot tantaſque calamitates ſentiunt propter peccatum, planè deſperare de gratia diuina: ideoque Paulus conſolationem hoc loco adiungit grauiſſimam: oſtendens ſalutem illis non denegatam, etiamſi liberorum generationi (quę certè peccato ſemper eſt infecta) operam dent: dummodò maneant in FIDE. Et quæ ſint notæ, quod in FIDE ſint, (ſi ſeipſas probare velint, iuxta id, 2.Cor.13.) addit, ſcilic. Dilectio, ſanctificatio, caſtitas.

Quæ huc pertinent, in Diſpoſitione Thematis 94. Promptuarij Connubialis iam ante pertractata ſunt: ideoque illuc lectorem remitto.

SEQVVNTVR
CLASSIS IV. THEMATA,

Applicanda funeribus vel infantum, vel eorum, qui præmatura morte abrepti, plerunque triſte ſui deſiderium relinquunt.

THE-

THEMA I. CLASSIS IV.

Genes. 11.

Mortuus est Haran ante Thare patrem suum in terra natiuitatis suæ, in Vr Chaldæorum.

DISPOSITIO.

Nihil singulare videntur habere hæc verba, de morte Haran: cum nec rarum nec mirum sit homines mori. At quia certum est, nihil omninò in scripturis contineri, quod non possit facere ad nostram vtilitatem: ideòque nonnulli ex patribus senserunt, esse in his verbis singularem emphasin, & scripturam admirabundam hæc protulisse, eò quod hic primus legatur ante patrem diem suum obiisse. Itaque & nos hanc historiæ particulam non negligemus.

Dicemus autem 1. Quis fuerit iste Haran. 2. Quando. 3. Et vbi mortuus.

I. Pars.

Fuit autem hic Haran ex progenie pii Patriarchæ Sem (filiæ Nohæ) oriundus, & filius Thare, qui in Genealogia Patriarcharum post Noham est ordine nonus, & pater Abrahami, Genes. 11. v. 26. Adeòque hic Haran fuit frater Abrahami celebratissimi inter omnes Patriarchas: & qui pater est omnium credentium. Sicq; ex magna & illustri familia natus est noster ille Haran: atque maior natu Abrahamo. Quod hinc colligitur, quia Ioth filius Haran, penè eiusdem est ætatis cum Abrahamo, cum exirent ex Chaldæa.

Legitur autem fuisse mortuus. Quia homo mortalis ex patre mortali prognatus.

LOCVS. Mors nemini parcit, ne illustrissimis quidem personis: nec Patriarchis, aut eorum filiis, nec Regibus, nec Principibus. Mors seruat legem, tollit cum paupere Regem. Et pallida mors æquo pede pulsat pauperum tabernas, Regumque turres. Ideò Syrach cap. 40. tàm illum

lum qui coronam gestat, quàm hunc qui cilicio induitur mortis subiacere imperio testatur.

Quia omnes ex æquo sunt peccatores. Peccati autem stipendium mors, Rom. 6.

1. Facere hoc debet ad excitandam patientiam apud pauperes & miseros, cum sciant, eandem cum ipsis viam ad mortem ingredi omnes, quantumuis illustres personas, Reges, Principes & alios.

2. Humilitatem docet idipsum illustriores & potentes, quod illis æquè sit moriendum atque pauperrimis. Quid enim superbit cinis & puluis? Syr. 10.

Philippus Macedo quotidiè huius rei voluit commonefieri per adolescentem: Philippe, homo es. At multi hoc ægrè ferunt nostro tempore, & parum cogitant, se esse mortales: cum tamen scire debebant, Deum non esse προσωπολήπτην, Iob. 34. Vide vers. 19. & 20.

II. Pars.

Mortuus est autem Haran ante patrem suum Thare. In Hebræo est, Et mortuus est Haran super facie patris sui Thare. Hinc alii sic legunt, quod coràm patre suo, vel in conspectu patris sui: alii, quod ante patrem, hoc est, prior patre mortuus sit. Et perinde est, siue coràm patre, siue ante patrem sit mortuus: quia patrem longo post mortem ipsius tempore superuixisse, & tum demum ex Chaldæa migrasse certum est. Constat autem, quod Haran non in pueritia vel adolescentia, sed cum prouectioris esset ætatis diem suum obierit: cum filium iam Lothum & duas filias Melcham atque Iischam ex coniuge suscepisset. Certum quoque est, quod patres istius temporis non ita properarint ad nuptias, cum essent adhuc longæui. Ideò Thare iam 70. natus annos demum legitur tres filios genuisse. Sicque verisimile est Haran quoque septuagenario maiorem fuisse mortuum. Tamen scriptura innuit illum ante patrem, & sic quasi præmatura morte abreptum: cum pater Thare annos ducen-

ducentos quinq; natus fatis concesserit, vt in fine huius capitis habetur.

L. Innuit hic locus, præter communem naturæ ordinem fieri, vt liberi moriantur ante parentes: cum naturaliter hi, qui priores sunt ætate, semper priores etiam naturæ debitum soluere debebant. Et graue sanè hoc videtur parentibus, si liberos ante se morientes cernere cogantur. Hæ autem sunt causæ potissimum, quare Deus ante parentes euocet liberos.

1. Si liberi pii, parentes verò impii sint, ideò Deus illos euocat, ne parentum impietatem cum annis addiscant aut imitentur. Fitque hoc ad salutem iuniorum, & in pœnam parentum. Patet id exemplo Abiæ filii Ieroboam, 1. Reg. 14. v. 13.

2. Vel hac ratione impietatem liberorum punit, & vitæ dies abbreuiat, vt in filiis Eli, 1. Sam. 2. & 4. vbi simul indulgentia parentis punitur.

3. Vel si piorum parentum pii liberi præmatura morte abripiuntur, fit hoc propter causas Sap. 4. allegatas. Hac verò calamitate parentum fidem & patientiam probat Deus. Illa igitur æquo animo ferenda exemplo Dauidis, 2. Sam. 12. v. 23.

III. Pars.

Vbi mortuus Haran etiam paucis additur. In terra natiuitatis suæ, Vr Chaldæorum. Hinc teste Hieronymo in quæstionibus Hebraicis super Genesin, Tomo 4. fol. mihi 94. Hebræi hanc fabulam referunt: quod Haran in patria sua coniectus fuerit in ignem, eò quod noluerit adorare ignem, quem Chaldæi pro Deo coluerunt. Et hinc Thare sumpsisse occasionem migrandi ex Chaldæa, propter illam persecutionem.

Fabulam longè crassiorem Lyra recitat ex Hebræorum libris, super hunc locum.

At error hinc natus est, quod cum Vr Hebræis significet ignem, illi in Vr, hoc est, in igne Chaldæorum mortuum

tuum Haran fingunt: cum tamen verba (in terra natiuitatis suæ) videantur hoc innuere, quod Vr locum aliquem in Chaldæa denotet. Atque à Deo euocatos ipsos apertè constat. Gen. 12. Voluit autem scriptura hoc nobis insinuare, Haran mortuum in terra patria, quæ fuit infecta Idololatria, priusquam euocati à Deo, Abraham & Loth cum patre & auo exierint in Canaan. Nec ab Idololatria planè erant alieni ipse quoque Thare cum filiis Abrahamo &c. Ios. 24. v. 2.

L. Est quidem pars aliqua terrenæ felicitatis mori in patria, apud suos. Quod ex contrario patet, vbi Deus pœnę loco minatur mortem extra patriam. Exempla. Ioiakim. Iere. 22. v. 26. Baesa. 1. Reg. 15. At si hoc beneficium non contingat piis, nihilo sunt infeliciores: cum Domini sit terra & omnis plenitudo eius Psalm. 24. Multi etiam felicius alibi moriuntur quam in patria, præsertim si illa vel impietati dedita, vel falsa doctrina sit infecta: Sicut verisimile est Haran nostrum felicius extra patriam Idololatricam moriturum fuisse, cum fratre Abrahamo & patre Tharah. Vt vt sit autem, nobis hoc agendum, vt vbicunque Deo placuerit nos mori, in Domino moriamur. Illi enim beati sunt. Apoc. 14.

Quid autem sit in Domino mori, vide in explicatione loci iam allegati.

THEMA II. CLASSIS IV.

2. Sam. 1. v. 26.

Doleo super te frater mi Ionatha, fuisti mihi iucundus valdè, mirabilis mihi fuit dilectio tua super dilectionem mulierum.

DISPOSITIO.

Desumpta sunt hæc paucula verba ex Epicedio illo, quod Dauid conscripsit in obitum Saulis Regis & Ionathani filii, qui in bello contra Philistæos fortissimè pro-

patre pugnans occubuit. Duo autem ex his verbis potissimum notanda.

1. Luctus Dauidis super obitu Ionathani.
2. Quæ huius luctus causa fuerit.

I. *Pars.*

Doleo super te frater mi: inquit Dauid. Et dolendus certè fuit casus, quod vir optimus pro patre pugnans tam crudeliter occiditur ab hostibus.

Mirum autem cuipiam videri posset, quare Dauid tantoperè lugeat defunctum Ionathanum: cum certum sit, ipsum fuisse filium Saulis hostis Dauidis infensissimi. Et licet Ionathan non affectârit hactenus regnum, nec Dauidem fuerit persequutus, sed ipsi potius Dauidi de regno Israëlis spem fecerit, 1. Sam. 23. vers. 17. & bonum loquutus fuerit pro Dauide ad patrem suum, 1. Sam 19. v. 4. tamen quia voluntas hominis est ambulatoria vsque ad mortem, atque iuxta Prouerbium: Si ius violandum est propter imperium violandum est, potuisset forsitan Ionathan post obitum parentis spe potiundi regni animum mutare & fœdus istud cum Dauide initum, 1. Sam. 18. 20. 23. irritum facere, atque Dauidi negotium facessere, quod superstes Isbosethus frater Ionathani postea fecisse legitur. 2. Sam. 3. Præsertim cum fuerit Ionathan (si successionem ordinariam spectare velimus) legitimus regni hæres, & vir fortis, prudens atque populo charissimus (quod patet ex intercessione illa populi 1. Sam. 14. vers. 45.) & hactenus non semel victoriam reportarit ab hostibus, præsertim cum solus vno comitatus armigero profligasset Philistæos 1. Sam. 14.

Quoniam igitur Ionathano mortuo & occiso, Dauid de regno promisso multò potest esse certior, forsitan non seriò hanc rem agere, sed fucum hominibus facere voluit? & in corde suo sibi gratulatus est potius de obitu ipsius? Absit autem vt hæc de Dauide credamus: qui fuit candidus & apertus omni tempore. Atq; facit ardentissima

tissima dilectio (de qua in secunda parte plura) vt nihil tale possis suspicari. Charitas enim non est suspicax. Fratris loco ipsum habet. Quia verè fraternè cum Dauide egit. 1. Sam. 20. v. 17. Et exploratus ipsi vicissim fuit candor Ionathani, ex illa oratione quæ extat 1. Sam. 20. v. 13. ideoque viuum potius optat Ionathanum, quam mortuum. Potuisset is etiam forsitan impedire conatus fratris Isbosethi, & Dauidi adducere tribus Israëlis. Nec dubium quin hoc facturus fuisset. Ideoq; seriò & ex animo luget Dauid occisum, & cum illum in vitam reuocare nō possit, honorifico tamen Epicedio ipsum immortalē reddere studet.

1. Docet Rex noster suo exemplo lugendos esse defunctos, præsertim si illi viri boni, fortes, &c. fuerunt. Ideò Dauid suum Ionathanū fratrem lugebat ademptum. Sic illi Prophetam lugent, Mi frater. 1. Reg. 13. Nec tantum lugendos fratres & amicos, sed etiam hostes, sicuti ipse non Ionathanum tantū, sed & Saulem luget, hoc ipso cap. Noli gaudere super inimico mortuo. Syrach. 8. v. 8.

FACIT hoc primum contrà eos qui neminem lugent, & sunt planè ἄστοργοι: de quibus 2. Tim. 3. Sic quoque contra hos, qui lætantur super obitu non inimicorum tantum, sed etiam suorum fratrum, aut consanguineorum, à quibus metuunt damnum aliquod rei familiaris: sicut haud rarò fratres nonnulli suas sorores, vicissim hæ illos, & illi suos germanos extinctos optant, vt cum hæreditas diuidenda fuerit, portionem maiorem accipiant superstites, si numero sint pauciores.

At nesciunt stulti, quando ipsorum anima auferenda, & cui pararint bona, & quibus relicturi sint sua: Et an ipsis quoque suis frui liceat. Vide Eccles. 4. vers. 8. & 5. v. 13. Luc. 12. v. 20. Magnus igitur quæstus pietas cum animo SVA sorte contento. 1. Timoth. 6. vers. 6.

Facit deinde etiam contra illos, qui vel parentes vel amicos, à quibus hæreditatem auidè expectent, sic lugent, vt vix risum continere possint in funeribus illorum. Hi notabunt illud Salomonis Prou. 20. vers. 21. Hæreditas ad

quam festinatur caret benedictione. Nonnulli hoc apertè fatentur quod extinctos non lugeant, sed dudum tales optarint: nonnulli luctum simulant. Vtrique peccant, & hi tamen illis sunt deteriores. Retribuet autem illis Dominus mercedem iustam: Et eadem mensura remetietur illis. Accusabit illos Dauid in nouissimo die.

II. Docet idem, non odio habendos posteros, quorum parentes vel maiores aut amici nobis fuerunt aduersarii: prçsertim si nulla posteris culpa tribui possit. Si enim Deus non vult filium portare iniquitatem patris, Ezech. 18. v. 20. quare nos filio imputabimus peccata patris, cui filius non potuit imperare? Reprehendēdi igitur qui propter offensas maiorum posteros etiam odio plusquam Vatiniano prosequuntur. Si enim ipse inimicus diligendus Matth. 5. Rom. 12. & non lædendus, multo minus illius posteri. &c.

L. III. Posset etiam tractari locus, de mortuis non nisi bona esse dicenda: cum hîc Dauid non bonum tantum Ionathanum, sed & Saulem multis encomiis ornârit. Reticet id quod vituperatione dignum erat in Saule Rege & Deo committit. Si quæ autem in ipso virtutes erant, illas celebrat.

II. Pars.

Vidimus dolentem & lugentem Dauidem super Ionathani morte: Et seriò doluisse ipsum credimus. At quæ causa huius luctus? Ea quæ ipsum nihil hîc fucati agere docet, charitas & dilectio, vno verbo. Hanc testatur quod ipsum non tantum vocat fratrem: sed & (quia fratrum quoq; gratia rara est) clarius exprimit suum amorem his verbis, Fuisti mihi amabilis valdè. Etenim quam fuerit vtriusq; dilectio ardens patet ex 1. Samuel. 20. & 18. v. 3. Et vix potest exprimere Dauid suum amorem, ideoque tandem vno verbo dicturus omnia, subiungit, non fuisse dilectionem suam erga Ionathanum minorem, quam sit amor coniugalis, qui omnium debet esse ma-

ximus:

ximus: cum vna ſint caro, carnem autem ſuam nemo poſſit odiſſe, Epheſ. 5.

Quia autem Dauidis dilectio non poteſt multum prodeſſe mortuo (excepta honeſta illius memoriæ conſeruatione, de qua ſupra) ideoque Dauid non verbis tantum ſed reipſa teſtatur ſuum amorem erga Ionathanum, & Mephiboſetho filio benefacit propter parentē. 2. Sam. 9.

Locus I. Facit vera & ſyncera dilectio, vt non viuos tantum, ſed etiam defunctos bonos viros omni modo & ratione honoremus: vtque memoria illorum ſemper ſit recens. Et ſi defunctis omninò non poſſumus alium habere honorem, tamen honeſtè de illis loquamur, & poſteris ipſorum benefaciamus: ſicut Dauid Mephiboſetho: & ſic non verbis ſed reipſa teſtemur amorem. Idque erga omnes faciendum, cum omnes ſimus fratres. Epheſ. 4. v. 6. 1. Tim. 6. v. 2. maximè verò erga eos, quorum maiores de nobis bene ſunt meriti.

Multi viuos exoſculantur: mortuis vero illis omnis memoria eorum euaneſcit. Aut tamen ſe officio ſuo probè defunctos putant, ſi honeſtam defunctorum interdum mentionem faciant. Interim poſteris non benefaciunt, etſi maximè poſſent. Non placet id Deo, 1. Ioan. 3. verſ. 18.

L. II. Nihil dicemus de dilectione mulierum, cum non ſit noſtri inſtituti.

FINIS.

Thema III. Classis IV.

2. Sam. 12. à v. 15. ad 24.

Hiſtoria de puero Dauidis mortuo.

Rectè dicitur Prouerbio: Kinder kommen von hertzen/ vnd gehn wider zu hertzen. Et hoc comprobat memorabilis illa quam prælegimus & prolixa hiſtoria, qua deſcribitur, quomodo filiolus Dauidi ex Bathſeba natus in grauem inciderit morbum, quo etiam extinctus poſtea fuit:

fuit: & quomodo Dauid pro salute & incolumitate filioli solicitus Deum rogarit: quodque tandem mortem illius æquo tulerit animo. Quia verò hic locus doctrinis & consolationibus est refertissimus, nos præcipuos tantum locos breuiter attingemus.

Quatuor autem sunt huius historiæ partes, quæ singulæ peculiari concione possent tractari.

1. De morbo filij Dauidis dicendum.

2. Quid pater solicitus de vita infantis egerit viuo adhuc eo.

3. Quid Dauidis Consiliarij & Ministri fecerint.

4. Quo animo Dauid mortem filioli tulerit.

I. Pars.

Natus est Dauidi filiolus ex Bathseba. Quomodo hunc ex illa susceperit, non dicemus. Vt primum autem nascitur infans, in morbum incidit. Vnde hic morbus? Dominus percussit puerum. Quare puerum tenellum, qui nihil adhuc peccauit? Propter peccatum patris, quod exprimunt hæc verba: Percussit Dominus puerum, quem peperit vxor Vrię. Nō erat Dauidis vxor tum, cùm concepisse thunc puerum. At, inquis, filius hic cogitur portare iniquitatem patris? Respondeo. Nihil nocet hæc percussio seu plaga animæ huius pueri, licet coram Deo non sit innocens, sed in peccatis conceptus & natus. Si corporalia spectemus, expedit huic puero mori in iuuentute, ne cogatur à fratribus & aliis audire spurius, ex adulterio natus. Præterea non sentit gladium, quem minatur Deus Dauidi, atque felicior est Ammone, Absalone, Adonia, qui gladio sunt occisi. Et sic in ira memor est Deus misericordiæ suæ.

L. Licet hic fuerit singularis casus, tamen docemur in genere, Omnes infantium & adultorum ægritudines & morbos esse plagas Domini. Non enim cadit capillus de capite sine voluntate Dei, Matth. 10. & de ægritudinibus dicitur Deuteron. 28. Dominus percutiet te morbis.

No-

Notandum autem, quod harum plagarum alia est ζημωρία, hoc est, vltio diuina propter certa peccata: vt in Corinthiis, 1.Corinth.11.vers.30. quod irreuerenter celebrarunt Cœnam Domini. Sic quoque percussi sunt Pharao cum suis, Genes.12. v.17. Philistæi in Asdod, 1.Sam.5. Ioram, 2.Paralip.21.

Et sic propter peccata parentum etiam liberi interdum, sicut & hoc loco, percutiuntur, vt parentes cogitent, si hoc fit in viridi, Luc.22.

Interim verò saluti infantum nihil decedit. Et cooperantur illæ ægritudines ipsis in bonum, Rom. 8. De quo iam mox plura.

In aliis verò ægritudo est κόλασις, paterna castigatio, quæ in bonum semper cedit. Talis est in infantibus ex piis parentibus natis. Quod enim mors illorum & sic etiam ægritudines, quæ mortem adferunt, in bonum cedant, testis est locus Sapient.4. v.7. Et quia semel mori ipsis (vt omnibus hominibus, Hebr.9.) constitutum est, felicius moriuntur in cunis quàm in campis.

Notanda hęc sunt propter eos, qui causam morbi non peccato, non Deo percutienti tribuunt, sed veneficas, &c. accusant. Non cogitantes id Esa.9.v.13. Ier.5.v.3. Et illud Osę.6. v.1.

II. Pars.

Intelligit Dauid plagam hanc Domini, quæ cor ipsius tangit.

Itaq; perturbatur tàm propter suum peccatum, quàm propter filiolum. Defleт hunc casum, vt patet ex versu 22. infrà. Quid faciat autem miser?

1. Rogat Dominum pro incolumitate infantis. Non absolutè tamen petit hoc, vt viuat infans. Quomodo enim informauerit suam orationem ipse post explicat, cogitabam, Quis scit, miserebitur fortasse mei Dominus. Dei igitur voluntati permittit.

2. Vt autem ardentiores possit fundere preces, ieiu-

nat etiam, & humi cubat. Nec cibum vult capere, nec ſurgere de terra. In magna quippe perturbatione erat.

DOCET autem Dauid, quæ media ſint arripienda in ægritudinibus vel noſtris vel infantum noſtrorum. Alii murmurant aduerſus Deum & ſunt impatientes, & expoſtulant cum Deo, ſicut illi Ezech. 18. v. 2. Alii magos accerſunt & illorum opera vtuntur, quia non credunt à Deo eſſe plagam ſed à veneficis.

Malè hæc omnia, imò peſſimè fiunt.

Dauid aliter rem hanc aggreditur. Flet & dolet ſuper hac ægritudine. Licet id tibi. Expletur lachrymis egeriturque dolor. Sed non ſatis. Conuerte itaque te ad preces. Et ſiue ieiunes ſiue non, ſiue humi cubes ſiue in lecto, preces ſint ardentes. At dicendum: Fiat voluntas tua. Forſitan miſerebitur mei. Non autem ſicut ego, ſed ſicut tu vis. Matth. 26. Vide etiam Syr. 38. verſ. 9. Iac. 5. verſ. 14 Exemplum Hiskiæ. Eſa. 38. Mediis poſtea etiam ordinariis vti licet. Syr. 38. verſ. 12.

III. Pars.

Condolent Regi ſerui illius. Et quamuis nihil ſolidæ conſolationis attuliſſe legantur, vel quod de his non cogitarint, vel quod præ conſternatione nihil potuerint proloqui, tamen cibũ vt capiat Rex perſuadere volunt, & de terra ipſum erigere. Et qui vehementer perturbatum ipſum vident, non audent ipſi nunciare mortem filij.

DOCENT hi ſerui, conſolari nos debere lugentes afflictos. Syr. 7. verſ. 38. Iob. cap. 31. fatetur quod hoc officij præſtiterit mœſtis. Requirit id Paulus. 1. Theſſ. 5. v. 14. At cauendum vt cum cor conturbatum eſt, ne tales conemur erigere compotationibus, ludis, &c. Prou. 14. verſ. 10. Sed firmis conſolationibus ex verbo Dei. Alioquin erimus conſolatores oneroſi. Iob. 16. v. 2. Vide dictum Dauidis, Pſal. 119. v. 50. & 92.

IV. Pars.

Licet ſerui Dauidis non audeant illi nuntiare mortem

tem filioli, tamen vbi ex muſſitantibus quærit hoc, fatentur quod res eſt. Ibi tum animum recipit Dauid.

Et 1. indutis veſtibus mundioribus, vultuque triſti depoſito ingreditur templum Domini, ibique orat. Haud dubiè gratias egit Deo, quod ex omnibus miſeriis liberârit infantem.

2. Cibos ſibi apponi permittit, & recreat cor mœſtum.

3. Admirantibus illius factum cauſas exponit, quare viuente & decumbente infante triſtior fuerit quàm ſit illo mortuo. Prima eſt hæc. Quia neſciebam an Dominus preces meas ad voluntatem meam ſit auditurus, ideoque inſtabam orationi. Altera hæc eſt. Quia nihil efficio porrò meis querulationibus, nec poſſum mortuum reuocare, non volo vltra quam par eſt triſtari. Quia non reuertetur ad me. Tertia. Eſt hæc mea conſolatio, quod non amiſſus ſed præmiſſus eſt infans. Videbo eum & recipiam in vita beata.

L. Inſignem hic locus parentibus doctrinam & conſolationem præbet, ſi chara amiſerunt pignora.

1. Primum gratias agant Deo, quod liberos ad ſe vocauit ex his miſeriis: quodque iam de ſalute illorum certi eſſe poſſunt.

2. Non triſtentur ſicut gentes ſpem non habentes. 1. Theſſ. 4 Sed erigant ſeipſos & æquo animo ferant hunc caſum, cogitantes fruſtra ſe lacerare genas, cum iam Spiritus ad Deum peruenerit. Todten weynen vnd Wetter ſorgen iſt vergebens.

3. Conſoletur autem pios parentes, quod liberos non amiſerunt ſed præmiſerunt. Et quod illos recipient in vita æterna.

Fruſtra igitur nonnulli hoc vnum optant, vt reuertantur liberi ad ipſos in has terras. Stultum eſt illis inuidere ſuam fœlicitatem. Quin potius hoc agant & ita viuant vt ipſi perueniant ad liberos ſuos.

FINIS.

THEMA IV. CLASSIS IV.

1. Reg. 14.

Historia de morte Abia filii Ieroboam.

Ex vers. capitis 12. 13. 17. & 18.

DISPOSITIO.

Historia quam prælegimus de Abia filio Ieroboami, nobis non pauca refert, quæ nostræ vtilitati seruire poterunt. Quanquam enim Ieroboam tam fuerit impius, vt memoria illius maledicta sit in sacris, & ipse etiam (qui tantum peccare docuit Israëlem) cum tota posteritate deletus sit ex libro viuentium, de filio tamen Abia legitur, quod in ipso aliquid boni sit inuentum. Ideoque non est dubium, quin etiam nos ex morte & sepultura illius aliquid boni possimus discere. Hæc duo itaque membra huius historiæ iam breuiter perlustrabimus.

I. Pars.

Æger est filius Ieroboam. Et decretum iam à Deo de morte ipsius factum. Idque matri consulenti Prophetam Ahia significatur ex reuelatione diuina. Et tempus mortis tàm exactè notatur, vt dicat Propheta, quo momento temporis sit moriturus, scil. in introitu pedum matris, vbi venerit in ciuitatem. Et factum est ita. Cum enim vxor Ieroboami ingrederetur limen domus in Thirza, mortuus est hic filius Abia. Cedit autem hoc patri impio in pœnam: filio verò pio ad salutem, de quo in 2. parte.

Loc. Videmus Deum in sua manu habere vitæ nostræ periodos: & exactissimè scire ipsum momentum mortis. Pendet enim quasi à tenui filo vita nostra, quam abrumpit Dominus, quando vult. Patet exemplo Abiæ, qui nec citius nec serius moriturus est, nisi cum mater ingressa fuerit limen domus.

Sciendum itaque, soli Deo constare terminum vitæ nostræ, cum non cadat capillus, &c. Matth. 10. Ideoque patien-

patienter nos & vitam nostram diuinæ voluntati subiiciamus, nihil soliciti, quo tempore, quo loco, quo genere mortis simus interituri. Dummodo in vocatione nostra id fiat: vt in Domino moriamur.

Notanda hæc contra Genethliacos, & qui tales consulunt; contra quos grauiter pronunciat Dominus per Esaiam, cap. 47. v. 15. Et multis rationibus probat Augustinus illos vanam scientiam profiteri. De Ciuit. Dei. libr. 5. cap. 5. Etenim, qui cognouit hominem antequam formaretur in vtero, Ier. 1. v. 5. is etiam scit, quando sit in puluerem redigendus. Nec gloriam suam (quæ ipsi soli hoc nomine debetur, Esa. 46. v. 10. & 44. v. 7.) aliis dare, Esaiæ 42. nec vitæ finem reuelare eiusmodi Genethliacis vult, sicut hîc Prophetæ. At, inquis, interdum tamen terminum vitæ prædicunt, & mirabiliter multa vera respondent. Possem his forsan respondere ex verbis Augustini (libr. 2. de Doctrina Christiana, Et libr. 2. super Genes. ad literam) quod ille in prædicendo fortunatior, qui fauentiorē magisque propitium habet Dæmonem. At in præsentia tantum illud [Ludouici Viuis] oppono, quod annotauit ad locum suprà ex Augustino citatum: Necesse est aliquando collimet, qui frequenter iaculatur. Falsa Mathematicorum responsa pauci recordantur. Vera celebrantur pro admirabilibus.

L. II. Posset tractari locus, etiam Regum & Magnatum filios non esse à morte & morbis immunes. Quia ex æquo peccatores. Ideoque duros interdum nuncios quoque audire coguntur, qualis est hic Ahia, à Deo sic iussus, vers. 6. Ipsis cedit ad doctrinam, vt sint humiles. Cæteris ad consolationem, quia vident etiam Reges & Principes redigi in puluerem, Iob. 34. v. 19.

II. Pars.

Prædixit Ahia Propheta ex reuelatione diuina moriturum filium Ieroboami. Sed addit plura: de honorifica sepultura Abiæ, & quod is lugendus sit ab omni populo. Causam huius edisserit: quod boni aliquid inuentum in

eo coram Domino. Ideoq; hoc esse gratiæ diuinæ, quod naturali morte & maturè decedat. Cæteros enim omnes Ieroboami filios atque nepotes violenta morte interituros, & honesta sepultura priuandos. Et id comprobauit euentus. 1. Reg.15.v.29.

Locvs. Cumulus locorum Communium se hic nobis offert: nos tantum præcipuos paucis delibabimus.

I. Primùm quidem videmus frustrà sæpè parentes angi, cum liberi ipsorum præmatura (quod ipsis videtur) morte abripiuntur. Sed ô felices illos. Festinanter Deus illos ex hac vita euocat non sine causa, quia placet anima illorum. Sap. 4.v.14. Præseruantur à malis. Esa.56. in fine. Patet exemplo Iosiæ. 2. Paralip.34.

O felicem Ierobοamum & posteros illius, si Deus illos morti tradidisset, antequam ad 7. ætatis annum peruenissent. Hoc agnoscendum, & gratiæ Deo agendæ, si præsertim in hac mundi senecta maturè abripit, quos vult saluos facere. De his plura aliàs.

II. Deinde videmus, neminem frustrà studere pietati: sed vtilem esse illam ad omnia. 1. Tim.4. Remuneratur enim Deus hoc loco abundè, quod aliquid tantum boni inuentũ est in Abia. Naturali ipsum morte euocat, honesta sepultura ornat, memoriam illius in benedictione conseruat, iuxta id Psal.112. & Prou.10. Hoc itaq; agant omnes, vt inueniatur in ipsis quod bonum sit coram Deo: quod hîc dicitur. Si enim apud homines non magni fiat illud, quod bonum est, satis est, si coram Deo sic ęstimetur. Atque vel hanc vnam ob causam, per omnem vitam bona operare, vt in hora mortis tibi istud cõpensetur. Timenti enim Dominum benè erit in extremis. Syr.1 v.13. & 19.

III. Pars benedictionis temporalis est honesta sepultura, quæ hîc contigit vni Abiæ, præ omnibus fratribus & nepotibus.

Vide hunc locum suprà copiosè pertractatum sæpius, maximè verò in Dispositione Thematis VII. Classis Primæ, in parte II. De sepultura Samuelis.

IV. Lu-

IV. Lugendos eos in quibus inuentum est bonum, docent nos Israëlitæ suo exemplo. Quia propter hos benè facere vult Dominus sæpè toti familiæ, imò toti alicui nationi. Et illis abreptis plerumq; magnæ sequuntur calamitates. De his sæpius supra classe I.

THEMA V. CLASSIS IV.

1. Reg. 17. vers. 17. ad finem.

Historia de morte & resuscitatione filii viduæ in Zarpath.

DISPOSITIO.

Memorabilis & admiranda hæc est historia, cuius non extat simile exemplum in prioribus scripturę libris, à primo Mosis vsque huc. Primus enim hoc loco legitur filius hic viduæ ex morte in vitam reuocatus. In hunc igitur intendamus oculos.

Eundem verò considerabimus { 1. ægrum. 2. mortuum. 3. resuscitatum. }

Et quia cum illo mater vidua & Elias Propheta concurrunt, ideoque quid hæ personæ cum ægro, mortuo & resuscitato egerint, simul ostendemus.

I. Pars.

Est in Zarphat propè Sidonem viduæ filius vnicus, matris solatium. Is incidit in morbum grauissimum, vt vitæ ipsius nulla spes supersit.

Res mira, quod qui in dira fame cum matre non sine ingenti miraculo, mediante Propheta Elia, fuit conseruatus, iam vehementia morbi alicuius perit cum gemitu.

Graue hoc fuit matri viduæ, quæ cum aliter non possit, in sinu suo collocat ægrum, (Elias enim ex sinu matris ipsum tollit) cuius ægritudinem optima mater multis lachrymis deplorat. Nec quicquam solatij vel auxilij legitur habuisse ab Elia, quem hospitio exceperat. Vult enim

enim Dominus omne humanum auxilium cassare, vt diuinum tanto euidentius appareat. Nec prius iuuat quam in desperatione summa.

LOCVS. I. Videmus Prouerbium verum esse, quo dicitur, facile infirmari infantes. Kinder werdē baldt kranck. Non autem semper sequi alterum. Facile etiam eosdem conualescere. Sie werden auch bald wider gesundt. Ideoq; magna cura & solicitudine parentū opus est ne quia temere negligatur. At non hoc statuant parentes (quod multi faciunt) se sua cura & diligentia preseruare velle infantes suos à morbis. Nec accusent alios, quibus semper sunt filij morbidi & membra trahētes, quod neglexerint suos liberos. (Non enim est verisimile matrem hanc viduam in curanda valetudine filij vnici quicquā neglexisse.)

Neque etiam se ipsos accusent (si fecerunt quod debuerunt & quod potuerunt) neglectæ valetudinis liberorum. Sicut multi dicunt, hätt ich nur das oder jenes gebraucht / oder nicht gebraucht / so were mein Kind nit kranck. Nihil. Vbi enim Deus percussit infantem (sicut de filiolo Dauidis dicitur. 2. Sam. 12. v. 15.) ibi nihil efficies.

L. II. Videmus quod qui vnam superauit calamitatem, non propterea immunis sit ab aliis: Sed alia aliam trudit. Quoties optauit mater filium mori morte naturali, ne dira fame pereuntem cogatur videre? Liberatur filius & conseruatur ne fame pereat: sed iam morbus inuadit ipsum. Putauit mater se superata fame cum filio omnes superasse calamitates; & iam ipsos extra omnem teli iactum positos. Verùm iam experitur nullam fœlicitatem in his terris esse perpetuam. Sumus enim in valle lachrymarum. Psal. 84. vbi quod pretiosum est, labor & dolor est. Psal. 90. Debet hoc in nobis excitare desiderium alterius vitæ 2. Cor. 5. v. 2. & fastidium huius mundi.

II. Pars.

Tolerabile fuisset videre filium ægrum, si spes esset restitutionis: At tanta vehementia est morbi, vt enecet filium

filium. Non manſit in eo halitus. Moritur itaque puer in ſinu matris mœſtiſſimæ.

Quid mater? Ipſa ſic afflicta & indignari & cum Elia propheta expoſtulare incipit. Numquid ideò veniſti, vt in conſpectum Dei adducerentur mea peccata, & interficeretur filius meus? Scio te ſanctum eſſe: me peccatricem. Ideoque non poſſum cum te comparari. Vellem te nunquam à me viſum. Eſt hæc infirmitas huius mulieris. Idem ferè facit quod Petrus. Luc.5. Exi à me.

Quid Elias? Agnoſcit magnam mulieris perturbationem. Imò & ipſe perturbatur, & ex magna hac perturbatione Deo conqueritur, quod ipſi hæc res videatur indigna. Ah Domine quare ſic affligis viduam, quæ mihi omnia humanitatis officia exhibuit.

Tollit puerum de ſinu matris, facturus periculum an à Deo poſſit impetrare vt reuiuiſcat: vt ſic ſolatium accipiat mater.

L. I. Mortuus iuuenis docet, nulli ætati parcere mortem. Ideoque iuuenes non debent confidere in ſuis viribus. Flos agri. Eſa.40.& Pſal.90. v. 5. 6. & 103. v.15. Es iſt baldt geſchehen. Sicut vermis arrodit cucurbitam Ionæ & exaruit, quæ gaudio affecerat ipſum: Ion. 4. ita mors lætam iuuentutem mox coniicit in puluerem.

L.II. Exemplum cernimus in hac vidua, quod demonſtrat quis interdum affectus in parentibus, quorum liberi morte præmatura abripiuntur. 1. Sæpè indignantur. Ich wolt Gott hätte mir kein Kind geben / ſo thet mir das nicht wehe. 2. Interdum propter peccata ſua liberos ablatos cum hac vidua fatentur, & tamen indignantur. Ich weiß wohl / ich habs verſchuldt. Videtur tamen durius cum ipſis agere Deus. Interdum alia obtendunt.

Et rarò æquo ferunt animo hunc caſum, præſertim ſi vnicus hæres ipſis eripiatur, ſpes, ſolatium, gaudium vnicum. Nec intelligunt conſilium Dei Sap. 4. v. 14. nec illud agnoſcunt quod Dauidi præbet ſolatium, 2. Sam.12. v.23. Ideoque non mirum quod aberrant à via.

L.III.

L. III. Sicut Elias æquo fert animo expostulationẽ viduæ, quia illã vehementer videt afflictari: ita lugentibus & afflictis est aliquid condonandum. Nec omnia illorum dicta & facta ad amussim examinanda: si maximè præter decorum agant. Tribuendum aliquid perturbationi.

III. Pars.

Vidimus ægrum & mortuum filium viduæ. Videamus etiam reuiuiscentem. Et istud quidem cum dolore aspeximus: nunc cum læticia videamus restitutum matri. Mortuum puerum in conclaue suum detulit Elias, & impositum lectulo, suo corpore corpus exanimũ calefacere studet: ardentissimè rogans Deum, vt reuertatur anima pueri, & viuat. Exaudit Deus Prophetã. Reuiuiscit puer. Matri viuus traditur. Ibi tũ mater læta fidei incrementũ accipit. Celebrat Deum & verbum eius, quod sit in ore Prophetę.

Locvs I. Possemus dicere hîc de magna fide Eliæ: cum tale quid precatur, cuius non habebat exemplum: nec de eo promissionem acceperat. Magnus autem Spiritus fuit Eliæ.

L. II. Dicere possemus etiam de vi & efficacia precum, ex hoc loco. Precibus enim suis Elias impetrauit vitam huic puero.

L. III. At principalis hic nobis locus est, de mortuorum resurrectione. Si id impetrare potest homo Elias, magis filius Dei viuificabit quos vult, Ioan. 5. Et notanda hic animæ immortalitas. Sunt animæ piè defunctorum in manu Dei, Sap. 3. v. 1. ideò rogat Elias, vt reuertatur ad corpus. Et id facilè fit. Sic in nouissimo die iungentur omnes animæ suis corporibus.

L. IV. Magnum gaudium viduæ, quæ recipit hoc loco puerum suum. Maius verò erit gaudium in cœlis, cum parentes recipient filios suos non amplius morituros. Ibi gaudium erit perfectum, Ioan. 16. Hac spe sese sustentare debent parentes, quod facit Dauid 2. Sam. 12. v. 23.

FINIS.

THE-

THEMA VI. CLASSIS IV.

2. Reg. 4. v. 16. ad 38.

Historia de nato, mortuo & resuscitato puero Sunamitidis.

DISPOSITIO.

Tria sunt omnium hominum communia accidentia, videlicet, Nasci, Pati, Mori. Cuius rei illustre exemplum proponitur in hac historia de filio Sunamitidis: qui singulari Dei beneficio matri donatus, legitur incidisse in morbum, & vitam mox finiisse. At quartum hîc accedit, quod in hac vita est singulare, & paucissimis contigit: videlicet, quod is est resuscitatus à mortuis. Et hic quidem secundus est, cui hoc contigisse legitur in libris Regum.

Quatuor igitur in hoc puero erunt consideranda. 1. Natiuitas. 2. Morbus. 3. Mors. 4. Resurrectio.

I. *Pars.*

Potest recitari historia, quomodo Elisæus Propheta diuerterit ad Sunamitidem: quàm benignè exceptus, &c. Et quod honorarij loco illi impetràrit à DEO filium: quem promisit ante suum discessum. Illa quidem cum fuerit sterilis, & maritum habuerit grandæuum, vix credere potest, serio loqui Prophetam, & hoc vnum optat, vt verum dixerit. At euentus comprobat promissionis veritatem. Nascitur illi filius, qui magno parentes afficit gaudio. Da ist alle Frewd.

L. Æquum est, vt parentes lætentur ex animo, si ipsis nascantur diuina benedictione liberi. Sunt enim donum Dei, Psal. 127. & 128. Magni hoc beneficij loco habuerunt veteres, Sara, Rebecca, Rachel, Hanna, Elisabeth. Et hæc Sunamitis cum pluribus aliis.

Hodiè multi pro maledictione habent, præsertim numerosam prolem. Ideoque non mirum, liberos etiam

ſæpè non eſſe morigeros, quia non habentur pro diuina benedictione. Multi optant ſterilitatem: vel vnum tantum filium, & filiam vnam ſibi dari volunt. Nuhr ein Pärlin: Vnd ein Hoffart. At quia ingrati homines Deo præſcribere certum numerum, & plures non eodem animo ſuſcipere volunt, plerumq; experiuntur pro benedictione maledictionem. Sed pergamus.

II. Pars.

Proximum poſt natiuitatem eſt, pati. Hoc experitus filius in Sunem. Parentes illius ſunt ciues honeſti & diuites, habent ſua bona, agros, iumenta, ſeruos, &c. Ipſi non tantum laborant, ſed & puerum tempore meſſis dimittunt ad meſſores, vt æſtum ferre diſcat, & ad labores fiat aptus, licet vnicus ſit filius. At intenſiſſimus æſtus pueri tenelli caput ita lædit, vt in magnam incidat ægritudinem. De qua conqueritur apud patrem. Pater non eſt durus, ſed mox ipſum ad matrem deferri curat. Illa in ſinu ſuo collocat puerum chariſſimum, & quæcunque poſſunt ad ipſius valetudinem facere, abſque dubio non negligit. Pater ſcit illam facturam officium, & propterea matri committit filium ſenex.

L. I. Poſſet tractari locus, Quomodo parentes debeant aſſuefacere liberos ad labores, etiamſi ſint diuites.

Nihil enim agendo malè agere diſcunt. Et à teneris aſſueſcere multum eſt. Quo ſemel eſt imbuta recens, &c.

L. II. Exemplum habemus quomodo tractandi filij, dum vel ſunt valentes vel cum ſunt ægri. Dum valet hic puer ad labores mittitur. Cum ægrotare cœpit, magna diligentia curatur & parcitur illi. Noſtrates alij nimis ſunt duri, & liberos etiam ęgrotantes nihil curant. Alij nimium ſunt indulgentes, qui valentes nimis tenerè amāt, & ſemper illis metuunt. Medium autem tenendum.

III. Pars.

Proximum poſt pati eſt mori. Sic æger hic filiolus

mori.

moritur in sinu matris. Mater haud dubiè audiuit de filio viduæ in Zarphat excitato ab Elia, & quia Spiritum ipsius super Elisa requiescere nouit, sperat se etiam impetraturam vitam defuncto. Interim tamen quia non est certa de hac re, nihil nec marito nec cuiquam reuelat. Non vult perturbare maritum senem. Benè tamen sperat. Puerum mortuum in conclaue & in lectum Prophetæ reponit. Properat in magno æstu ad Elisam latitantem in Carmelo. Et Prophetam præhensum vehementer perturbata alloquitur: An non satius fuisset me manere sterilem, quàm filium charissimum cum tanto mœrore amittere, &c. Itaque fer opem afflictæ mihi: Et si potuisti mihi sterili impetrare filium, eundem etiam poteris in vitam reuocare. Nec vult dimittere Prophetam, sed vt ipsam comitetur in Sunem vrget.

L. Vbi Deus dedit liberos charissimos, sciendum, tantum ad tempus nobis illos quasi mutuo datos: vt non graue sit, si eosdem reposcat Dominus. Dicamus, Dominus dedit, Dominus abstulit. Iob 1. Non dicendum cum Sunamitide, hab ich doch vnsern HErrn Gott nicht vmb Kinder gebetten. Warvmb hat ers nicht zuvor behalten. Fuit enim hæc infirmitas huius mulieris. At in hoc imitemur Sunamitidem, quod sicut illa benè sperat de resuscitatione filij, dummodò Elisa adsit: sic nos de Resurrectione nostrorum liberorum, & quod illos simus recepturi multò minus dubitemus. Cum de hoc habeamus verbum Dei expressum, & sciamus non virtute Elisæ sed Christi omnipotentis illos euigilaturos. Ioan. 5. Ad illum properemus piis precibus.

IV. Pars.

Non reuelauerat Deus mortem filij Sunamitidis Prophetæ suo Elisæo. Suos enim in humilitate semper vult exspectare verbum. Videt afflictam hospitam, & paratus est bonus Propheta, illam quoquo potest modo iuuare. Annuit precibus illius. Et primum cum baculo

mittit Gehaſi ſeruum, eiq; mandat, vt feſtinet in Sunem, nec vſpiam ſubſiſtat, nec, dum colloquia cum aliis inſtituit, moras nectat. Deinde ipſe rogatus ſequitur hoſpitam. At nihil facit baculus Eliſæi: vel quod dubitatio mulieris atq; ipſius ſerui (qui hoc nunciat hero) impedierit reſuſcitationem: vel quod Dominus fidem Prophetæ atque mulieris voluerit probare, ſi res differatur diutius. Fortius igitur Deum aggreditur Propheta, precib. ipſum fatigans, exemplo Eliæ Præceptoris, vt reuertatur anima pueri: cuius corpus calefecerat ſuo, ſicut Elias, 1. Reg. 17. Annuit Dominus precibus Prophetæ. Reuiuiſcit puer, & matri traditur.

Locvs. De Reſurrectione mortuorum certi eſſe debemus. Habemus exempla iuuenum, adultorum, & eorum, qui ex lectulis, qui ex feretro, & ex ſepulchris fuerunt excitati ad vitam. Illa extant 1. Reg. 17. & hoc loco. Præterea 2. Reg. 13. Matth. 9. & 27. v. 52. Marc. 5. Luc. 7. & 8. Ioan. 11. Act. 9. & 20.

Recurrunt etiam hic iidē loci, qui ſupra in fine præcedentis Diſpoſitionis breuiter ſunt annotati. Cum præcedens hiſtoria cum hac in multis conueniat, poſſunt ex præcedenti Diſpoſitione nonnulla etiam ad hanc referri.

In fine hoc loco addi poſſet Locvs Generalis, cum naſci, pati, mori, quæ ſingula ſuas ſecum ferunt miſerias, omnibus hominibus ſint communia, vt hæc omnia vincant, eo quod huic puero in hac vita ſingulare fuit, in altera verò omnibus erit commune, ſcil. ſpe reſurrectionis certiſſimæ.

FINIS.

Thema VII. Classis IV.

Eccleſiaſtis 12.

Memento Creatoris in iuuentute tua, &c.

NOTANDVM.

Integer hic locus pertractatus eſt copioſè ſuprà claſſe ſecun-

ſecunda, in Diſpoſitione Thematis 32. Si quis verò hæc paucula verba ſigillatim in funere iuuenis alicuius defuncti tractare voluerit, poterit illud non incommodè: & erit huius Periodi ſequens talis.

201.

DISPOSITIO.

Dicta ſapientum probè notanda omnibus, Syr. 8. v. 10. præſertim verò iuuenibus, ſcripturæ ſacræ docent, Syr. 6. v. 35. & 36. At ſapientiſſimus omnium hominum ipſo Dei infallibili iudicio fuit Rex Salomon, 1. Reg. 3. v. 12. Cuius eſt hoc dictum, quod prælegimus, breue quidem, at ſatis neruoſum: quo docētur Iuuenes primum, quomodo florem ætatis, nobile ſcilicet tempus iuuentæ benè debeant collocare. Deinde breuiter additur ratio huius rei grauiſſima.

I. Pars.

Paucis multa voluit dicere Salomon, quid faciendum in iuuentute: Memento Creatoris.

Volunt autem hæc verba cultum Dei: quod è contrario patet. De impiis dicitur Pſal. 9. v 18. & 106. v. 21. quod obliuiſcantur Dei.

Primum hoc volunt verba, Memento te habere vitam non à te ipſo, ſed à ſuperiore, Creatore ſcilicet cœli & terræ. Tu pater noſter, Eſa. 64.

Et huius quidem potes & debes ſępius meminiſſe, cum Symbolum Apoſtolorum, vel orationem Dominicam recitat, vbi ſtatim in limine hoc fateris. At ſæpè tantum eſt ſine mente ſonus. Neque verò ſatis eſt, meminiſſe ſic Dei, vt alicuius hiſtorię, aut hominis alicuius peregrini, à quo nec vitam nec quicquam habes boni, ſed ita meminiſſe decet iuuenem Creatoris, vt de bonitate eius frequenter cogitans, intentus ſit in omnes grati animi oſtendendi occaſiones.

Tum autem verè gratus eris, ſi iuxta ipſius mandata omnes actiones tuas inſtituis. De quo Pſalm. 119. Quomo-

do adoleſcens viam ſuam mundam conſeruabit? In cuſtodiendo ſermones tuos.

Locvs. Quia videmus, frequentem Creatoris noſtri recordationem non tantum eſſe partem cultus Diuini maximam, ſed etiam ad pietatem inſtigare, manifeſtum eſt, non poſſe tempus iuuentæ beatius tranſigi, quam crebra meditatione ortus noſtri, qui eſt à Deo creatore. Hinc Dauid ſuæ creationis grato animo meminit Pſal. 139.v.14. &Hiob.cap.10.v.12.atque alibi.Pſal.105.v.5.in genere hortatur, Mementote mirabilium eius, quorum non minimum eſt noſtra creatio.

Creationis meditationem comitetur etiam grata recordatio redemptionis & conſeruationis noſtræ, quam ſequetur glorificatio.

Sic verè dicere poſſumus, Minor ſum cunctis miſerationibus tuis. Gen. 32.v.10.

Et horum beneficiorum vult nos ſæpè recordari Dominus, quod inde patet, quia præcepit populo, Mementote diei huius. Ex. 13. Ne obliuiſcaris Domini Dei tui. Deut. 6.v.12. Caue ne obliuiſcaris, Deut. 8.v.11. Memento dierum antiquorum. Deut. 32.v.7. Et exprobrat illis ibidem v.18. Oblitus es Dei creatoris tui.

Faciet hæc recordatio ad ſtudium pietatis, vt gratitudinem noſtram teſtemur Deo pro omnibus beneficiis. Sic enim ſeipſum alloquitur Dauid Pſal. 103. Benedic anima mea & noli obliuiſci, &c.

Væ autem illis qui non recordantur Dei creatoris ſui, niſi cum ſacratiſſimo illius nomine abutuntur, ad blaſphemias, exſecrationes, &c. quod multi à teneris annis facere ſolent. At ſic Deus viciſſim tui meminerit acerbiſſimis plagis tè onerando.

Qui autem cupis vt Deus in bonum meminerit tui in die mala, tu non obliuiſcaris illius in die bona, ſcilicet in iuuentute tua, quæ ætas omnium maximè apta eſt ad ſeruiendum Deo.

Sequitur enim ratio.

II. Pars.

II. Pars.

Quare mox à iuuentute crebra instituenda meditatio creationis & omnium beneficiorum Dei? Additur hîc: antequam aduenïant dies mali. Non semper manebis iuuenis & in eo vigore, vt non sentias molestias, ægritudines aut alia mala. Die Jugend weiß vmb kein Creutz. At aduenient anni de quibus dices, Non placent. Triste senium multum abest à iucunda adolescentia. Senectus per se morbus, tantas tibi creabit molestias, vt tum non possis tam prompto animo recordari creatoris. Ideoque in tempore tibi thesaurum compara, qui non perit. Matthæi 6.

L. Longè errant qui putant tempus senectutis esse aptissimum Dei cultui: cum senex tum nihil aliud præstare possit, quàm vt vacet orationi, audiat conciones sacras, &c. Quia scilicet res huius seculi tum non cures amplius. Hinc flores iuuentutis Diabolo, feces senectutis Deo consecrandas putant adolescentes nonnulli. Magna hæc est ingratitudo, nolle Deum colere, dum es adhuc corpore valenti, ingenio acuto & in ætate florente: sed tum demum Deo velle seruire, vbi omnes penè sensus deficiunt.

Simile. Si quis toto tempore iuuentutis seruiat hosti, & in decrepita senectute demum operam suam offerat suo Domino, numquid reiicietur cum indignatione? Tu ergò qui in iuuenili ætate seruiisti Diabolo, tuam operam in senectute offeres Deo Creatori? Ideoque monet Sapiens Syr. 18. Non differas vitæ emendationem vsque ad horam mortis. Sic enim afflictio senectutis animum occupabit, vt rebus sacris ægrè possit vacare. Summa, Non placebunt anni illi.

Huc iam refer quæ supra Classe II. in Dispositione huius Thematis annotata sunt, ad locum communem primum.

FINIS.

THEMA VIII. CLASSIS IV.

Hiob. 14. verſ. 1. & 2.

Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur, & abſcinditur, & fugit velut vmbra, & non ſtat.

DISPOSITIO.

Eccleſ. 7. dicitur, Melius eſt ire in domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum, & viuens homo reuocat ad animum. Voluit autem breui & inſigni hoc dicto Hiobus omnibus viuentib. ad animum reuocare, non finem tantum hominis (de quo ſæpius cogitare perquam eſt neceſſarium, ideoque etiam à Hiobo duabus appoſitiſſimis ſimilitudinibus depingitur:) ſed & quæ finem antecedunt, quorum recordatio quoque magnam affert viuenti vtilitatem, breuiter ob oculos poſuit. Nos itaque videamus 1. quomodo Hiobus de ortu, 2. De vitæ curriculo, 3. & fine hominis verba faciat.

I. *Pars.*

De ortu & natiuitate hominis ſonant verba: Homo natus de muliere. Huc etiam pertinent ſequentia: quod dicit, ſicut flos oritur, vel egreditur. Verba ſunt omnia tincta ſenſu. Quare enim non ſimpliciter dicit, Homo, ſed addit, natus de muliere? Scilicet vt admoneat nos, quod ſimus in vtero materno concepti in peccatis, Pſal. 51. verſ. 7. Et quod nobiſcum etiam naſcatur peccatum. Cum mulier, quæ nos peperit, ab Eua prima muliere peccatrice ſit infecta.

Sed quid ſibi volunt verba, ſicut flos egreditur? Infans recens natus eſt quidem aſpectu iucundus atque parentibus gratus: attamen tenellus & magna cura atq; ſolicitudine educandus. Sicut flos affert iucunditatem, interim tamen tenerè tractandus eſt, alioquin facilè marceſcit. Ein Kindlein iſt ein holdſelig / aber ein zartes ding / das

will

will pflag vnd schonung vnd gute wart haben/ soll es bleiben.

L. I. Non frustrà scriptura sæpè hortatur,vt meminerimus ortus & natiuitatis nostræ. Quis sis, quis fueris, quis eris, semper mediteris, dixerunt veteres. Omnes ex massa peccatrice sumus progeniti. Et quam primùm audimus nominari mulierem,statim in memoriam reuocemus peccatum. Quia initium peccati est à muliere, Syr. 25. 1.Tim.2. Hinc figmentum cordis humani malum ab adolescentia,Genes.8.

Ad humilitatem hæc facient diligentius pensitata. Quid enim superbiet puluis & cinis, Syr.10.v.9.

Et potest de hoc nos monere ipsa nostra educatio,cum tenellum infantem tanquam flosculum curare cogitur mater,ne mox marcescat. Quod si absq; peccato nati essemus, tanta cura & solicitudine non opus fuisset, sed mox ipsi recens nati potuissemus erecto corpore ingredi, & victum quærere cum voluptate. Sicut videmus hoc fieri ab animantibus cæteris, quibus infeliciores (hac in parte) sunt infantes, propter peccatum.

Peccatum itaque,quod nos in tãtas coniecit miserias, fugere & detestari discamus. Et non regnet. Rom.6. Sub te sit appetitus,Genes.4.v.7. Spiritu facta carnis mortificanda,Rom.8.v.13. Gal.5.v.16.

II. Pars.

Ortum hominis intelleximus esse miserum. Sed forsitan progressus & vitæ curriculum meliora sunt. Nihil sanè. Hîc enim duo desiderat Hiobus.

1. Inquit,homo breui viuit tempore. Si enim maximè viuat homo 70. 80. aut centum annis, quod tamen paucissimis contigit, nihil est hoc si conferatur ad æternitatem,Syr.18.v.8.

2. Quod si tamen vita breuis esset plena læticiæ & iucunditatis,esset id tolerabile: at Hiobus addit, repletur multis miseriis. Planè eodem sensu quo Psalm. 90.

Labor & dolor. Et hoc nobis latius explicat Syr. 40. Occupatio magna,&c. Sed quid opus ista referre?Res loquitur. Verbis non opus.

L. I. Vitæ breuitas(quam multi deplorarunt pii, & in his Iacobus,Gen. 47.) monet nos, vt tempus breue benè collocemus. Ita viuendum hìc,vt ibi etiam detur viuere. Redimentes tempus, quod breue & durum simul est Ephes. 5. v. 16. Sic autem rectè viuitur,vbi perpetua est meditatio legis diuinæ. Psalm. 1.& vbi Christo viuitur.2. Corinth.5.v.15.Galat.2.v.20.Rom.6.v.11.

L. II. Vitæ huius miseria in nobis excitet desiderium alterius vitæ. 2. Corint. 5. v. 2. Quia verè hæc non est vita, sed vitalis mors, aut mortalis vita, sicut habet Augustinus. Hinc cupio dissolui, & esse cum Christo, vbi melius est viuere. Phil. 1. Illic est bonum esse, Mat. 17.v.4.hîc vero non. Ibi nullus dolor. Apocal.21.v.4.

III. Pars.

Ortum & cursum huius vitæ excipit mors, quæ nos hinc euocat plerumq; citius opinione nostra. Hanc rem duabus similitudinibus illustrat. Sicut flos, qui manè iucundissimus erat, si abscindatur vna hora marcescit, & ad vesperam planè exarescit: ita homo facili momento concidit.

Et sicut vmbra mox euanescit sole nubibus tecto, ita qui videbatur multo tempore victurus,vno quasi momẽto disparet. Sicut vmbra videtur aliquid esse,cum tamen nihil sit: ita homo nihil (Psalm.39. &144) est vmbra euanescens.

L. Quamuis viuendi tam citò finis adest, omnes tamen ferè sibiipsis promittunt longiorem huius lucis vsuram. Et accidit illis plerumque quod fatetur de se Hiskias Esa.38.vers.10.Ætate mihi præcisa, quærebam residuum annorum meorum. Ich gedacht noch länger zu leben/ vnd es war schon feyerabendt. Sæpius itaque meditandæ hæ similitudines, de floribus marcescentibus, de vmbra

vmbra, &c. Vide plurimas ad finem Classis VI. Manual. pag. 510. & seq. annotatas.

Vsum huius meditationis ostendit Sapiens Syr. 7. v. 40. Memorare nouissima, & non peccabis. Hinc Christus, Paulus, Petrus, Vigilate, orate, nescitis horam, Matth. 24. 25. Marc. 13. 1. Corinth. 16. Eph. 6. Col. 4. 1. Thessal. 5. 1. Petri 4. & 5.

FINIS.

THEMA IX. CLASSIS IV.

Esa. 56. in fine.

Iustus perit, & non est qui recogitet, &c.

Dispositio huius Thematis suprà habetur in Classe prima, numero XXII. Breuitatis studio illuc remitto lectorē.

THEMA X. CLASSIS IV.

Esa. 26. vers. 20.

Vade populus meus intra cubilia tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.

DISPOSITIO.

Desumptus est hic locus ex hymno illo, & egregio carmine, quod composuit Esaias ad consolationē piorum, qui in Ecclesia militante laborant: Solatur autem eos, qui persequutionem passi sunt à Tyrannis, quod Dominus in aduentu nouissimo egressurus de loco, & visitaturus sit iniquitatem habitantium in terra: quæ etiam reuelatura sit sanguinem iniustè occisorum. Interim iubet illos ingredi sua cubicula, & abscondi modicum, vsque dum indignatio pertranseat.

Pertinent autem hæc verba ad omnes pios. Nam quicunq; piè viuere volunt, persecutionem patientur à malis in hoc mundo, 2. Tim. 3.

Ideoque

Ideoque hæc verba ad institutum nostrum accommodabimus, in deductione præsentis funeris.

Primum autem dicemus quid intelligatur per hæc cubicula, ad quæ ablegantur pii.

Deinde, Quid in illis agant pii. **Oder warumb sie dahin gewiesen werden.**

Tertio. Quamdiu in illis sint detinendi.

I. Pars.

Vade populus meus intra cubicula tua, ait Propheta, Quid intelligat per cubicula, rectissimè explicare poterit ipse Propheta, suorum verborum optimus interpres. At Esa. 56. in fine, ostenditur quod per cubicula intelligantur sepulchra. Quæ suis clauduntur ostiis, terra scilicet. Illuc ablegat suum populum. Vade inquit. **Sey gutwillig vnd beschwere dich dessen nicht.**

L. Non ita fœtere nobis debebant sepulchra, vt vel propter illa mortem horreamus. Sunt enim piis sancta *κοιμητήρια*, & cubilia. Christus enim sanctificauit illa, dum ipse sepeliri voluit. Ioan. 19. Sicut alioquin fessus & defatigatus suo cubili delectatur, in quo molliter cubat & requiescit. Ita & nos.

Notandum. Si vera esset opinio de Purgatorio, certè istud triste esset cubiculum. &c.

Recte etiam sepulchretum vocatur, Ager Dei, **der Gotts acker.** Quia 1. Corinth. 15. Paulo teste, in terram seminantur nostra corpora. Sicut autem semen in agrum proiectum bonam spem facit lucri colono: ita propter spem resurrectionis certissimam non defodi, non corrumpi aut computrescere dicitur, sed seminari. Et resurget cum fœnore atque in gloria. 1. Cor. 15. v. 42.

II. Pars.

At quis, inquis, prompto & alacri animo tam triste ingredietur cubiculum, in quo nihil sentit commodi? Imò verò inquit Propheta in his cubilibus absconduntur corpora sanctorum, donec pertranseat indignatio.

Idq;

Idq; nobis explicat cap. 56. A facie mali colligitur iuſtus, vt requieſcat in pace in cubili ſuo. Abſconduntur in terra ne ſentiant calamitates huius mundi, quas inducit Dominus propter malitiam hominum.

L. Et quis non lætus optet mori, ſi Deo ita videatur, cum ſecurus quieſcere poſſit in terra, ab omni malo immunis. Quieſcunt à laboribus. Apocalyp. 14. Ne videant oculi tui mala, dicitur Ioſiæ, 2. Paralip. 34. verſ. 28. Cum enim dies noſtri ſint dies mercenarii, & vita perpetua militia Iob. 7. quis non deſideret vmbram, quis non præſtoletur finem operis ſui? Ibid.

Inſani igitur ſunt delicatuli illi, qui tantoperè mortem exhorreſcunt, vt ne quidem vllam iſtius mentionem fieri velint. Rectius iudicarunt Simeon, Nunc dimittis Luc. 2. verſ. 29. & Paulus, cupio diſſolui. Phil. 1. verſ. 23.

III. Pars.

At inquis, hoc tamen moleſtum eſt, tam diu corpus ſeparatum ab anima ſub terra occultari; Reſpondet Eſaias, Exiguam hanc eſſe moram, vt vix momentum dici mereatur. Etenim licet nobis videatur longum tempus, tamen quia coram Deo mille anni ſunt ſicut dies vna, quæ præteriit, Pſalm. 90. v. 4. 2. Pet. 3. verſ. 8. ideoque hi, qui mille annis dormierunt in terra, vbi reſurrexerint, vix vnam ſe noctem ſuauiter quieuiſſe exiſtimabunt.

L. Non affligat nos iſtud, quod ſolet mortem reddere acerbiorem, dum opinamur grauem & moleſtam fore animæ atque corpori hanc tam diuturnam ſeparationem, cum fuerint in hac vita coniunctiſſima. Corpus enim in terra molliter cubans quieti eſt traditum, & poſt vnum aut alterum momentum, poſt vnam vigiliam nocturnam (Pſalm. 90.) iungendum eſt animæ. Cui non eſt hæc mora grauis, quia in manu Dei eſt, Sap. 3. Vbi nullum tormentum. Alias ſolidum non eſſet gaudium. Patienter itaque corporis & animæ diſſolutionem feras, quia mox iterum coniungentur. Reſurget corpus cum gaudio.

FINIS.

THE-

THEMA XI. CLASSIS IV.

Esa. 49. vers. 14. 15. 16.

Dixit Sion, Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Numquid obliuisci potest mulier infantem suum? vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.

DISPOSITIO.

Hic locus inter insigniores Scripturæ consolationes meritò numeratur. Solatur enim his verbis Deus Ecclesiam suam (quam nomine Sionis, vt aliàs sępius, appellat) quod illam nunquam sit derelicturus, quodq; non possit illius obliuisci, cum semper obuersetur ipsi ante oculos. Quia autem hæc tentatio, quæ toti Ecclesiæ communis est, singulorum etiam Ecclesiæ membrorum animos frequenter subit, non tantum in calamitatibus, sed omnium maximè in terroribus mortis, vbi sibi imaginantur, quod sint derelicti à Deo, & quod Deus sit oblitus ipsorum (Psal. 13. v. 2.) ideoq; hæc etiam consolatio ad singulos pertinet.

Nos itaq; primum verba textus excutiemus: Deinde consolationem & doctrinam ex hoc loco petendam subiiciemus.

Paraphrasis textus.

Dixerat Dominus in præcedentibus verbis huius Capitis, Laudate cœli, exulta terra, iubilate montes laudem. Quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur. Hæc sanè est splendida & magnifica Dei promissio, de liberatione Ecclesiæ.

At videtur planè contrarium euenire Ecclesiæ in his terris. Illa enim dum expectat liberationem, sentit oppressionem, & omnis generis calamitates. Ideoque hîc præ-

præuenit & anteuertit cogitationes piorum Ecclesiæ membrorum: & hoc vult dicere, Scio, quod cum tam splendidas audis promissiones, tu tamen longè aliud statuas, & contrarium verum esse putes: ideò queritâtis, Deus promisit quidem auxilium & liberationem. At is iam oblitus est nostri. Dereliquit nos, & prædam sinit fieri hostibus &c.

At his tentationibus Dominus iam opponit suauissimam consolationem, atque similitudine iucunda vult persuadere Ecclesiæ, vt certò statuat, Deum non posse ipsi deesse.

Sic autem interrogat Dominus: Numquid potest mulier obliuisci infantem suum? Minimè. Est enim sexus muliebris naturâ ad misericordiam pronus, præsertim si respiciat suum infantem. Et mater tam tenerè illum amat, vt siue domi siue foris sit, semper de infante suo cogitet.

Quod si æger sit, aut aliquid mali experiatur, numquid non miserebitur eius? Imò tum maximè pro illius salute est mater solicita, vt mori malit, quàm illum deserere, aut ab illo recedere.

Quod si verò mater mentis duritia iura naturæ vincat, & infantis nullam agat curam, sed ipsi vim faciat (sicut fecisse legitur mulier illa 2. Reg. 6. & illæ de quibus Thren. 4. vers. 10) tamen ego non obliuiscar tui. Cum enim Deus indiderit mulieri hanc στοργὴν, necesse est vt ipsa στοργὴ in creatore sit maior. De quo sanè Iohannes testatur, quod sit ipsa charitas. 1. Ioan. 4. Nec est hic affectus mutabilis in Deo, sicut in homine. Quomodo igitur non semper misericordiam meam ostendam tibi.

Et quî possim obliuisci tui, ô Ecclesia? Cum in manibus meis descripserim te. Sicut quis memoriæ aut recordationis causa, in manu gestat annulum duplicatum & pensilem, aut schedulam digitis circumuoluit, aut digitorum vnguibus inscribit, cuius perpetuò vult meminisse: ita manibus meis inscripsi te. &c.

CON-

CONSOLATIO.

Peti poteſt ex hoc loco maxima cõſolatio, pro tentatis conſcientiis, qui metuunt ne deſerantur a Deo in magnis afflictionibus, præſertim verò cum horrores mortis confertim obruunt animum. De quibus Dauid Pſalm. 18. verſ. 5. Ibi tum videtur Deus receſſiſſe, ſtare a longè & oblitus eſſe noſtri: de quibus vide Pſal. 10.13.22.v.1. & 31.v. 23. Imò mutatus in crudelem. Hiob.30.v.21. Et viam noſtram concluſiſſe lapidibus quadris, Thre.3.v.9.

Hîc, hîc ſolidis conſolationibus opus eſt, qualis eſt hęc, de pluſquam materno affectu Dei erga nos. Quem etiam exprimit Ier.31.v.20. Conturbata iunt viſcera mea miſericordia ſuper illum, vt mitereri cogar. Mein hertz bricht mir gegen jhme. Nec poteſt Deus deſerere ſuos. Huc pertinent dicta, Eſa. 41.v 10. & v.14. Eſa.43.v.1 & 5. Eſa.46. v.4. & Eſa.54.v.7. Ier.31.v.25. Thren. 3.v.22.& 23.& 31.32.33,

Nec poteſt obliuiſci eorum, quos in manibus geſtat ſicut annulum ſiguatorium, ſicut de Selathiele habetur, Hag.2. v. 24.

Vſum huius loci & ſimilium experientur tentati. Non tentatus enim quid ſcit. Syr. 34. v. 10. Et ſi maximè videatur ratio noſtra planè contrarium dictare: tamen verbo Diuino inſiſtendum eſt, & ſciendum, quod Deus mentiri neſciat. Num.23. Tit. 1. Hebr. 6.

Cogitet etiam tentatus, ſe non ſolum hæc Satanæ ignita tela experiri, ſed eandem totius Eccleſiæ iam ab antiquis temporibus eſſe querelam. Et tamen Deum non mutaſſe animum. Intrepidus igitur in media mortis vmbra dicere poteſt, Tu mecum es. Pſal.23.v.4. Dum modo te habeam Pſalm.73. verſ. 25. Si Deus pro nobis. Rom.8.

DOCTRINA.

Poteſt etiam hîc explicari στοργὴ materna, quam Deus indidit, & natura docet.

Et hinc admonendi liberi, vt grato animo agnoſcant, atque par pari referant. Sed amor deſcendit non aſcendit, quod proh dolor teſtatur experientia.

Repre-

Reprehendendæ etiam matres, quæ vel ex ignauia, vel ἀστοργίᾳ præternaturali negligunt infantes, vel ſanos, vel ægros, &c.

FINIS.

THEMA XII. CLASSIS IV.

2.Reg.22. Et 2.Paralip.34.

Colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum.

DISPOSITIO.

Inter omnes Reges Iuda maximè commendatur nobis Ioſias, 2.Reg. 23.v.25. quod pietatis ratione non habuerit parem. Is rex creatur adhuc 8.annorum puer, & tum cœpit quærere Dominum, 2.Paralip.34. Tametſi autem triginta & vno annis regnarit, tamen in flore ætatis moritur, anno ſcilicet trigeſimo nono, vir immortalitate digniſſimus. Cuius mortem ſequutæ ſunt horrendæ calamitates, & tandem exilium Babylonicum.

Quia verò hæc nobis videtur res indigniſſima, & iniquiſſima, quando Deus piiſſimos interdum in flore ætatis abripit, ideoque Dominus hoc loco cauſam oſtendit, quare id fiat. Prædicitur enim à Prophetiſſa Hulda, Deo ita mandante, 1. mors pii Regis Ioſiæ, cum nondum egreſſus eſſet annum ætatis vigeſimum ſextum.

Deinde cauſa prematuræ mortis apertè oſtenditur. De his dicemus breuiter.

I. Pars.

Miſerat Rex legatos & ſeruos ſuos ad Huldam Prophetiſſam, quæ viuebat Hieroſolymis, vt illa interrogaret Dominum pro Rege & reliquiis Iuda. Illa ex inſtinctu ſpiritus Regi pollicetur gratiam Dei, & inter cætera hanc etiam ſpecialem promiſſionem addit de morte Regis. Non autem ſimpliciter dicitur Ioſiæ, Morieris.

1. Et non viues, ſicut Eſa. 38. verſ. 1. ſed blandioribus hîc Deus vtitur verbis: Ego colligam te ad patres tuos.

Eſt hæc phraſis ſcripturæ vſitata, quando de placida piorum morte vult loqui. Sic de Moſe & Aarone dicitur. Num. 20. & 27.

2. Additur & hoc, quod declarat præcedentia, Colligeris in ſepulchrum. Et quidem in tuum ſepulchrum: Vt ſepeliaris cum Regibus, piiſſimis maioribus tuis, Dauide, Aſa, Ioſaphato, & ſatis honorifice, ſicut & factum eſt. At id non omnibus Regibus Iuda, & ne filiis quidem ipſius contigit, vt patet ex 2. Paral. 21. v. 20. & 24. verſ. 25. & 26. v. 23 Et Ieremiæ 22. Ioiakimo aſini ſepulturam minatur Dominus.

3. Tertiò etiam hoc additur, In ſepulchrum tuum colligeris in pace. Hoc non videtur fuiſſe impletum; quia mortuus eſt Ioſias ex lethali vulnere, in prælio ſagitta Ægyptiorum præcuſſus. At ſciendum, quod hîc intelligat Dominus, tranquillum Reipublicæ ſtatum in regno Iuda futurum tempore Ioſiæ, nec vaſtandum ipſius regnum ante obitum Regis. Quamuis igitur Rex bello ſeſe non neceſſario implicans perierit, pax tamen fuit Iſraëli. Præterea ſpiritualis pax intelligi poteſt: pacem enim habuit Ioſias cum Deo, & in vera ipſius agnitione deceſſit, animam ſuam illi commendauit: Et caſum iſtum patienter tulit. Sic verum eſt & manet verbum Domini.

Locvs I. De phraſi ſcripturæ, vbi mortui dicuntur colligi ad patres, vel colligi in ſepulchrum, vide in Claſ. 1. Diſpoſition. Thematis 1. parte 1.

II. De ſepultura honorifica, Vide Claſs. 1. Diſpoſit. Themat. VII. Parte II.

III. Quod Dominus multis annis ante mortem Ioſiæ hoc prædicit, videtur magis perturbare quàm exhilarare poſſe Regem? At Rogat Dauid Pſalm. 39. Domine doce me, &c. Et Pſal. 90. Doce nos numerum, &c. itaque gratum eſt hoc Ioſiæ, & propterea ſemper ambulat in timore Domini.

Nec

Nec habuit Iosias tam delicatas aures, vt non potuerit ferre vel leuissimam mortis mentionem, sicut non nulli ex nostris.

Quare autem Dominus non omnibus nunciat illud? Imò verò omnibus id constat. Constitutum est omnibus mori. Hebr. 9. Terra es. Gen. 3. Nec enim Iosiæ reuelatur annus, dies aut hora mortis, sed 13. annis post hanc concionem superuixit. Ideoq; semper vigilandum, orandum. Matth. 24. Marc. 13. Nescimus enim quando venturus est nostræ vitæ dies supremus.

Cum autem sciamus instare finem, de eo semper cogitemus. Syr. 7. vers. vlt. & parati simus, cum virginibus prudentibus. Matth. 25.

IV. Omnium maximum beneficium est, si Deus nobis det, vt moriamur in pace. Sic Simeon cupit dimitti in pace. Luc. 2. Intelligitur autem pax quæ est fructus spiritus. Gal. 5. Pax hæc Dei superat omnem intellectum. Phil. 4. v. 7. De hac Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus. Et sic in pace moritur etiam is, qui in prælio occumbit.

At non est pax impiis, Esa. 42. & 57. in fine, præsertim cum moriuntur. Cum horrore enim vitam finiunt Psal. 73. v. 19. & sciunt sibi restare perpetuum cum Diabolo bellum. Qui autem rectè ambulant Esa. 56. illi in pace obdormiunt, & super illos venit pax. Gal. 6. v. 16. Sic ergò viuendum, vt pacem habeas cum Deo & hominibus: Et sic etiam in pace quiescere poteris.

II. Pars.

At quare Iosiam, exemplum illud pietatis, non diutius patitur esse superstitem? Ne videant oculi illius mala, quæ cogitur Dominus inducere super Iuda & habitatores. Deum enim peccatis irritauerunt, vt salua iusticia non possit parcere. Et instat exilium Babylonicum. Ne igitur inuoluatur istis malis optimus Iosias, prius colligitur ad quietem, quam ista inducantur.

I. Non pugnat abbreuiatio vitæ cum promissione

diuina illa, de longæuitate facta piis. De qua etiam Prouerb.3.v.2. Et 9.v.11.

Vbi enim dies mali sunt, ibi non verè viuitur; ideoque tum ad alterius vitæ gaudia deducit Dominus pios.

Et vitam abbreuiat, non vt ægrè faciat, sed ne videant oculi mala, quæ inducturus est. Estq; maximum Dei beneficium, subtrahi malis. De quo etiam Esa. 26. & 56. Apocalyp. 14. Et Sapient. 4. Non itaque existimemus malè cum piis agi, qui præmatura morte pereunt. [De impiis alia est ratio: at de his nobis hîc non est sermo.]

Verum superstites hoc perpendant, quod mortuo Iosia instet captiuitas Babylonica & omnia mala. Ablatis enim piis, diruitur maceria [Ezech. 13. vers. 5. & 22. vers. 30.] impediens iram Dei. Vide de hoc supra Classe 1. In Disposit. Themat. 9. part. III. & Them. 20.

FINIS.

THEMA XIII. CLASSIS IV.

Sapient. 4. ab initio cap. ad v. 15.

Iustus si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit. Senectus enim. &c. vsque ad verba, Populi autem videntes.

NOTANDVM.

Placuit hoc loco non meam, sed charissimi parentis mei, D.D. Wilhelmi Bidembachii p. m. explicationem præsentis textus subiungere, quam etiam lectori non ingratam fore spero.

Estque hæc illius, à me aliquantulum restituta.

DISPOSITIO.

Mors est via omnis carnis. Ios. 23. 1. Reg. 2. Hinc moriuntur senes, adulti, & iuuenes quoque. Quando autem iuuenes moriuntur, iudicatur illorum mors esse immatura. Ibi ratio humana varias quærit causas, in positu astrorum, in complexione corporis, in victus ratione &c. At de Christianorum liberis expedita est ratio; cuius nos

nos præſens locus admonet. Loquitur enim de iuſtis, hoc eſt, fide iuſtificatis, & propter Chriſtum (qui eſt iuſticia noſtra Ierem. 22. 1. Cor. 1.) iuſtis. Occurrit autem Sapiens variis parentum, propinquorum & aliorum quorumuis cogitationibus: quæ ferè ſunt triplices. De his iam ordine dicemus, & quomodo ex præſenti loco poſſint conuelli demonſtrabimus.

I. *Pars.*

Primùm hoc torquet parentes aliosvè, quod defuncta perſona adhuc planè iuuenis ſit, adeoque præmaturam eſſe mortem opinantur, & ad iuſtam prius illam debuiſſe peruenire ætatem, quam moreretur, putant.

1. Reſpondet Sapiens, coram Deo aliam eſſe rationem. Is conſtituit tempus naſcendi & moriendi. Eccleſiaſ. 3. Numerus menſium coram ipſo. Iob. 14. Omnes dies ſcripti in libro eius. Pſalm. 139. Imò capilli capitis numerati. Matt. 10. Ergo etiam vita illius. Coram Deo itaque ſatis eſt ſenex quicunque moritur.

2. Deinde etiam reſpectu hominum non moriuntur immaturè. Quia peccatores. Quacunque die comederis &c. morte morieris, dictum eſt Adamo. Gen. 3. Itaque mirum non eſſet, ſi maximè omnes infantes in vtero morerentur. Quacunque igitur hora moriatur homo, iam tempus ſuum compleuit. Wir ſind alle tag alt genug zum ſterben. Quia omnibus conſtitutum eſt mori. Hebr. 9. Antiquum hoc eſt fœdus, morte morieris. Syr. 14. Et melior eſt dies mortis die Natiuitatis. Eccleſ. 7.

Quia omnes dies vitæ pauci & mali. Geneſ 47. Labor & dolor. Pſalm. 90.

3. Præterea Chriſtiani annos ſubducere debent non ſecundum ætatem, ſed ſecundum pietatem. Paulus vult nos eſſe pueros non ſenſibus ſed malitia. 1. Cor. 14. Ideoque qui didicit pietatem, & qui tenet ſuum Catechiſmum ſenex eſt, & iuſtus coram Deo propter Chriſtum.

Sicut fratres illi 2. Mach. 7. licet iuuenes, tamen pie-

tatis & constantiæ ratione satis erant senes. Talis itaque senectus est laudabilis, quæ pietatem, non quæ canos habet. Cani enim puerorum in animis non in capite nascuntur. Hos canos requirit Sapiens. Et de his dicit, quod expleuerint tempora multa. Quia tempus iuuentæ benè collocarunt.

Et hi placent Deo, hi sunt filij dilecti, cuiuscunq; sint ætatis. Et quod citò aufert, causa est, quod tam charos illos habet, & secum viuere vult, non cum peccatoribus.

Terminus itaque ætatis metiendus secundum pietatem. Vocat enim Propheta hos, qui centum annos habent, pueros, Esa. 65. Illi nunquam in pietate canescunt.

II. Pars.

Alia cogitatio hominum talis est; Potuisset vtiq; persona defuncta in pietate & obedientia erga parentes indies magis magisq; proficere, exhilarare genitores & totam familiam, atq; tandem etiam Ecclesiæ aut Reipublicæ vtilis esse.

Sed audi tu Sapientem. Ostendit is, potuisse facilius illum defunctum fieri deteriorem. Mundus indies fit peior. Et quotidiè oramus, Libera nos à malo. Mala sunt tempora nostra, Eph. 5.

Afferimus peccatum in mundum. Illud quotidiè crescit. Nam habemus intra nos malum originis. Deinde obiecta mouent sensus. Mundus plenus est scandalis. In mundo concupiscentia carnis, oculorum & fastus vitæ, 1. Ioan. 2. In maligno mundus positus, 1. Ioan. 5. Ideoq; hîc de prauis concupiscentiis & illecebris mundi, atq; malis exemplis loquitur. Potuisset malitia peruertere intellectum. Etenim mala radix semper pullulat. Non est tutum ambulare inter spinas. In mundo vbique sunt spinæ malorum. Wir gehn auff lauter dreyspitzigen Zacken / die behangen. Qui picem tangit, inquinatur, Syr. 13. In sole fis niger. Et similis simili gaudet. Corrumpunt bonos mores colloquia praua, 1. Cor. 15. Festinat itaq; Deus, & mox

mox euocat suos, ne corrumpantur. **Er wil sie nicht lang in diesem Dienst lassen/da sie nichts guts lernen.**

III. Pars.

Tandem cogitant etiam parentes aut alij, propterea iniquè agi cum his qui præmatura morte obierunt, quod illi adhuc nullam in hoc mundo experti sint voluptatem, nec gaudij fuerunt participes. **Sie hätten noch viel gut Leben auff Erden haben können.**

At quæ illa bona vita in his terris? Malam vitam Sapiens vocat. Bonam ignorat. Infantes vagitu incipiunt vitam, Sap. 7. Vallis lachrymarum, Psal. 84. Et vide Syr. 41. Hìc paupertas, morbi, solicitudo, ignominia, &c. expectant adultum. Malitia est vita hominis, dies mercenarij, Iob 7. At illic requies, teste Sapiente hoc loco. Illic gaudium perfectum, Psal. 16. in fine. Melior itaque dies requiei quam laboris, melior dies reditus in patriam quam peregrinationis, melior dies pacis quàm belli. Gentes dixerunt, optimum esse non nasci: (sed hoc malè dicitur. Quia bonum est, impleri cœlum. Et hæc ordinatio Dei bona vt nascantur homines) vel citò mori. Hoc rectè dictum est: Beati enim qui in Domino moriuntur, Apoc. 14.

Quantò enim diutius viuitur, tantò grauior reddenda ratio. Et infans minus quam virgo: Virgo minus quam coniugata. Hæc enim de se, de marito, de liberis & tota familia rationem reddere tenetur.

Ideoque compescenda ratio humana, & consilium Dei optimum non vituperandum, nec quicquam illi præscribendum. At imprudentes non intelligunt, nec ad animum reuocant hæc Dei consilia. Nemo recogitat, Esa. 56. Pii verò ex sacris admoniti de his cogitent. Non murmurent, sed dicant potius: Sicut Domino placuit, ita factum est. Dominus dedit. Et sit nomen illius benedictum, Iob 1.

FINIS.

THEMA XIII. CLASSIS IV.

DISPOSITIO ALIA.

Si quis aliam huius loci Diſpoſitionem requirat, poterit illa etiam eſſe talis, quam breuiter exhibeo, cum pleraq; ex ſuperioribus huc poſſint referri.

TEXTVS Sap. 4. ab initio, vt ſuprà.

In Adamo omnibus hominibus dictum eſt, terra es & in terram reuerteris. Ideoq; nulla eſt inter homines mortales differentia, niſi quod alius ſerius, alius citius moritur. Et ſenibus quidem videtur mors non facere iniuriam: ſicut noſtrates prouerbio dicere ſolent. Es iſt jhme nicht vmb viel Jahr vnrecht geſchehen. At cum iunioribus iniquè agi iudicat mundus, ſi citò abripiantur. Cauſa huius peruerſi iudicij hæc eſt, quod nec ætatem iuſtè metiri, nec Dei conſilia intelligere didicimus, ex hoc loco Sapientis. Videamus itaque primum, quæ ſit iuſta hominis ætas: vel quando ad ſenectutem perueniat. Wann einer alt gnug ſey.

Secundò cauſas audiamus, quare Deus interdum iuniores maturius ex his terris auocet.

I. *Pars.*

Quomodo terminum ætatis metiri debeamus, oſtendit Sapiens, ſcilicet non annis, ſed pietate. Sapientia quæ in vita inculpata conſiſtit, vera eſt ſenectus. Timor autem Domini & pietas initium ſapientiæ ſunt. Huc referenda ſunt quæ ſupra in Diſpoſitione parentis parte 1. numero 3. ſunt annotata.

VSVS addatur. Non accuſandus Deus, quod ante tempus & immaturè abripiat. Is enim rectius nouit tempus quàm nos.

II. *Pars.*

Cauſas enumerat iam Sapiens, quare iuniores etiam abripiantur per mortem.

1. Ne

1. Ne cum tempore addiſcant impietatem. Tempora enim mala. Mundus plenus ſcandalis. Iuuentus facilè corrumpitur propter iudicij imbecillitatem. Feſtinanter itaque Deus abripit. Huc refer quædam ex Diſpoſit. ſuperioris parte ſecunda.

2. Quia placent Deo pij (de iuſtis enim loquitur, hoc eſt, vel de iuſtificatis fide, Rom. 5. vel propter Chriſtum iuſtis, 1. Cor. 1. quod idem eſt) ideoque non vult illos diu torqueri in hoc mundo: ſed ad quietem deducit. Ab iniquis & peccatoribus (teſte Sapiente) ſeparat, & cum ſanctis Angelis atque electis coniungit.

Feſtinat ex hac vita mala, vt ingrediantur vitam bonam & beatam. Huc referri poſſunt quædam ex parte tertia ſup. Diſpoſ.

VSVS. Non exiſtimandum malè agi cum his, qui in adoleſcentia vel infantia moriuntur: quia ex valle lachrymarum euocati ſunt ad cœleſtia gaudia.

Non eſt ſignum irati Dei mors talium (noſtra opinione) immatura: ſed Dei propitii. Placet anima illorum Deo, itaq; ad ſe trahit, vt viuant cum ipſo, non cum peccatoribus, &c.

FINIS.

THEMA XIV. CLASSIS IV.

Hiſtoriæ de filia Iairi Pars I.

Ex Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8.

NOTANDVM.

Hiſtoria elegans de filia Iairi, cum paulò prolixior atque à tribus Euangeliſtis ſingulari diligentia deſcripta ſit, quatuor concionibus poterit tractari.

Vt autem rectius iſta cohæreant, nos in diſponendis huius hiſtoriæ partibus non ordinem Thematum, ſicut illa (iuxta numerum Euangeliſtarum) Manuali inſerta ſunt, ſed ſeriem ipſius hiſtoriæ obſeruabimus. De quo lecto-

ctorem propterea amicè monere voluimus, ne quid ex numero Thematum subtractum, aut omissum opinetur.

Textvs I. Partis.

Legatur ex Luc. 8. v. 40.

Ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipse Princeps Synagogæ erat, acceditq; ad pedes Iesu, rogans eum vt intraret in domum suam, quoniam vnica erat ei filia ferè duodecim annorum, & hæc agebat animam.

DISPOSITIO.

Ioan. 7. dicunt Pharisæi, num quis ex Principibus credit in Christum? At præsens historia docet Christum in omni' hominum genere habere suos fideles & Discipulos. Habet enim varios modos, quibus ad se potest allicere homines, vel beneficiis vel calamitatibus. Et sane Iairus forsitan ad Christum non venisset, si non ipsum domestica calamitas impulisset. Describitur enim in hac historia quomodo is, dum vnica filia illius lethali morbo correpta iam animam ageret, Christi auxilium implorarit. Atque cum tres Euangelistæ accurata diligentia hanc historiam descripserint, secundo loco additur, Quomodo ipsi in itinere mors filiæ fuerit nunciata, & quomodo Christus ipsum vehementissimè consternatum erexerit. Tertiò subiungitur, quam Christus in domo Iairi de puellæ resuscitatione spem fecerit, asserens ipsam dormire, & quomodo a domesticis fuerit explosus Tandem historia de Resuscitatione filiæ cum omnibus circumstantiis describitur.

Nos singulas partes singulis concionibus separatim tractabimus. Et nunc quidem 1. historiæ partem explicabimus. Quæ continet 1. historiam de ægritudine filiolæ Iairi, 2. De cura & solicitudine parentis.

I. Pars.

Est Iairo filia duodecim annorum. Atque tenerrimè ada-

adamata, quia vnica filia. Illa incidit in morbum acutum & grauissimum. Neque dubium, omnis generis remedia fuisse adhibita, nihilq; omissum vel neglectum, quod ad recuperandam sanitatem videbatur facturum. At frustrà omnia adhibentur. Iam enim de vita illius conclamatum est: quia in extremo agone versatur.

1. L. Contra vim mortis non est medicamen in hortis. Et si Deus mori velit infantem, nulla vis nec herbæ nec cataplasmatis. Sap.16.v.12.

Hæc non dicuntur ideò, vt negligantur legitima remedia, quibus nos vti iubet Sapiens. Syr.38. v. 12. Sed ne illis nimium tribuamus, aut in illis confidamus, quod Asa fecisse legitur, 2.Paral. 16.

2. Præterea hæc dicuntur, ne parentes sua cura & solicitudine infantes suos tenellos & quos impensè diligunt (præsertim si vnicus sit ipsis hæres) conentur præseruare à morte. Cum vita illorum non in parentum sed in Dei manu sit. Sap. 16.v.13. Debent quidem parentes facere officium, & liberorum curam agere: at cætera Deo sunt committenda.

3. Insuper notabunt parentes, quibus vnicus filius vel filiola vnica est, ne sic illos diligant, vt non credant illos esse mortales: & ne nimium illis indulgeant. Sunt enim qui Deo bellum indicere auderent, & iniquitatis ipsum accusare non erubescerent, si vnicam filiam illis eriperet. Causa impatientiæ huius hæc est, quod non antè cogitarunt mortales ex se genitos liberos.

Nec intelligunt Dei hæc esse dona, non perpetua, sed ad tempus mutuò data, & à Deo iure repeti, vbi & quandocunque placuerit. Agnoscit hoc Hiob, Deus dedit, Deus abstulit.

Quod si intelligat Deus illos nimis tenerè diligi, vt metus sit, ne indulgentia parentum ad impietatem abutantur, ideoque plerumq; illos abripit, immatura (ut putatur) morte, ne malitia peruertat intellectum. Sap. 4. De hoc non debebant multum conqueri & dolere parentes,

tes, sed potius gratias agere Deo, quod animulas illas pias præseruare vult, non tantum ab omnibus calamitatibus huius mundi, sed etiam ab æterna damnatione: Ne cogantur aliquando cum Dauide exclamare, ô fili, quis det mihi vt pro te moriar. 2. Sam.18.

II. Pars.

Iairus solicitus pater, cum iam de vita filiolæ desperasset, accurrit ad Christum. Rectè quidem hoc quod Christi auxilium implorat. At infirmitas magna apparet, quod non nisi rebus desperatis ad Christum properat. Deinde etiam quod modum illi præscribit, Veni & intra domum meam, & impone illi manum. Mar.5.vt conualescat. Nondum enim didicit, Christum etiam absentem posse iuuare: quod centurio Capernaiticus agnoscit. Matth.8.

L. I. Videmus quanta sit vtilitas crucis apud bonos, exemplo Iairi. Impellit enim ipsos ad CHRISTVM.

Prauum est alioquin cor hominis Ierem. 17. At dum in angustiis sunt clamant anxiè Esa.26.

Hos. 6. Venient tribulati & dicent, Venite ad Dominum qui percussit & sanabit nos.

Hinc Dauid Psal. 119. Bonum est mihi quod humiliasti me, vt discam, &c.

Ideoque non iniquo animo feramus crucem & calamitates à Deo immissas. Scimus enim nobis hæc profutura, cum omnia in bonum cooperentur diligentibus Deum. Rom. 8.

L. II. Iairus exemplum est ingenij humani, dum vult præscribere Christo modum, Veni, impone manus, &c. Nisi id facias, non sanabitur.

Eadem est sententia Reguli. Ioan. 4. Sic etiam Nahaman vult prescribere Prophetæ modum. 2. Reg.4. At hæc sunt infirmitatis argumenta. Nihil ipsi præscribendum. Rectè leprosus, Domine si vis potes. Mar. 1. vers.40. Ideo iussi sumus orare, Fiat tua voluntas. Ipse faciet. Psal.37.

Scien-

Sciendum in Deo esse omnem sapientiam, vt sciat quid fieri debeat. Et stultitia Dei sapientior. 1. Cor. 1.

L. III. Docere debet hic locus, quis Medicus in omni genere morbi quærendus, ante omnes alios, Christus Dei filius. Is sc. qui omnipotens, ad quem accurrere possumus piis precibus. Is verus Medicus. Exod. 15. v. 26. Et Magister ad iuuandum. Esa. 63. Deindè verò media adhibenda legitima. Vide Syr. 38. Iac. 5.

L. IV. Parentes pij non negligant valetudinem liberorum, sed faciant officium. Contra parentes quosdam ἀστόργους. Præsertim si proles copiosa sit.

FINIS.

THEMA XV. CLASSIS IV.

Historia de filia Iairi Pars II.

TEXTVS

Legatur ex Marc. 5. cap. v. 35. vel Luc. 8. v. 49.

Adhuc eo loquente, veniunt à Principe Synagogæ qui dicerent, Filia tua mortua est, quid vltra vexas Magistrum; Iesus autem protinus audito sermone, qui dicebatur, ait Principi Synagogæ, Ne metuas, tantummodo crede.

DISPOSITIO.

Reliquimus proximè filiolam Iairi in domo patris morti vicinam, & cum Iairo accurrimus ad Christum, vt is medicinam faceret ægrotanti. Nunc verò dum pater est in itinere, affertur nuncium de filiola, & quidem tale, quod parùm exhilarat parentem, quem vehementer consternatum omnes circumstantiæ docent.

Videamus igitur 1. Quale hoc nuncium fuerit, & quomodo pater illud acceperit.

2. Audiamus etiam Christum, quomodo is Iairum vehementer perturbatum soletur.

I. Pars.

I. Pars.

Dum Iairus pater, pro salute & vita filiolæ solicitus domo abest, quæsiturus Christum Medicum, filiola inter manus matris atq; astantium expirauit. Nec vlla illis spes vitæ superest. Neq; potest hic obitus puellæ dissimulari. Ideoq; mittuntur serui ad parentem, qui illi hoc denuncient. Atq; quod grauissimum est Iairo, seruus nuncians obitum filiæ, mox illi omnem spem resuscitationis præcidit. Quid vexas vltra Magistrum, quasi dicat, frustrà iam illius auxilium imploras, cum sit mortua. Potuisset forsitan sanare ægram: sed mortuam in vitam reuocare haud poterit Magister. Et hæc fidei imbecillitas non in seruo tantùm conspicitur, verum etiam in ipso Principe Iairo. Nam qui hactenus aliquam spem fouerat, fore vt impositione manus Christi filia restituatur: idem iam audita morte illius, omnem spem abiecit, & ita timet, ita trepidat ad sermonem serui, vt Christus hoc facilè animaduertens necesse habeat ipsi animum addere, &c.

Locvs I. Videmus etiam iuuenculis & adolescentibus interdum esse moriendum: & non his tantum, qui non curantur à parentibus, sed etiam illis, qui diliguntur tenerrimè: neque pauperibus tantùm & abiectis, sed etiam ditioribus, & Principum (erat enim Synagogæ Princeps Iairus) atque optimatum liberis. Nullius enim personam respicit mors, nec ætati nec conditioni parcit. Omnis caro fœnum, Esa. 40. Hæc ideò dicuntur, ne iuniores sibi spem vitæ longioris faciant, quod pleriq; solent: nec putent se pactum fecisse cum morte: sicut illi Esa. 28. vers. 15. Et repentinus sæpè illos obruit interitus: dum minus sunt parati, & nihil tale exspectarunt hactenus. Dicunt, Ich hab noch ein harten Kopff / ich stirb noch nicht. Der Wein schmeckt mir noch wohl. At nescis quid serus vesper vehat. Ante vesperam. Syr. 18. v. 26. Memento itaque Creatoris in iuuentute tua. Ecclesiast. 12. Iosias puer quærebat Dominum, 2. Paral. 34. Cogita te non esse ferreum, si maximè sis iuuenis. Flos agri. Psalm. 90.

Esa-

Esaiæ 40. Vnd man trägt eben so viel Kälberheut zu Marckt/ als Küeheut.

L. II. Nimium consternatur hîc bonus Iairus. Erat enim filia vnica, dilecta, tenella, &c. At mox rectius sentit. Bifariam alioquin peccatur à parentibus in his casibus. Alij planè non curant mortem liberorum, imò verò hanc vnicè optant, vt liberentur à multis curis, molestiis. Hi sunt ἄστοργοι. Nec placent Deo.

Alij nimium lugent liberos vita functos, & si possent, Deo bellum indicerent. Indignantur, murmurant, fremunt, nec admittere volunt consolationem. Medium tenuere beati. Iairus primum quidem valdè consternatur, sed acquiescit tamen verbis Christi & consolationem admittit. Dauid facit, quod decet pium parentem in tali casu, 2. Sam. 12. Neque enim debemus audire seruum dicentem, Quid vltrà vexas Magistrum? Periit, interiit, non viuet amplius infans tuus, &c. Hic nuncius est caro nostra, quæ conatur nobis omnem spem resurrectionis præcidere. At ego vadam ad illum, inquit Dauid, 2. Sam. 12. Et scio quod redemptor viuit, Iob. 19. Veniet hora, in qua audient vocem Magistri huius, & viuēt, Ioan. 5. v. 28. Terra dabit mortuos, & mare, Apocal. 20. Nihil igitur amissum, sed præmissum. Conueniemus iterum, & recipiemus quos charos habuimus.

II. Pars.

Animaduertit Christus Iairum ad nuncium tam triste valdè esse consternatum. Non aliter στοργὴ paterna ferebat. Ideoq; iubet illum esse bono animo. Ne timeas, inquit, tãtum crede. Vidisti ex miraculo in hæmorrhousa, quod dum mecum es in itinere accidit, quid ego possim. Si igitur credere posses, me omnipotentem esse, qui & ægros sanare, & mortuos vitæ restituere possit, certè de vita filiæ tuæ nihil esses solicitus.

L. Hæc consolatio, ne timeas, tantum crede, semper & in omnibus difficultatibus debebat sonare in auribus nostris.

nostris. Licet enim Christum visibiliter nobis ita loquentem hodie non audiamus, tamen eundem audimus in verbo suo nobis ita loquentem: Ne timeas vermis Iacob, ego tecum. Esa. 41. & 43. Ego non derelinquam vos. Iohan. 14. v. 18. Confidite, ego vici. Iohan. 16. Noli timere pusille grex. Luc. 12. Et sic Spiritus auxiliatur infirmitatibus nostris. Rom. 8. Cogita ergo, si Deus pro nobis. Rom. 8. & Psal. 73. vers. 25. Et tantum credamus, quod abundanter possit facere vltra quàm intelligimus. Eph. 3. v. 20. Magister ad iuuandum. Esa. 63. v. 2. Valet hæc consolatio in vita & in morte.

Nota. Quod prius moritur puella Iairi, quàm Christus iuuet, aut sanet, non frustra fit. Ex hac circumstantia posset etiam addi locus hic: Quod plerumque differatur auxilium diuinum tantisper, vt de omni humano auxilio prius desperetur: atque id propterea fieri vt illustrius fiat auxilium: Et vt in solo Deo collocemus spem nostram. 1. Cron. 20. v. 12. Iosaphat.

FINIS.

THEMA XVI. CLASSIS IV.

Historia de filia Iairi Pars III.

TEXTVS.

Luc. 8.

Et quum venisset in domum, non permisit intrare secum quenquam nisi Petrum & Iacobum & Iohannem, & patrem ac matrem puellæ. Flebant autem omnes & plangebant illam. At ille dixit, Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum scientes quod mortua esset.

DISPOSITIO.

Sumus adhuc cum Iairo in itinere vt Christum adducamus ad mortuam puellam, quam saluam fore ipso præsen-

præſente promiſit proximè. Et quia in propinquo ſunt ædes Iairi, ingrediamur cũ Chriſto, & videamus 1. quomodo multi ad deducendum funus confluant, atq; Chriſtum ſimul audiamus, quam ille de vita filiolæ defunctę parentibus atq; omnibus præſentibus ſpem faciat. 2. Videamus etiam quid præſentes de hac Chriſti ꝓmiſſione ſentiant.

I. *Pars.*

Inuenit Chriſtus in domo Iairi multos, qui ad deducendum funus illuc confluxerant.

Alij enim eiulabant, qui condolebant matri atq; patrī puellæ, & deflebant omnes domeſtici hunc immaturum obitum filiolæ vnicæ atque chariſſimæ.

Alij tibiis cantabant, Matth. 9. pro more gentis. Patet enim ex loco Matth. 11. Luc. 7. Cecinimus vobis lugubria, &c. quod mortuos cum tibiis deportauerint ad ſepulchrum, & quod in funeribus cantarint carmina lugubria: ſicut apud nos per pulſum campanarum inuitantur homines ad funus deducēdum, & cantatur ante & poſt concionem funebrem canticum de morte, &c. Dum igitur alij tibias inflant, alij plorant, magnus in domo excitatur tumultus & ſtrepitus, ſicut apertè dicitur Matth. 9. & Marc. 5. Exſpectatur tantum Parens Iairus, vt mox deducatur funus ipſo aduentante. Ibi tum Chriſtus omnes vult ſecedere, paucis tantum ibi relictis, de quibus proximè ſuo loco: Et iubet illos abſtinere ab eiulatu illo & cantu lugubri: Quid ploratis, quid tumultuamini? Quid veniſtis ad ſepeliendam iuuenculam? Nulla hîc funeris erit deductio hodiè. Quî ſic? Puella non eſt mortua, ſed dormit. Tametſi enim in oculis præſentium & ſpectatorum verè mortua fuerit, tamen in oculis Chriſti mors illius inſtar ſomni eſt, quia ipſi facilius fuit mortuam excitare, quam nobis dormientem è ſomno. Voluit autem Chriſtus triſtiſſimis puellæ parentibus hac voce ſpem facere de futura puellæ reſuſcitatione: Et fuit hæc in auribus parentum vox iucundiſſima.

Locus I. Docent qui hîc adsunt ad deducēdum funus puellæ, plorantes & deflentes illius obitum, debere nos flere cum flentibus & lugere cum lugentibus. Rom. 12. vers. 15. Et hoc pacto ostendimus nostram commiserationem. Magnum enim hoc affert solatium mœstis, si videant alios affici suis miseriis.

Non probantur Deo ἄστοργοι illi, qui planè omnem erga alios affectum exuerunt, nihil curantes quid de aliis fiat, dummodò ipsis benè sit. **Wann nur niemandt auß jhren Schuhen stirbt/ fragen sie nicht darnach.** Erant alioquin Iudæi populus duræ ceruicis, sed hac in parte multò fuerunt nostratibus quibusdam meliores. Videmus quomodo tota Ciuitas condoleat viduæ in Nain. Luc. 7. Multi solantur Martham & Mariam super obitu fratris Lazari perturbatas. Ioan. 11. v. 19. Ipse Christus flet ad sepulchrum Lazari, vers. 35. sicut & Iudæi plurimi. v. 33.

Locus II. Consolatione plenissimum est, quod mors piorum dicitur somnus. Et id quidem non hoc tantum loco sed & passim alibi. Deut. 31. vers. 16. 2. Sam. 7. v. 12. 1. Reg. 2. v. 10. & 11. v. 21. Ioan. 11. v. 11. Act. 7. v. 60. & 13. v. 36. 1. Cor. 11. v. 29. 1. Thess. 4. v. 13.

Sicut autem qui se cubitum confert, non turbatur, sed bono est animo, quia se suauiter dormiturum & suo tempore euigilaturum sperat: ita quoque non extimescenda mors piis, quia dormient in cubilibus. Esa. 26. & 56. & euigilabunt suo tempore. Quiescunt aliquantisper. Ap. 14.

Pueri, item ebrij & insani plerumque refugiunt somnium & quietem: ita impij, stulti & increduli horrent mortem.

II. Pars.

Audit turba, quæ ad deductionē funeris in domo Iairi conuenerat, Christum dicentem, Puella dormit. Ibi tum rident, & explodunt illum, qui stultè opinetur illam dormire, quam ipsi verè morientem & exhalantem animam viderint: & quod verè mortua mox terræ demandanda dor-

dormire dicatur, hoc ipsis planè videtur absurdum. Non enim intelligunt sermonem, nec institutum Christi, multò minus ipsum omnipotentem mortuos in vitam reuocare posse credunt.

L. Exemplum sunt hi irrisores ingenij humani, quod omnia Dei opera, quæ rationi videntur absurda, solet irridere. Licet enim non semper os rideat, cor tamen ridet sæpius. Sic Satelles ille regius ridet promissionem de vilitate annonæ, 2. Reg. 7. v. 2.

Sara ridet audiens vocem Angeli, Gen. 18. v. 12. quia absurdum videbatur illi & naturæ contrarium.

Securi etiam rident plerumq; comminationes Dei: sicut de generis Lothi dicitur, Gen. 19. v. 14. Ridiculum ipsis videbatur, &c.

In specie verò caro nostra plerumq; ridet articulum de Resurrectione mortuorũ. Sicut cor Marthæ (quantumuis flentis) ridet Christum promittentem Lazari resuscitationem, Ioan. 11. v. 24. At non irridetur Deus, Gal. 6. Captiua ducenda ratio, 2. Cor. 10. Potest enim abundanter facere vltrà quàm nos intelligimus, Eph. 3. v. 20. Non enim est impossibile apud Deum omne verbum, Luc. 1.

Idque testantur exempla, sicut præsens historia proximè docebit.

THEMA XVII. CLASSIS IV.

Historia de filia Iairi Pars IV.

TEXTUS.

Marci 5.

Ipse verò eiectis omnibus assumit patrem & matrem puellæ, & eos, qui cum ipso erant, & ingreditur eò, vbi puella erat iacens. Et apprehensa manu puellæ ait illi: Talitha Kumi, quod est, si quis interpretetur, Puella dico tibi, surge. Et confestim surrexit puella & ambulauit. Erat enim annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore

magno. Et præcepit illis vehementer, ne quisquam id sciret, & iussit vt daretur illi quod ederet.

DISPOSITIO.

Ingressi nuper cum Christo sumus domum Iairi, & audiuimus Christum dicentem quod dormiat filia ipsius defuncta: ideoque nihil dubitabimus quin ipso iubente sit euigilatura. Non enim faciemus idem quod tubicines, qui Christum deridebant, sed potius, quia spectatum admissi sumus, in hac historia accuratè Christi dicta factaque obseruabimus.

Primum itaque dicemus de his, quæ resuscitationem puellæ huius antecesserunt.

Deinde ipsam resuscitationem videbimus.

Tandem etiam ea, quæ hanc sunt consequuta, breuiter attingamus.

I. Pars.

Eiecisse legitur Christus turbam eiulantem & tibiis canentem, ex domo Iairi. Quare hoc? Quia indigni erant irrisores isti, qui tanti miraculi sint spectatores.

Assumit autem Christus secum in conclaue, vbi iacebat defuncta, ad spectandum tam insigne miraculum patrem & matrem puellæ: quibus hoc maximè erat cordi. Et sic vult pios parentes honorare, quod illi Christum omnipotentem credebant (licet primum non abfuerit omnis infirmitas) nec cum cæteris deridebant Christum. Deinde dicitur secum sumpsisse eos qui cum ipso venerant. Hi fuerunt, teste Luca, tres Apostoli, Petrus, Ioannes, Iacobus, vt scilicet testes essent huius miraculi. Cum in ore duorum aut trium testium consistat omne verum. Et fuerunt hi tres Christi actionibus grauissimis adhibiti: Viderunt gloriam illius in monte Thabor, & vicissim passiones illius in horto. Hi enim suo tempore singulari zelo præ aliis Christi facta erant deprædicaturi.

Præ-

Præter hos, referente Luca, neminem permisit intrare.

L. Caueant Christiani ne inueniantur in numero incredulorum & irrisorum. Sicut enim hoc loco illi indigni censentur, qui sint tanti miraculi spectatores, & propterea eiiciuntur ex domo Iairi: Ita olim eiicientur foras in tenebras exteriores, & à facie Christi abire cogentur, ne videant gloriam paratam credentibus.

Ibi tum ridebit etiam Dominus in interitu ipsorum. Prou. 1. Et videbunt irrisores, quem irriserint. Sap. 4. Irridebit eos Dominus.

II. Pars.

Omissis irrisoribus ingrediamur cum Christo conclaue, vbi iacet defuncta. Et sanè Christi dicta & facta accuratissimè annotarunt Euangelistæ.

1. Manum puellæ præhendit Christus, vt erigat ipsam.

2. Syriacè ait, Talitha Kumi. Hoc nobis interpretatur Marcus, per verba, Puella dico tibi surge.

3. Statim puella, quæ modo iacebat mortua, viua & sana in conclaui inambulasse legitur. Nam ad vocem Christi fugit mors & copulatur anima suo corpori.

4. Et quia parentes præ stupore nesciunt, quo loco sint res filiæ, iubet Christus puellæ apponi cibum, vt hoc documento planum reddatur ipsam verè viuere.

Locvs. Magnum hoc est miraculum, & quod maximo gaudio parentes afficit: at quia hæc puella tantum ad terrenam vitam resurgit, cui denuò fuit moriendum, magis gaudere debemus nos, quod viuum habemus exemplum futuræ nostræ resurrectionis, non ad hanc, sed ad beatam vitam. Si enim Christus hoc potuit in forma serui, quid in dextra patris non possit? Et sanè vt omne nobis dubium amoueretur, diuersis locis atque temporibus resuscitauit diuersas personas. Nam puella excitatur adhuc recens defuncta in domo Patris: filius in Nain in feretro extra portas resurgit. Luc 7. Et Lazarus ex

ſepulchro quatriduanus prodit, Ioan. 11. vt teſtatum faciat omnes vbique locorum, quocunq; tempote mortui ſint, reſuſcitandos. Reuiuiſcunt etiam oſſa arida, Ezech. 37. Et ſi Elias, Eliſæus, Paulus atque Petrus, qui nudi fuerunt homines, potuerunt excitare mortuos, quid ni hoc poſſit filius Dei? iuxta promiſſ. Ioan. 5. Vox enim Chriſti, Dico tibi, ſurge, ad omnes tum penetrabit, qui ſub terra occultantur in puluere, Dan. 12. v. 2. Omnipotens illius manus omnes præhendet, iuxta id Pſalm. 137. v. 8. & Pſalm. 71. v. 20. Et maius erit gaudium quam hîc, quia nunquam deinceps ſumus morituri.

Maior etiam fælicitas, vbi nullo cibo & potu opus erit, ſed angelis ſimiles futuri ſumus, Matth. 22. v. 30.

Vbi omnes pii conuenient, & quilibet ſuos recipiet mortuos. Vbi non in conclaui tantum cum læticia coram parentibus ambulabimus, ſed Deum videbimus à facie ad faciem, 1. Cor. 13. & perpetuo cum illo erimus, 1. Theſſal. 4. verſ. 17. Hæc noſtra ſit conſolatio in morte, quod credimus mortuorum reſurrectionem, &c.

III. Pars.

Obſtupuêre omnes ad tantum miraculum. Nam puella defuncta iam obambulat viua, & cibum capit. Chriſtus prohibet parentibus ne ipſi hoc miraculum diuulgent, hanc ſc. ob cauſam, quia ipſorum teſtimonium, in propria cauſa, poterat apud calumniatores eſſe ſuſpectum. Nec voluit Chriſtus ſic apud vulgus captare laudem, ne in corporalia tantum intenti negligant cœleſtia. Interim tamen hoc tantum miraculum non potuit latere, ſed, Matthæo teſte, in omnem terram emanauit rumor, cum quæ verè fuit mortua iam viua cæteris conuerſaretur hominibus.

LOCVS I. Docet Chriſtus ſuo exemplo, debere nos fugere inanem gloriam. Sicut is detrectat honorem regni oblatum & fugit, Ioan. 6. Et ſæpius editis miraculis noluit illa diuulgari, ne populus illum arriperet & regem crea-

crearet. Vide etiam Matth. 8. v. 4. & 9. v. 30. Marc. 7. v. 36. & 9. v. 9.

L. II. Vſus miraculorum non tantum is eſt, vt obſtupeſcamus cum his parentibus, ſed vt credamus, Ioan. 21. verſ. 31. & gloriam demus Deo, Luc. 17. v. 18.

FINIS.

THEMA XVIII. CLASSIS IV.

AD SEPVLTVRAM INFANTVM NOBILIVM, VIDELICET LVDOuici pueri trimuli, filioli nobilis Domini Wolfgangi ab Vhrmühl, Conſiliarij Wirtembergici, Et Annæ Dorotheæ trimeſtris puellæ, filiolæ nobilis Domini Ioannis Chriſtophori ab Engeltzhouen, Conſiliarij Wirtembergici, & ciuitatis Stutgardianæ Præfecti ſuperioris. Anno 1605. 21. Octobris.

Matth. 18. Manual. pag. 496.

Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut puelli, non ingrediemini in regnum cœlorum.

DISPOSITIO.

Non inuſitatum, minus verò damnoſum Eccleſiæ noſtræ hoc eſſe arbitror, Si interdum etiam in funeribus infantum conciones habeantur ad populum. Non tantum eam ob cauſam, vt ſeniores & adulti admoneantur, nō eſſe procraſtinādam pœnitentiam, cum mors non reſpiciat ætatem, ſed iuuenes imò infantes etiam interdū præmatura morte abripiat. Nec hāc ſaltem ob cauſam vt de perpetua infantium defunctorum felicitate, & quàm benè cum ipſis actum fuerit, erudiamur: ſed vt ſimul nos quoque, qui ſumus adultiores, imitari infantes hoc pacto diſcamus, ſicut Dominus & Seruator noſter illos verbis prędictis imitandos propoſuit. Hoc enim niſi fiat, regni cœleſtis nos expertes fore grauiter minatur. Hāc itaq; fune-

tam præsentium occasione, verba Christi placet excutere. Dicemus autem:

1. Qua ratione infantes Christianorum saluari credamus.

2. Quomodo adultiores conuerti, & qua ratione infantes imitari debeant, vt & ipsi salui fiant.

I. *Pars.*

Infantes regnum cœlorum ingredi Christus non tantum his verbis innuit, sed etiam clarius idipsum indicat Mat. 10. vers. 14. Sinite paruulos ad me venire, illorum enim est regnum cœlorum. Item hoc ipso capit. Matth. 18. v. 14. Non est voluntas patris vt pereat vnus de pusillis istis. Ideoque Dauid sperat se venturum ad puerum suum. 2. Sam. 12. v. 23.

At vnde illis salus contingit? Numquid saluantur propter pios suos genitores? Neutiquam. Sunt enim illi omnes peccatores. Et si hoc verum esset, infantibus ex impiis parentibus natis omnis salus neganda esset, quod tamen fieret contra pronunciatum illud Dei Ezech. 20. Filius non portabit iniquitatem patris, & 2. Reg. 14. v. 6. Non moriantur filij propter parentes. Numquid igitur propter suam pietatem saluantur, (quod multi opinantur) quia nondum peccauerunt ex proposito malo, aut contra conscientiam, cum ad annos discretionis nondum peruenerint? At sunt in peccatis concepti & nati, quod Dauid fatetur Psalm. 51. ver. 7. sicque rei æternæ damnationis. Et hanc ipsam ob causam etiam mors corporalis suum ius in ipsos exercet. Vnde igitur salus?

A Christo, qui pro totius mundi, sic quoque infantum, (qui non sunt minima pars mundi) peccatis factus est propitiatio. 1. Ioan. 2. Hoc eleganter exprimitur Hebr. 2. v. 14. Quia pueri etiam commercium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem, vt per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est Diabolum, & liberos redderet eos, qui-

quicunque metu mortis per omnem vitam obnoxii erant seruituti.

Salus autem per Christum parta non absque medio ipsis confertur. Ideoque baptizari opus habent. Etenim qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, Marc.16.

Et nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi regnum cœlorum. Quicquid enim ex carne natum est, caro est. Ioann.3.

Et quia sine fide impossibile est Deo placere Hebr. 11. v.6. ideoque certum est ipsis simul in Baptismo cum adoptione conferri fidem. Hinc Christus palàm affirmat, Matth.18. v.6. ipsos credere. Qui offenderit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt. Infantes autem ibi intelligi certum est, cum ex Luc. 18. v. 15. pateat, allata fuisse ad Christum τὰ βρέφη, hoc est infantes adhuc lactentes & ab vberibus matrum pendentes.

Quomodo autem infantes credant, non est curiosè inquirendum. Sufficit hoc Deum scire & intelligere, qui audit pullos coruorum inuocantes, Psalm. 147. v. 9. & creaturarum στεναγμὸν intelligit. Roman. 8. v. 19. & 22.

CONSOLATIONEM ex dictis petere possunt Parentes ne plus quam par est lugeant infantes defunctos, &, quod ipsis quidem videtur, præmatura morte abreptos: cum certò sciant ipsos iam cælesti & perpetua fælicitate frui, asseruari animulas ipsorum in manu Dei, nec pati tormentum. Sap. 3. Quos etiam non amissos, sed præmissos in vita æterna inuenturi & agnituri sint. De quo Dauid, 2. Sam. 12. suprà. Taceo quod omnibus huius seculi malis exempti, Sapient. 4. viuentibus multò sunt fæliciores.

II. Pars.

Satis de infantibus. Nunc etiam de adultioribus. Hos vult Christus conuerti & infantibus fieri similes. Istud verò non crasso modo cum Nicodemo Ioan. 3. intelligendum est, vt necesse sit nos omnino repuerascere, si

velimus ingredi regnum cœlorum. Hoc enim vult Christus, exuendos veteris Adami mores, & infantum mores in quibuſdam imitandos. Cum enim ex ipſo ambitioſi Diſcipuli quærerent, Ecquis maximus futurus in regno illo (quod ſomniabant) Chriſti mundano, ibi Chriſtus accerſito puero, reſpondet, niſi ipſi depreſſo hoc faſtu, corda ad humilitatem, qualis in pueris conſpicitur, componant, non patere illis aditum ad regnum cœlorum.

Hinc coniecturam facere poſſumus, quo ſenſu Christus nos velit imitari mores infantum, eodem ſcil. planè, quo Paulus inquit, Eſtote pueri non ſenſibus, ſed malitia, 1.Cor.14. v.20.

1. Primum itaq; imitanda puerorum illa humilitas, qui neque operum & fictæ pietatis aliqua imaginatione tumidi ſunt erga Deum: neque etiam erga homines ſuperbiunt.

Ita nec nos ſuperbiamus cum Phariſæis iſtis, Luc.18. & Matth.19. v.20. Sed agnoſcamus noſtra peccata humiliter, & deprecemur cum Dauide, ne Dominus ingrediatur in iudicium, Pſal.143. Cum nemo poſſit dicere, mundum eſt cor, Prouerb.20. & iuſtitiæ noſtræ ſicut veſtis immunda, Eſa.64. Humiliemur ſub potenti manu Dei.

Sed nec erga homines noſmet ipſos extollamus. Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam, 1.Pet.5.v.5. Et depoſuit potentes, Luc.1.v.52. Qui ſe exaltat, Matth.23. verſ.12. Diſcite à me, quia ſum humilis corde, Matth.11. verſ.29. Et quanto quis altiori gradu conſtitutus, tanto debet eſſe humilior, Syr.3.v.20.

2. Pueri facilè credunt & acquieſcunt dictis ſuorum parentum. Ita nos verbo Dei ſimplici fidem habeamus, & captiuemus intellectum, 2.Cor.10.v.5. compeſcamus ſtultam rationem. Placent enim Deo νήπιοι, Matth.11.v.25. Et ſimplices, 1.Cor.1. v.27.

3. Sunt pueri abſque fuco. Ita etiam Chriſtus vult nos eſſe ſimplices, ſicut columbæ ſunt, Matth.10. verſ.16. Ohne falſch. Odit enim Dominus doloſos, Pſal.5. verſ.7. & Pſal.

& Psal. 55. v. 24. Ideoq; Paulus, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo, Eph. 4. v. 25.

4. Pueri citò pacificantur. Non laborant odio & inuidia. Ita Christiani non alant simultates, sed mox reconcilientur inuicem. Matth. 5. Dum in via es, reconciliare fratri. Nisi enim ex animo condonemus fratri delicta, trademur tortori, Matth. 18. v. 35. Hoc etiam promisimus Deo, sicut & nos remittimus, Matth. 6. v. 12.

5. Tandem pueri licet absque peccato non sint, tamen non ex proposito peccant, cum iudicium in ipsis sit infirmum, adeoque nec contra conscientiam agunt: Propterea illis peccata non imputantur propter Christum, qui etiam fidem alit in cordibus illorum, per quam Deo placent. Ita nos simus pueri malitia, 1. Corinth. 14. Inprimis cauenda peccata, ne offendamus pusillos, Matth. 18. vers. 6.

Ad hunc modum conuersis nobis patebit aditus ad regnum cœlorum. Siquidem iustificatis fide (quæ verbo & sacramentis alitur atque sustentatur) peccata non imputantur, sed fides imputatur ad iustitiam, Rom. 4. v. 5. Beatus ergo cui non imputantur peccata, Ibid. & Psal. 32.

THEMA XIX. CLASSIS IV.

Matth. 18. vers. 14.

Non est voluntas coram patre vestro, qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis.

DISPOSITIO.

Potest etiam hoc Thema in funere Infantis tractari.

Multa Christus initio huius capitis tractat de paruulis. Occasione enim quæstionis à discipulis agitatæ, Quis esset maximus inter ipsos, (referente Marco capite 9. & Luc. 9.) Christus arrepto, & in medium illorum constituto puero, primum vult illos conuerti ad humilitatem, quæ in puerulis est: Si quidem velint ingredi regnum cœlorum. Sic enim illi quæstionem informarunt, quam

uis

uis de mundano regno intelligant. Deinde paruulos vult recipi in nomine ſuo, & prohibet, ne quis offendat vel contemnat ipſos. Addit, quod Angeli in cœlis ipſis ſint cuſtodes à Deo adhibiti. Et tandem ſuam concionem de paruulis hac inſigni, quam prælegimus, ſententiola concludit, Non eſt voluntas, &c.

Quia igitur Chriſtum de paruulis peculiarem, eamq; prolixam inſtituere concionem non piguit: neque nos hanc breuiſſimam ſententiolam ex illa audire pigeat.

Primum autem ſenſum horum verborum inueſtigabimus. Deinde iuxta Pauli methodum, Rom.15. & 2. Tim.3. doctrinam, conſolationem & admonitionem ex his verbis petemus.

Paraphraſis Textus.

In præcedentibus dixerat Chriſtus, Filius hominis venit ſaluare quod perierat. Illuſtrat hoc ſimili de oue errante in paſcuis montánis, quæſita & inuenta: ſuper qua plus lætatur poſſeſſor, quam ſuper illis, quas non perdiderat. Ita inquit, non eſt voluntas patris mei, vt pereat vnus de puſillis iſtis.

Sunt quidem etiam puſilli iſti ratione carnalis natiuitatis naturâ filij iræ. Quia in peccatis concepti & nati, Pſal.51. Ideoque ipſis foret pereundum, ſi Deus non vellet ipſorum miſereri.

Neminem autem vult perire pater cœleſtis, 2 Petr.3. Et idem iuramento confirmat Deus, Ezech.18. & 33. Ideoq; Filius Dei propter eos venit, qui erãt perituri. Quod Paulus teſtatur, 1. Tim.1 v.15. Et 2 v.4. Is factus eſt propitiatio pro totius mundi peccatis, 1.Ioan.2. & dedit ſemetipſum pro omnibus, 1.Tim.2.v.6.

Et ne quis putet, tantùm de adultis eſſe ſermonem, Chriſtus hîc etiam ad puſillos reſtringit. Quia propter illos etiam venit, vt liberaret à peccato & damnatione, atque cum Deo ipſos reconciliaret. Et ideò infans natus eſt, Hebr.2. v.14.

Perti-

Pertinent autem hæc ad infantes, qui naſcuntur in Eccleſia. [Quid enim ad nos qui foris ſunt, 1. Cor. 5.] De quibus pronunciat Chriſtus hoc ipſo capite verſ. 6. quod credant. Per Sacramentum initiationis enim iis eſt fides donata: ſiue per circumciſionem, ſiue per Baptiſmum Chriſto ſint inſerti. Cum enim impoſſibile ſit Deo placere abſque fide, Hebr. 11. Certum eſt, quod fidem acceperint beneficio Sacramenti initiationis, ſicque Deo placeant propter Chriſtum, & pacem habeant iuſtificati per fidem, vt nolit illos quantumuis puſillos perire.

DOCTRINA.

Primum ex hoc loco docemur, Neminem, nec vllum paruulum quidem, abſoluto Dei decreto eſſe reprobatum. Hoc enim filius Dei teſtatur, qui eſt ipſa veritas, Ioan. 14. & cuius verbum eſt veritas, Ioan. 17. Voluntas autem Dei vna eſt & manet, quod neminem vult perire: ſicut teſtimonia ſupra allegata docent.

Et ideò etiam pro pereuntibus Chriſtum mortuum, ſcriptura diſertè affirmat, Rom. 14. v. 15. 1. Corinth. 8. v. 11. Hebr. 10. v. 29. 2. Pet. 2. v. 1. Ideoque etiam omnes ad ſe vocat, Matth. 11. v. 28. Luc. 14. parabola de inuitatis. Notanda hæc doctrina contra eos, qui multos paruulos æterno atq; occulto Dei conſilio reprobatos docent: quibus non proſit Baptiſmus, &c. Vide colloq. Mompelgartenſe, Seſs. De Baptiſmo, pag. 469. 473. 486.

CONSOLATIO.

Maximam verò Parentes ex hoc loco conſolationem accipiunt, quod de ſalute ſuorum infantum non debent dubitare, ſi in infantia moriantur. Sunt enim Chriſto inſerti per Baptiſmum: & quia acceperunt fidem ex lauacro regenerationis placent Deo, & mundati ſunt à peccatis per ſanguinem filij Dei, 1. Ioan. 1. v. 7. Non igitur vult illos Deus perire.

Sed neque de illorum ſalute quicquam eſt parentibus dubitandum, qui in partu moriuntur, vel in vtero, prius

prius quam baptizari possint. Nam ne hos quidem perire vult pater: cùm sint nati in Ecclesia, & Deo oblati piis precibus. Et rectè dixerunt veteres, Non priuatio sed contemptus sacramenti damnat. Et pertinet ad illos promissio, Genes. 17. Ego sum Deus tuus & seminis tui post te. Sunt autem filii Abrahæ omnes credentes.

Casus enim necessitatis legi non subiacet. Patet id exemplo latronis in cruce, qui absque Baptismo saluatus est: cum in fine vitæ conuersus baptizari non posset: & eorum qui octauum diem non attigerunt, neque potuerunt circumcidi. Et semper obuersetur parentibus ante oculos hæc vox Christi, Non est voluntas, &c.

III. ADMONITIO.

Quia verò Christus paruulos tanto honore dignatur, quod peculiarem atque prolixam de ipsis concionem instituit, atque de salute ipsos certificat, & quomodo patri cœlesti curæ sint, docet: monere voluit omnes, ne quisquam illos contemnat, sicut hoc apertè prohibet, v. 10. neve eos offendat, v. 6. Sed vt quisq; quantum in se est æternam ipsorum salutem promoueat. Quia enim Deus illos nō vult perire, quis tam iniquus & impius sit, qui salutem illis inuideat, aut impediat? Notabunt hoc parentes & quicunque alii paruulos habent suæ disciplinæ aut curæ commissos: ne quid intermittant quod pertinet ad salutem paruulorum, sed in timore Domini Ephes. 6. v. 4. educent, nisi grauem Deo rationem reddere velint.

FINIS.

THEMA XX. CLASSIS IV.

Luc. 7.

Historia Euangelii, De filio viduæ in Nain à mortuis excitato.

DISPOSITIO.

Prouerb. 14. dicitur, Extrema gaudii luctus occupat. At

At hoc loco inuertitur id, & extrema luctus occupat gaudium. Licet enim hæc historia propter multas circumstantias videatur tristissima, si obitum filii viduæ vnici spectes: attamen propter admirabilem Christi clementiam, atque singulare illud miraculum, est lætissima & consolatione plenissima. Tria autem præcipuè hoc loco in considerationem veniunt.

1. Funeris deductio.
2. Mortui resuscitatio.
3. Spectatorum acclamatio.

I. Pars.

Ad funeris deductionem quod attinet, plures circumstantiæ annotantur. Et lugubria primum hîc spectanda, vt quæ sequuntur maiorem afferant læticiam.

1. Funus fit iuueni. Est enim mortuus Νεανίσκος.
2. Moritur autem hic non peste correptus, fame aut inedia extinctus, non neglectus a parentibus, non cum illorum voluptate. &c. Sed quia terminus vitæ est elapsus.

Etenim 1. non solus moritur ruri, sed in vrbe.

2. Matrem habet, quæ valetudinem illius curauit diligentissimè.

3. Nec est inter multos filios abiectissimus, sed vnicus filius.

4. Et dilectus filius matris viduæ.

5. Nec malus, quem omnes velint extinctum, sed frugi est. Quod inde patet, quia tota ciuitas comitatur illius funus.

6. Nec pauperem fuisse credendum est. Quia tot comites funeris forsitan non habuisset: iuxta prouerbium, Stirbt der Reich / so geht man mit der leich / Stirbt der arm / so geht man daß Gott erbarm.

Idem volunt antiqui rhythmi: Cum moritur diues concurrunt vndiq; ciues, Cum moritur pauper, vix adest vnus aut alter.

Sed his omnibus non obstantibus moritur adolescens.

Phe-

Pheretro includitur, extra vrbem deportatur, terræ demandandus. Idque non ſine ingenti matris viduæ luctu, quæ flet amariſſimè, &c.

Locvs I. Videmus contra mortem neminem poſſe habere firmum præſidium, vel ab ætate & adoleſcentia, vel ab opibus, vel à cura corporis diligētiſſima, &c. Summa, nec herba etiam nec cataplaſma ſanat, Sap. 16. v. 12. Varias ſolent homines fingere cauſas mortis. Cœli conſtitutionem, contagium, conuerſationem, aëris infectionem. Vera hæc eſſe poſſunt. At reſpiciendum ad eum, qui hæc omnia habet in ſua manu. Et qui dies vitæ annotauit, Pſal. 139. Is poſuit terminum, Iob. 14. Et hunc nemo præteribit. Omnibus enim in Adamo dictum, Morte morieris, Gen. 3. Omnibus mori conſtitutum. Hebr. 9. Eſt via vniuerſæ carnis, 1. Reg. 2. Ioſ. 23.

Quia omnes ſumus peccatores. Mors autem ſtipendium peccati, Rom. 6.

Hæc admonitio magnam habet vtilitatem. Hinc orat Pſaltes Pſalm. 39. & 90. Doce nos, &c. Vt ambulemus corde ſapienti. Quomodo id fiet?

1. Memorare nouiſſima, & non peccabis, Syrac. 7. Syrach. 18. Memento finis & iræ, & noli differre pœnitentiam, Eccleſiaſt. 12. Memento Creatoris in iuuentute tua, &c.

2. Frequens mortis meditatio faciet, vt in tempore diſponamus domui Eſa. 38. & impediet varia conſilia, quæ futuros multos annos pollicentur. Pſal. 146. verſ. 4. Exiuit ſpiritus eius & perierunt, &c. Vnſere Anſchläg gehn jmmer für dem Jüngſten tag hinauß.

3. Sæpè cogitandum de morte, vt cum appropinquauerit hora, non ita trepidemus, ſed parati ſimus etiam in adoleſcentia mori. Nam qui citò moritur mox erit in refrigerio. Sapient. 4.

L. II. Docent nos comites huius funeris, omninò decere Chriſtianos, vt ad deductionem funeris adſint frequentes: non iuxta prouerbium ſupra annotatum.

1. Sic

1. Sic enim testantur suum amorem erga defunctum, & extremum honorem habent.

2. Sunt hæc solatia viuorum, teste Augustino. Nam multum recreat mœstos, si alii compatiantur ipsis.

3. Et prosunt hæc spectacula, vt cogitent qui funus sequuntur, Hodiè tibi, Cras mihi, Syr. 38. vers. 23. Ideoque melius ire in domum luctus. Viuus id reuocat ad animum, Eccles. 7. v. 3.

II. *Pars.*

Mortificat Deus & viuificat, 1. Sam. 2. Ideoq; post luctum etiam videbimus gaudium.

1. Christus enim aduenit in tempore, dum iam extra portas deportatur defunctus.

2. Et hic quidem ἐσπλαγχνίσθη. Et mœstam consolatur matrem. Noli flere.

3. Tangit pheretrum, manu omnipotenti.

4. Mandat defuncto vt resurgat, ac si dormientem excitaret.

5. Confestim surgit mortuus & matri traditur.

L. I. Vno verbo potest hic Christus efficere, quod totus mundus coniunctis viribus non posset. Ideoq; de nostra resurrectione nullum nobis debet esse dubium. Vox enim Christi euocabit omnes, Ioan. 5.

De resurrectione vide suprà in hac Classe, Dispos. Themat. 6. & 17.

L. II. Consolatio Christi, Noli flere, ad omnes pios parentes pertinet, qui per mortem amiserunt chara pignora. Recipient enim illos suos liberos, 2. Sam. 12. v. 23. Et quidem maiori cum gaudio quàm hîc, quia non denuo moriendum, sicut huic.

L. III. Inprimis viduæ consolationem habent, quod Christus dicitur misericordia motus super hanc viduam. Sunt enim illi commendatissimæ, qui potest compati, Hebr. 2. & 5. Ideoq; non vult illas lædi, Syr. 35. v. 17. Deus Iudex illarum est, Psal. 68.

III. Pars.

Supereſt tertia pars, de iudicio ſpectatorum. De matre nihil dicitur, quia veriſimile eſt, illam hac ſubita mutatione luctus in gaudium, penè exanimatam, vt neſcierit, an verè hæc agantur, &c. Cæteros verò omnes inuaſit horror. Timuerunt enim quod hactenus non agnouerunt maieſtatem Chriſti.

Deum celebrant & agnoſcunt, ſurrexiſſe magnum illum Prophetam, de quo Deut. 18. Diuulgatur id paſſim.

L. Hic principalis eſt finis omnium beneficiorum, & miraculorum Dei, vt celebremus Dominum & agnoſcamus illius bonitatem, omnipotentiam, &c. Et fidem hinc noſtram confirmemus. Scripta ſunt vt credatis, Ioan. 21.

Gratitudo hæc placet Deo, ſacrificium ſcilicet labiorum, Hebr. 13. Vide Pſalm. 50. v. 14. & 69. v. 31. Sic accenditur Deus vt ſubinde addat plura.

FINIS.

THEMA XXI. CLASSIS IV.

Hebr. 2. verſ. 14.

Poſteaquam igitur pueri commercium habent cum carne & ſanguine, & ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorundem, vt per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, Diabolum, &c.

DISPOSITIO.

Commendat nobis Apoſtolus in hoc capite ſummam humilitatem, & ſimul φιλανθρωπίαν Chriſti Saluatoris, qui homines miſeros peccatores fratres & pueros vel filiolos ſuos vocare non erubeſcat, allegatis hac de re teſtimoniis veteris teſtamenti, ex Pſalm. 22. & 16. atque Eſ. 8. cap. deſumptis. Quin imo Chriſtum propter hos ſuos pueros & filiolos carnem aſſumpſiſſe docet.

Cum itaque hic locus admodum ſit illuſtris, nos primum

mum illius genuinum ſenſum inueſtigabimus. Deinde locos præcipuos breuiter ſubiiciemus, qui ad præſens inſtitutum faciunt.

Paraphraſis Textus.

Vt rectius hunc Apoſtoli locum intelligamus, erunt nonnulla paulò altius repetenda.

Offendebantur Iudæi vehementer concionibus illis, de cruce & paſſione Chriſti. Hinc Paulus 1. Cor. 1. Prædicamus Chriſtum crucifixum offendiculum Iudæis. Hoc eximere illis cupit Apoſtolus hoc loco; oſtendens paſſionē illam nihil detrahere de laude maieſtatis Chriſti; imò propter hanc ipſam ſummis laudibus eſſe dignum, cum propter nos homines ſe morti obiecerit.

Cuius tanta ſit bonitas & clementia, vt licet is æternus Dei filius ſit, tamen nos miſeros peccatores fratres & filios ſeu pueros ſuos, Dauide & Eſaia teſtibus, (locis vbi ſuprà) vocare non dubitauerit.

Hoc verò nomine ipſum ſuos appellare voluiſſe, propter communionem & conſortium eiuſdem carnis & ſanguinis. Quia n. fratres Chriſti, quos pueros ſuos blando & dulciſſimo nomine vocauit, cum carne & ſanguine commercium habent: Caro autem & ſanguis regnum Dei hæreditare non poſſunt (1. Cor. 15.) propter peccatum inhærens, Ideoq; Chriſtus carnem & ſanguinem (abſque tamen peccato) & veram humanam naturam ex Maria aſſumpſit, eamque vnione perſonali ſibi fecit propriam, vt pati & mori poſſet pro ſuis pueris & fratribus.

Quare autem in carne paſſus, & mortuus etiam fuerit, oſtenditur verbis elegantiſſimis, ſc. vt per mortem aboleret poteſtatem Diaboli. Is enim per peccatum mortem introduxit ſuper omnes, ideoque mortis dicitur habere imperium. Et quia ſemel conſenſerunt primi parentes Diabolo, ideoque is in perpetua ſeruitute illos detinuiſſet, & mortis metu per omnem vitam afflixiſſet miſeros;

Christus itaque filius Dei misertus generis humani aboleuit Diaboli imperium, & in libertatem pristinam asseruit homines incarnatione, passione & morte sua. Quomodo igitur non perpetuis laudibus celebret ipsum totum genus humanum, è faucibus Satanæ & mortis ereptum?

At quomodo destruxit imperium mortis, cum omnibus sit adhuc moriendum?

Respondeo. Duplex est mors, teste Apocalypsi Ioannis, prima & secunda, Apoc. 21. Quia verò Electi liberati sunt à secunda, hoc est æterna morte, ideoque prima mors illis non obesse potest, sed per Christum est sanctificata, vt sit somnus, Luc. 8. Ioan. 11. & dulcissima quies, Esa. 26. & 56. Apoc. 14.

Nullum itaque Satan in ipsos, neq; ratione primę neq; secundæ mortis, potest exercere imperium, idque beneficio liberantis Christi fratris nostri amantissimi.

Loci.

I. Quando de summa nostra dignitate cogitamus, quæ in eo cõsistit, quod ipse filius Dei carnis nostræ est factus particeps, semper in Domino gaudere debebamus. Sic enim omnis nostra indignitas & ignobilitas, in quam per peccatum incidimus, tecta & abolita est. Sumus etiam hoc nomine Angelis superiores, cum Christus non Angelos sed Abrahæ semen assumpserit, quod Apostolus hoc eodem loco & capite, vers. 16. deprædicat. Magna hęc est consolatio, quod sancti patres intellexerunt. Hinc Augustinus: Vbi caro mea dominatur, ibi me regnaturum spero. Vbi sanguis meus, ibi me gloriosum credo.

II. Quanquam hoc loco generaliter omnes suos electos pueros appellet Christus ex Esa. 8. tamen potest hoc non incommodè etiam referri ad eos, qui ratione ætatis & annorum sunt pueri seu infantes.

Magnam enim hinc parentes petere possunt consolationem, si morte abripiantur, quod Satan nullum in illos habeat

habeat ius, cum Christus etiam puer natus, Esa.9. Carnis particeps factus fuerit, vt pueros sanctificaret. Imò hi certè sunt Christo amicissimi, cum non ex proposito & contra conscientiam ipsum peccatis offendant. Hinc illæ blandæ promissiones: Sinite paruulos ad me venire, quia, &c. Marc.10. Et, Non est voluntas, &c. Matth.18.v.14.

III. Omnibus autem fidelibus mortalibus magnum hoc affert solatium, quod Christus aboleuit potestatem Satanæ, vt suum imperium ratione æternæ mortis non possit exercere in fideles, & electos Domini fratres atque filios. Hinc illud, Ero mors tua. A morte liberabo illos, Ose.13. 1.Cor.15.

Facit hoc contra metum mortis, à quo liberati sumus per Christum, Luc.1. v.29. Psal.23.v.4.

Desipiunt igitur qui tàm seruiliter timent, &c. cum Apostolus manifestè dicat, seruituti fideles non obnoxios.

FINIS.

SEQVITVR

CLASSIS V.

CONTINENS THEMATA

TRACTANDA IN FVNERIBVS EOrum, qui in vita sua variis infirmitatibus corporis obnoxij, vel grauioribus morbis correpti, languidi, & multo tempore lectulis affixi, aut diuturniori inualetudine consumpti fuerunt.

THEMA I.

Gen.27.v.1.

Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat.

DISPOSITIO.

Describitur nobis hoc loco Isaaci senis cœcutientis defectus. Quamuis autem hoc præcipuè propter subse-

quentem historiam (vbi sc. filio Iacobo pro Esauo benedixit, cum visu illos dignoscere amplius non posset) hîc fuerit annotatum, poterunt tamen hæc paucula verba nobis etiam singularem aliquam doctrinā subministrare. Ideoq; in presenti funere hanc historiam de cœcitate Isaaci tractandam suscipiemus, maximè hanc ob causam, quod defuncti nostri affectus in senectute huic non multum fuit absimilis. Primum igitur historiam considerabimus. Deinde subiiciemus quosdam locos præcipuos.

I. *Pars.*

Salomon Ecclesiast. 12. inter alia senectutis incommoda etiam refert, quod obscurentur sol & lumen & stellæ, &c. intelligit defectum visus, qui plerumque in senibus hebetatur.

Hoc accidit piissimo Patriarchę Isaaco, de quo dicitur, quod caligauerint oculi illius, vt videre non potuerit.

Et sanè tantus est defectus visus apud ipsum, vt proprios filios amplius discernere & contemplari non potuerit.

Existimant nonnulli, singulari quodam casu ipsum fuisse orbatum visu.

At videtur Textus causam huius caliginis voluisse exprimere, cum præcedant hæc verba; Senuit Isaac: sicut etiam de Ahia Propheta dicitur, 1. Reg. 14. quod oculi illius præ senectute caligauerint aut hebetati fuerint.

Nec mirum, fuit enim Isaacus grandæuus, hoc tempore quo oculi defecisse leguntur, annos videlicet centum triginta septem natus. [Sic enim D. Lutherus annos supputat.]

Est autem hæc non minima pars calamitatis senum, defectus visus. Et tantò grauior hæc miseria, quod in Isaaco fuit diuturnior. Cœcutiens enim fuisse dicitur anno ætatis 137. & mortuus anno ætatis centesimo octuagesimo. Durauit itaq; caligo oculorum annis 43. nisi ante finem vitæ aut post aliquot annos bonum Isaa-

cum

cum visum recepisse credamus: de quo tamen historia Geneseos nihil habet.

II. Pars.

Nunc locum vnum aut alterum ex hoc textu notabimus.

I. Videmus quæ incommoda secum ferat triste senium. Extant illa egregiè depicta loco Salomonis supra annotato, Eccles. 12. Estque senectus ferè mortis aliquod præludium: cũ vires simul & sensus languescant, Vide quid Dauidi referat Barsillai, 2. Sa. 19. v. 35. Et quidem non omnium senum vnus est defectus, sed varij sunt illi. Alij in senecta cœcutiunt, vt Isaac & Ahia. Alij carent gustu, & deficit auditus, vt Barsillai, licet corpore adhuc sint vegeto. Alij lectulis sunt affixi, cum pedes non faciant officium, vt Assa, 1. Reg. 15. vers. 23. Alij alia sentiunt incommoda. Et rara sunt exempla talium senum, qui adhuc valent corpore & animo, sensibus atque membris vtuntur integris: sicut Moses, Deut. 34. v. 7.

De cæteris plerumque verum est illud, Senes bis pueri. Et senes quotidie noua audiunt. Es gibt alle tag newe Zeitung bey jhnen/ nouos scilicet affectus. Comparatur hæc ætas domui ruinam minitanti. Nec incommodè. Itaque miseriis non carent boni senes. At si patienter illas ferant, & Dei vocationem in fide exspectent, non tentantur vltra vires, sed semper sentiunt leuamen aliquod Diuinum. Hæc vero exempla optimorum senum veteris Testamenti, qui easdem experti sunt miserias, nostratibus proponuntur hanc ob causam:

1. Primò, vt senes inde accipiant consolationem, cum audiant, eandem piissimorum Patriarcharum fuisse fortunam, qui Deo fuerunt amici charissimi. Qualis erat Isaacus, in tantum honoratus à Deo, vt is Deus Abrahami & Isaaci vocari voluerit, Matth. 22. v. 32. & sæpius alibi. Exod. 3. v. 15.

Ideoque non putent se à Deo negligi aut odio haberi in senectute, si pij sint. De cæteris alia est ratio.

 2. Se-

2. Secundò. Recensentur hæc senectutis incommoda, ad extinguendum præposterũ senectutis desiderium. Plerique enim ad longam senectutem viuere cupiunt, non cogitantes, quàm miseri tum sint futuri. Hinc Prouerbio senectus dicitur hospes sæpè inuitatus, at ingratus vbi comparuit.

3. Tertiò. Quibus obrepit non intellecta senectus, illis necesse erit ardenter orare, ex Psalm. 71. Ne proiicias me in diebus senectutis. Pij verò hanc habent promissionem, Esa. 46. Ego ad senectam vsque feram.

II. Docentur omnes, quia tanta sint senectutis incommoda, vt tempus iuuentæ & virilis ætatis bene collocent, & dum valent officia vocationis exsequantur fideliter.

Inprimis verò vt conuertant se ad Dominum Creatorem, antequam accedant dies mali, Eccles. 12. Et non differant pœnitentiam, Syr. 18. v. 22.

THEMA II. CLASSIS V.

Hiob. 2. vers. 7. & 8.

Egressus igitur Satan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem, & accepit testam, vt ea se raderet, & sedebat in medio puluere.

DISPOSITIO.

Nota est vobis omnibus historia, quomodo optimus ille Hiobus, vir diues & potens, breui temporis interuallo omnibus bonis exutus, atque liberis etiam charissimis orbatus fuerit. Grauis fuit carni & sanguini hæc iactura. Dann verlieren ist für lachen gut / dicitur Prouerbio. At patienter illud tulit Iobus, intelligens nimirum, quod illa omnia tantùm mutuo quasi acceperit à Domino: atque cum nudus egressus sit ex vtero matris, quod nudus etiam in terram sit reuersurus: & gratias agit Deo, quod vitæ & corpori hactenus pepercit. Daß er nur mit der Haut darvon kommen. Quin ipse Diabolus intelligit,

git, pellem pro pelle posse relinqui, Iob. 2. v. 4. At præsens historia licet breuissima docet, tandem etiam corpus Iobis fuisse afflictum grauissimè: **Vnd daß es jhme gar an die Bundriemen gegangen.**

Videamus igitur 1. Afflictionem Iobis in proprio corpore.

2. Vnde illa, vel quæ huius causa.

3. Quo animo hanc etiam calamitatem tulerit.

I. Pars.

Legitur Hiobus percussus vlcere pessimo. Est hoc genus morbi grauissimum & molestissimum, si corpus scabie & vlceribus sæuis atq; difficilibus inustis rubet, ardet, inflammatur, vt tanquam in perpetuo igne viuat homo. Estq; magis mors mori nescientis, quàm morbus vitam sperantis, si inueteratus & difficilis sit. Iam crusta inducitur vlceri, iam callus, mox serpit malum, ac procedit aliorsum, &c. Inter afflictiones Lazari numerantur etiam vlcera, Luc. 16. Et potest homo vel ex vno vlcere grauissimos perpeti dolores.

At de Iobo dicitur, quod totum corpus à planta pedis ad verticem capitis vlcera deploratissima occuparint.

Et illa sanè ita deformant hominem, vt hoc capite (vers. 12.) nō amplius agnitus fuerit ab amicis bonus Hiobus. Atque lachrymas exprimit illis hæc amici miseria, vers. 12. Hinc colligere est, quantus dolor fuerit hic.

L. I. Vlcerosos, aut scabie maligna, lepra, psora, vel aliis huius morbi speciebus infectos, solari potest hoc Iobis exemplum, sicut & Lazari, de quo supra, si intelligant, non se solùm nouo exemplo sic affligi, sed idem accidisse piissimis, & Deo charissimis hominibus. Et si non ipsi sibi huius mali authores sunt, bonæ conscientię testimonio freti, in silentio & spe, Esa. 30. v. 15. Dei auxilium exspectare: & in patientia animas suas possidere, Luc. 21. debent. Sicut Hiob hoc loco, qui vir simplex & rectus fuit, ipsius Dei testimonio.

Monendi tamen hoc loco auditores, ne sibiipsis has calamitates attrahant. Quod faciunt ebriosi (sentientes illud væ, Prou.23.v.28.) & scortatores, de quibus maximè sapiens Syrach 19.v.3.& alij, quos Deus fœdis morbis punit. Cogitent illi, si Hiob vir iustus & rectus tam grauiter affligitur, quid de te statuet Deus? Et tales præter corporis morbos etiam sentiunt stimulum cõscientię, nec cum Iobe consolationem habent vllam, sed experiuntur digna factis suis.

II. Pars.

Sed vnde tanta calamitas Iobis? Causa huius mali hoc loco adscribitur Satanæ. Satan percussit eum. Et sanè is malitiæ suæ indulgens, omnes neruos suos intendit. Ergóne Satan potest suam tyrannidem exercere in sanctos Dei homines? Respondeo. Non nisi Deo permittente hos potest affligere. Ideoq; dicitur Satan [egressus à facie Domini] percussisse Iobũ: hoc est, impetrata à Deo venia. Videmus enim in illa historia, quomodo solicitârit Deum, vt liceat ipsi affligere Hiobum.

L. Videmus quantum in Satana studium nocendi piis. Et quanta Deo permittente illius malitia. Quomodo tractat bonum Iobum? Videatur caput 1.& 2. Quomodo incuruauit mulierem? Luc.13.v.11. Is mutum & cœcum etiam facit, Matth.12. & Luc.11. Vide Marc.9.v.22.

Ideoque non vocandus (quod multi solent, semper in ore habentes Diabolum) nec contemnendus tanquam hostis impotens, vt Iob 41. monet. Est enim ἐπιχαιρέκακος. Est ἀπολλύων, perdens, Apocal.9.

Rogandus Deus, ne illi permittat, vt possit nocere: & vt nos contra ipsum muniat excubiis sanctorum Angelorum, iuxta promissionem Psal.34.v.8.& 91.v.11. Quare autem Deus permittit interdum Satanæ, vt tam grauiter exerceat pios, sicut Iobem hîc & alios?

Respondeo. Ad probandam fidem, spem & patientiam piorum, vt aliis sic exempla proponat. Sicut aurum in igne probatur. De hoc Syr.2, Prou.17.v.3. Sap.3. 1.Pet.1.v.6.

In-

Interim tamen hoc consolatione plenum est, quod semper illi præfigitur terminus, vt clarè patet ex hac historia. Primum enim non poterat nocere corpori, sicut iam vitę illius. Vide cap. 1. v. 12. & 2. v. 6. Imò ne porcos quidem perdere potest, absque permissione Christi, Marc. 5.

III. Pars.

At quid Iobus in tantis miseriis? Non maledicit Deo hoc tempore, & hoc loco, non irascitur Satanę aut hominibus malis, non tribuit hoc veneficis, &c. Sed patienter adhuc fert omnem calamitatem. Nō n. ignorat hæc diuinitus accidere, cum in se causam huius morbi nō inueniret, intemperantiam diętę, aëris vel aquę corruptionem, &c. Sedet in medio cinere aut puluere, q̧ facere solebant, qui pœnitentiam suam ostendere volebant. Sic n. seipsos admonebant, quod ex terra facti in terram sint reuersuri.

Eratq; in Iobe fortis animus in morbo desperatissimo: quia saniem & pus testa aperiebat, atque cutem incrustatam pustulis radebat.

L. Patientiam docet Iobus in afflictionibus etiam grauissimis: vt non tam̄ simus molles & effœminati, qui leniſsimè afflicti insurgamus aduersus Deum, nec tam simus stupidi, vt causam malorum hominibus vel Satanæ tribuamus, sed vlterius respiciamus ad Deum ipsum. Et dicamus id Hos. 6. v. 1. Percussit & sanabit nos. Ad Dominum, &c. Atque carni ad morem vxoris Iobis, solicitanti ad impatientiam vel defectionem, respondeamus illud Iobi, hoc capite, v. 10. Si bona suscepimus, &c. De patientia vide plura Hebr. 10. & 12. Iac. 1.

FINIS.

THEMA III. CLASSIS V.

2. Sam. 4. à v. 4. ad 5.

De Mephibosetho filio Ionathani claudo.

Hæc historia in funere claudi alicuius tractari potest.

DIS-

DISPOSITIO.

Conuenit hæc historia de Mephibosetho claudo bona ex parte cum ea, quæ accidit ante complures annos, cum nostro defuncto, quem iam humo mandauimus. Ideoq; illam paucis expedire animus est, cum illa omnia ad nostram vtilitatem facere possint.

Videbimus autem 1. De illa miseria Mephibosethi. 2. Quomodo in hanc calamitatem inciderit.

I. Pars.

Mephiboseth filius est Ionathani, piissimi filij Saulis. At magna illius est miseria, quod non tantum patre orbatur cum puer esset, sed à quinto ætatis anno claudus est, vt pedes non faciant officium. Ipse conqueritur de hac miseria coram Dauide, 2. Sam. 19. v. 26. Neque est dubium quin ipsi hæc fuerit grauissima, quia ineptum reddit hominem ad omnes penè labores. Non potest virtutem parentis imitari bellando, non res magnas facere, sed domi sellæ affixus hæret.

L. I. Agnoscant qui membris omnibus vtuntur integris atque validis, quantum hoc sit Dei beneficium. Et propterea illis non abutantur, ad nocendum proximo, nec ad peccandum. Sint membra illorum arma iusticiæ. Rom. 6. v. 13.

De hoc pauci cogitant: sed malè.

L. II. Qui verò pij defectus tales sentiunt in suo corpore aut membris, præsertim si sint perpetui & grauiores, illi sciant, à Deo hanc quidem ipsis immissam esse calamitatem, non vt pereant, sed vt hæc ipsa, sicut omnia alia, diligentibus Deum cooperentur in bonum. Rom. 8. Et certò hoc sibi persuadeant, hunc defectum ipsis in multis prodesse. Alioquin fortassis tentarent, quæ corpori & animæ possent nocere, si vterentur membris omnibus integris. Et sic perpetuam damnationem sibiipsis accerserent. Cum hac ratione si lectulis affixi sint, multò ardentius & crebrius suas fundant preces & amplissi-

plissimam habeant occasionem seruiendi Deo. Patet exemplo Mephibosethi. Si fuisset valido corpore, fortassis affectasset regnum auitum: quod patruus Isbosethus fecisse legitur. Et sic Deum offendisset atque miserè periisset, corpore & anima. Cum verò ineptus sit ad regnum, contentus est sua sorte: nec quicquam tentat. Sicque viuit ad longam senectutem in pace, qui alioquin occubuisset iuuenis in peccatis suis, sicut Saul. Satius itaque est illi, vt ingrediatur in cœlum claudus, &c. Matth. 5. v. 30. & Matth. 18. v. 8. Explicari potest hoc latius & ad cætera etiam accommodari mala.

Quicunque igitur sunt claudi, cœci, surdi, paralytici &c. patienter ferãt istam calamitatem, quę in bonum cedit: nec inuideant cæteris, qui rectius valent, nec Deum accusent iniusticiæ vel iniquitatis: cum ipsi liceat facere de suo quod vult, Matth. 20. v. 15. Nec quicquam debeat cuiquam, cum nemo illi prior dederit, Rom. 11. v. 35.

II. Pars.

Si sua culpa Mephibosetus incidisset in hanc calamitatem, atque periculum sibiipsi volens creasset, si incitato equo, aut saltu superbo atque non necessario Deum tentasset, &c. vtique digna factis suis accepisset præmia.

At innocens ipse hæc experitur mala. Nam puer quinque annorum claudus fit. Licet enim ancilla, cui ipse erat commendatus, strenuè fecerit officium, & posthabitis omnibus suis, filiolum sibi commissum regis nepotem, pręsentissimo hostium periculo subtrahere, atque per fugam salutem illius promouere voluerit, accidit tamen in istis angustiis, vt puer singulari quodam & difficili casu luxatis membris claudus factus fuerit.

At interim bonus vir sentit Dei gratiam, cum pius fuerit, & pij patris filius. Hæres enim fit omnium bonorum Saulis, quæ priuatus possederat. Estque in magna gratia apud Dauidem (licet non omnis calamitatis expers) atq; liberaliter sustentatur à Rege, adhibitus mensæ regiæ, &c. Vide 2. Sam. 9.

L. I. Ne-

L. I. Nemo temeritate sua sibiipsi accersat calamitates, aut corpori suo atque membris damnum det: quod multi faciunt, præsertim audaculi illi, qui interdum inanis gloriolæ causa non necessariis sese implicant periculis. His minatur Sapiens, qui amat periculum, peribit. Syr.3.v.27. Docet Christus Deum non tentandum, Matth. 4.v.7. Et semper cogitandum, Satanam esse qui tales addat stimulos (præsertim ebriis aut nobilioribus ingeniis) vt de pinna templi sese præcipites dent, Ibidem. Hoc enim agit vt perdat homines.

Quod si quis præter suam culpam (vt Mephibosetus) incidat in magnas miserias, is sciat Deum ipsi iam paternè prospexisse, & Dauidi ipsius curam demandasse, vt habeat miser vnde viuere possit.

Et debent hac in parte Magistratus imitari exemplum Dauidis, vt miseris prospiciant de victu: nisi ipsi vel posteri eandem calamitatem sentire velint.

Præsertim verò benefaciendum iis, qui benè sunt meriti de Repub. vel Ecclesia, aut quorum maiores boni fuerunt, sicut Ionathan: maximè verò iis, qui in vocatione sua damnum acceperunt, præter suam culpam.

L. II. Exemplum optimæ nutricis Mephibosethi imitentur omnes, quibus cura liberorum est demandata: siue diuitum siue pauperum liberis seruiant. Nihil temerè negligant. Deus erit merces. Quod si præter ipsarum culpam accidat quippiam, Deo, non ipsis est tribuendum, & habent illæ bonam conscientiam.

FINIS.

THEMA IV. CLASSIS V.

2. Paralip. 16. vers. 12. ad 14.

De Assa Rege ægro ex pedibus, &c.

In funere Podagrici tractari potest historia.

DISPOSITIO.

Rectè dicitur, Nemo sine crimine viuit. Licet enim Asa Rex

Rex Iuda, in historiis ſacris, legatur feciſſe, quod bonum erat coram Domino, 2.Par.14.v.2. tamen hoc loco etiam facit, quod non eſt bonum nec placitum in conſpectu Dei ſui: præſertim cum æger eſſet pedibus. Et ſicut cum ſanus eſſet reprehenſionem meretur, 2.Paral.16.v.7. ita etiam cum æger eſt. Et hic tamen inter pios Reges Iuda numeratur, quorum numerus octauum non excedit.

Videbimus 1. Quo morbo laborauerit Aſa.

2. Quomodo durante ægritudine ſeſe geſſerit.

I. *Pars.*

Rex Aſa biennio ante obitum ex pedibus laborat. Et quidem grauiſſimè. Eſt enim dolor Podagricus intenſiſſimus, quod experti forſitan teſtari poterunt.

Nec minuuntur dolores progreſſu temporis, ſed augentur. Nec quicquam medicina valet.

Eſtque illi hic morbus lethalis. Mortuus enim legitur anno regni 41. cum anno 39. ægrotare cœpiſſet.

Cauſa huius ægritudinis non quidem diſertis verbis ponitur, ſed ex præcedētibus facilè poteſt colligi. Etenim cum ex mandato Dei Propheta Hanani Regem obiurgaſſet, ille & Prophetam carceri incluſit, indignè ſcil. ferens reprehenſionem, & nonnullos etiam ex populo iniuſtè oppreſſit.

Et dicunt Hebræi, Regem inieciſſe Prophetæ compedes. Ideoq; etiam pœnas luiſſe dolore pedum. Quod ſi verum eſt, expertus eſt Aſa illud Sapientiæ 11. verſ. 17. Per quæ quis peccat, &c. Vtvt ſit, propter peccata ſua ſenſit dolores hos Podagricos, quibus etiam confectus eſt.

L. Multi etiam hodiè ſunt podagrici, qui ardent podagræ doloribus: interdum etiam nonnullos morti tradit tarda & nodoſa podagra.

Sicut autem generaliter omnes morbi, & quæ ſequitur morbum mors, ſtipendium ſunt peccati: ita etiam podagra, Rom.6.

Et fatendum omninò, quod ſicut Aſa certis peccatis, ita

ita multi etiam hodie, intemperantia, ira & libidinibus, &c. podagram ſibi accerſunt. De hoc egregie Syr. 38. v. 15.

Diſcant itaque alij horum exemplis edocti, vitare talia peccata, quæ tantos dolores & mortem tandem afferunt. Sunt enim multi proprij corporis carnifices & excoriatores, Syr. 37. in fine iuxta Lat.

Qui verò iam in corpore ſuo ſentiunt pœnas ſuorum peccatorum, illi agnoſcant culpam, cum latrone, Luc. 23. v. 41. quod digna factis ſuis recipiant. Patienter etiam ferant dolores & reſipiſcant. Sic erit illis hic morbus carnis mortificatio, & ſalutaris, neque animæ nocebit.

Iuxtà tamen & hoc certum eſt, multos hoc graui morbo affligi, de quibus non poſſumus dicere, quod vel ebrietate, libidinibus, &c. ſibiipſis authores fuerint huius mali. Quia tamen ſunt peccatores, ideoq; premit illos miſeria huius vitæ. Illi præter teſtimonium bonę conſcientiæ, quod eſt magnũ leuamen, hanc habent conſolationem, quod intelligũt, à Domino immitti hanc plagam. Ideoq; bono poſſunt eſſe animo, quod hæc nihil poſſit nocere animæ, ſed paterna tãtùm ſit caſtigatio & probatio, ne pereant cum mundo, 1. Cor. 11. v. 32. Et quod vltra vires non tẽtet Deus, 1. Cor. 10. Quod ſi maximè inter hos cruciatus vitam finiant, benè tamen cum illis agitur, cum ad quietem ſic perueniant, Apoc. 14. & liberẽtur ab omni dolore.

L. II. Poſſet etiam tractari hic locus: Reges & illuſtres perſonas non minus ſubiacere morbis & morti, quàm pauperes. Teſtatur exemplum Aſæ.

Nec iuuat Medicorum opera exquiſitiſſima, Sap. 16. v. 12. Imo illis magis infeſta eſt podagra quàm ruſticis. Hinc apud Iuuenalem locuples podagra vocatur. Quod ipſum Germani imitantur, appellantes illã, Die reiche Kranckheit/ꝛc. Et par eſt hac in parte conditio omnium, quod omnes coguntur tandem mori, Syr. 14. v. 18. & 41. v. 1. in Lat.

II. *Pars.*

At qua ratione Rex cruciatus podagræ ſedare vel tollere

lere conatur? Quærebat in ægritudine sua Medicos. Et hoc quidem illi vitio vertitur. Numquid igitur non licet hoc? Imò. At Asa quærit Medicos & non Dominum. Debebat primùm cõuerti ad Dominum, & agnoſçere, quod propter peccata commiſſa ſic affligatur. Et non magis in Medicorum opera, quàm in Domino debebat confidere. Grauiſſimè ergò peccat hac in parte, & peccatum peccato cumulat. Neq; tamen eſt dubium, quin ante mortem fuerit conuerſus ad Dominum, cum de omni medicina cogeretur deſperare. Quæſiuit illam ouem errantem Dominus abſque dubio, cùm aliàs fecerit placitum coram Deo ſuo.

L. Quia ſcriptura hoc exprobrat huic Regi, caueant omnes ægroti, ne idem faciant, quod Aſa.

Multipliciter autem in his caſibus peccatur. Alij conſulũt Magos, &c. ſicut Ahaſia ſuum Baal Sebub in Ekron, 2. Reg. 1. Hoc eſt Diabolum conſulere.

Alij non Dæmonem ſed nec Dominum quærunt, aſt mortales homines, ſicut Aſa hîc tantum Medicos. Peccant & hi.

Alij nec Dominum nec Medicum quærunt, & omnem contemnunt medicinam. Hi Deum tentant. Cauenda ergo omnia illa extrema.

Hoc verò agendum, vt 1. conuertamur ad eum, qui percuſſit nos, Oſe. 6. Et qui verus eſt Medicus, Exod. 15. verſ. 26.

Deinde quæramus Medicum, & vtamur legitimis mediis. A Deo enim Medicina, Syr. 38. v. 2.

Hanc methodum medendi ſcriptura præſcripſit Syr. 38. v. 9. & Iac. 5. v. 14.

Hac methodo Hiskia procedit. Primo quærit Dominum, & precibus ab ipſo contendit ſanitatem, Eſaiæ 38. verſ. 3. Deinde etiam applicatur illi medicina, Ibidem verſ. 21.

Plerumque enim Deus agit per media.

FINIS.

THEMA V. CLASSIS V.

2. Paralip.21.verſ.18.& 19.

De Iorami Regis Iuda morbo iliaco, & morte fœdiſſima.

DISPOSITIO.

Rectè ſapiens Syr.10. Quare ſuperbit homo, qui terra eſt & cinis? Quia etiam dum viuit, inteſtina ſua proiecit. Et quamuis medicus multum laboris in curando morbido corpore inſumit, tamen hodie Rex eſt, & cras moritur. Hæc eſſe veriſſima, vel præſens de Ioramo Rege hiſtoria teſtari poteſt: qui viuus inteſtina proiecit, & ex euiſceratione illa moritur: nec vlla cuiuſquam medici opera ſanari poteſt. Quia igitur hæc hiſtoria valdè eſt memorabilis, quæ terrorem impiis incutere debet, nos primùm circumſtantias ſingulas enucleabimus: Deinde addemus doctrinam vnam & alteram.

I. Textus Paraphraſis.

1. Primum ſciendum eſt, peculiari morbo afflictum fuiſſe Ioramum Regem, qui filius erat Ioſaphati. Viſcerum enim dolores patitur. Eſtque inteſtinorum morbus vehementiſſimus.

2. De die in diem augetur morbus & dolor etiam: ita vt continuos ſenſerit cruciatus.

3. Durat etiam hęc ægritudo toto biennio. Quod eſt tempus longiſſimum homini ægro, continuos ſentienti dolores, cui vna hora videtur ſuperare ſpacium integri menſis.

4. Quod ſi finito biennio ſanitati reſtitutus fuiſſet, potuiſſet poſtea omnem obliuiſci dolorem. At nulla eſt ſpes reſtitutionis. Dicitur n. fuiſſe morbus incurabilis.

5. Quare incurabilis fuerit morbus, additur: quia ſcilicet non erat morbus aliquis epidemicus, aut naturalis, vel communis, ſed Dominus percuſſit ipſum. Contra Dominum nullum valet Medici conſilium.

6. Id-

6. Ideoque moritur fœdo & incurabili hoc morbo, viſcerum ſc. proiectione, vel euiſceratione (vt vocant) anno ætatis quadrageſimo.

7. At quæ cauſa indignationis Domini & huius mali fuit? Illud paucis verbis in ſequenti verſu 20. ponitur. Ambulauit non rectè.

8. Et ſic ipſe ſibi omnis mali author eſt. Potuiſſet vtique pœnitentia ſeria Deum iratum placare, ſi non fuiſſet obſtinatus. Etenim miſerat magnus ille Elias Propheta literas ad Regem, quibus ipſi hunc morbum & cętera mala prædixit. At ille nihil remiſit de ſua impietate. Fuit autem parricida, idololatra, & vt ſumma dicam omnia, affinis in domo Ahab. Et deſeruit Dominum Deum ſuum. Ideoque etiam deſeritur viciſſim à Deo. Legatur totum hoc caput 2. Paral. 21.

L O C I.

L. I. Variis ſunt morbis obnoxij homines, & illorum multi ſunt incurabiles, & cum doloribus intenſiſſimis coniuncti. Hîc varias ſolemus inquirere cauſas, vnde tanta morbi vehementia, &c. At hic locus planiſſimè nobis ediſſerit cauſam, Dominus percuſſit. Væ illi quem Dominus percutere vult, ſingulari aliquo morbi genere, vt hoc loco Regem impium. At qua de cauſa Dominus percutit homines? Hoc per Moſen Deut. 28. indicat: Si non obedieris voci Domini Dei tui, percutiet te Dominus plaga incurabili, &c. Vide v. 22. 27. 29. 35. 59. 60. & ſeqq.

Magna enim & grauia ſcelera, vt ſunt parricidia, idololatria, contemptus verbi Dei apud Ioramum, magnis etiam, fœdiſſimis interdum & grauiſſimis morbis punit Deus. Eſtq; ferè idem Iorami & Iudæ atq; Arij interitus: niſi quod dolores Iorami ſunt diuturni.

Sic Herodes ille percuſſus ab Angelo Domini, factus eſt σκωληκόβρωτος, Act. 12.

Et notandum hîc, quod apud Deum nullus eſt perſonarum reſpectus, Deuter. 10. 16. 2. Paral. 19. Actor. 10. Et

potentes potenter patientur tormenta, Sap.6. v.7. Patet exemplo Herodis, Iorami, Antiochi, 2. Mach.9.v.5.& 9. & magni illius Monarchæ, qui non ante multos annos morbo pediculari extinctus est.

Discant itaque impij exemplis talibus edocti ambulare rectè, quod non fecit Ioramus. Desistite à malo, & benè agere discite, Esa.1.

At, inquis, numquid & ipse Hiobus, Dei testimonio, vir rectus & simplex, fuit percussus grauissimo morbo, de quo Iob 2.vers.6.& seqq. Et hoc etiam piis nonnunquam accidit.

Respondeo. Verum est, nonnunquam pios sic etiam affligi: at hæc est differentia inter horum & inter impiorum afflictiones, quod hi sentiunt manum Dei offensi, nec habent consolationem, sed pereunt inter calamitates anima & corpore: illi verò tantum probantur & exercentur igne tribulationis, & sentiunt cõsolationem Dei, nec vltra vires tentantur, (1.Cor.10. Esa.28.v.26. Et cooperantur illis omnia in bonum, Rom. 8.) estq; illis correptio diuina salutaris, & tantùm corpus tangit, non animam. De quo 1.Pet.1.v.7. Iac.1.v.12.& seqq. Hebr.12.v.6.& 7. Prouer.3.Apoc.3. Vno verbo in impiis est vltio, τιμωρία: In piis est probatio δοκιμασία.

Et quos pios percussit Dominus, illos etiam sanauit: Iob. 5. v. 18. Os.6. v.1. si non corporaliter, spiritualiter tamen. De impiis alia est ratio.

Discant itaq; ex hoc loco pij patientiam: impij verò resipiscant, nisi velint eadem aut grauiora experiri. Quibus autem impiis hîc parcit Deus, illi post hanc vitam tanto grauiores sentient cruciatus in lacu ardenti, Apoc.21. v.8.

L. II. Multi sæpius (præsertim Magnates & ditiores) conantur Medicis extorquere sanitatem. At non est in Medico semper, releuetur vt æger: sed sæpius medica plus valet arte malum. Quare? Quia quando Dominus percussit, ibi homo certè non sanabit. Sic ipse Deus nos edocet, Deut.32.v.39. Ideoq; non ad Medicum, sed ad percutien-

tientem te conuerte, piis & ſeriis precibus. Vbi is percutere ceſsârit, ibi Medici manus ſanare poterit. Vide de hoc in præced. Diſpoſ. plura.

FINIS.

THEMA VI. CLASSIS V.

Hiob 7. v. 1.

Militia eſt vita hominis ſuper terram, & dies illius dies mercenarii.

Et quæ ſequuntur vſque ad verſum 6.

DISPOSITIO.

Expertis credendum eſſe, prouerbio dicitur. At ſi quiſquam alius expertus eſt huius vitæ miſerias, certè Hiobus eſt. Itaq; nobis poterit is explicare rem omnem, prout geritur in his terris. Hoc facit duabus appoſitiſſimis ſimilitudinibus, quarum vna ſumpta eſt à vita militari, altera à duriſſima mercenariorum ſeruorum vita. Has ordinè explicabimus, & ad vſum noſtrum accommodabimus, vt vel tandem Iobo credere experto diſcamus.

I. Pars.

Primum comparat Iobus vitam hominis militiæ, & quidem perpetuæ. Nec inconuenienter tum propter hoſtes, tum propter alia incommoda, quæ militiam comitantur.

I. Quod hoſtes attinet, ſunt nobis perpetui aduerſarij, & quidem plurimi: vt Satan, cum quo nobis ἄσπονδος πόλεμος, 1. Pet. 5. v. 8. Epheſ. 6. v. 12.

Item mundus. De quo Ioan. 15. v. 19.

Imò propria caro, quæ ſemper concupiſcit aduerſus ſpiritum, Galat. 5. v. 17. & Rom. 7. v. 18.

Hinc rectè Paulus: Quis me liberabit, Rom. 7. v. 24. Et 2. Cor. 7. Foris pugnæ, intus terrores.

II. Deinde varia ſunt, quæ militem affligunt, cum quibus non minus pugnare cogitur: vt ſunt, æſtus, frigus, pluuiæ, nebulæ, fames, ſitis, & infinita alia.

Ita homini perpetuo conflictandum cum variis adversitatibus, vt sunt calamitates domesticæ, morbi, paupertas, &c. Et mille mortibus quotidie obiicitur homo. Summa, labor & dolor, Psal. 90.

DOCEMUR, Perpetuò in his terris standum in acie, contra varios nostros hostes. Atque pugnandum strenuè. Non decet milites ignauia, non fuga, non metus, non trepidatio.

State, Ephes. 6. v. 14. Resistite, 1. Pet. 5. Iac. 4. vers. 7.

Pugnandum autem contra Diabolum armis illis, quibus nos instruit Paulus, Ephes. 6. vide ibi.

Contra mundum his armis, de quibus 1. Ioan. 2. v. 16. Galat. 6. v. 14. 1. Corin. 7. v. 31.

Contra carnem his quæ Rom. 8. v. 6. & 12. atque seqq.

At vt possimus fortius pugnare & victoriam reportare, vigilandum, sobrietati studendum, orandum, 1. Pet. 5. Matth. 24. Mar. 13. Luc. 22.

Contra varias afflictiones pugnandum:

- Fide, Esa. 7. v. 9. Nisi credideritis, Ioan. 16. confidite.
- Spe, Esa. 30. In silentio. Rom. 8. v. 17. 2. Cor. 4. v. 17. 2. Tim. 2. v. 11.
- Patientia, Matth. 10. v. 38. Mat. 11. v. 29. Luc. 21. v. 19.

Qui legitimè certauerit coronabitur, corona immarcessibili, 2. Tim. 2. v. 5. & 4. v. 8. 1. Cor. 9. vers. 25. Vincenti dabitur, Apocalyps. 2. cap.

II. *Pars.*

Comparat etiam dies vitæ nostræ Hiobus seruorum & Mercenariorum conditioni. Illorum sanè dura & misera est vita, & fuit olim multo asperior, cum essent mancipia. Necesse est illos portare pondus diei & æstum. Desiderant itaq; gratam vmbram, & præstolantur finem operis. Seyn froh wann es feyerabend ist: vt possint respirare à laboribus, & quiescere paulisper.

Ita inquit Hiobus, multos absumpsi menses, vanis desideriis, vbi de mane desiderabam videre vesperam.

Quan-

Quando venerat veſpera (cum noctes inſomnes ducerem) deſideraui videre ſolem orientem.

Cauſa harum moleſtiarum recenſetur. Quia ſcilicet ſcabie maligna & ardentiſſima totum corpus Iobis erat obductum & quaſi incruſtatum: vt maluerit tegi tenebris, quam in conſpectu hominum ſedere. Tanta enim fuit corporis ipſius deformatio, vt non agnitus fuerit ab amicis. Vide ſupr. cap. 2. v. 12.

Licet autem non omnes per Dei gratiam perpetua cum inualetudine confligentur, tamen dies noſtri haud paulò ſunt meliores diebus mercenariorum, ſi vitæ noſtræ curſum penitius aſpexerimus.

In tantis enim & tam frequentibus viciſſitudinibus rerum humanarum, vbi ſemper extrema gaudii luctus occupat, Prou. 14. v. 13. vbi ſemper ſpes, timor, mors, Syr. 41. v. 1. vbi quod pretioſum labor & dolor, Pſalm 90. v. 10. vbi perpetua peregrinatio, Geneſ. 47. v. 9. Pſal. 119. v. 19. Et ſumma, vbi nihil, niſi puluis & cinis, & perpetuus ille στεναγμὸς omnium creaturarum, de quo Roman. 8. v. 22. quid quæſo aliud eſt, quàm perpetuum mercenariorum deſiderium.

DOCENT nos hæc quæ diximus, multum deſipere eos, qui tantoperè huius vitæ delitias deprædicant, (nobilem vitam illam vocantes) & qui perpetuò in his terris commorari optant. Quod faciunt qui inuiti moriuntur.

Numquid enim non magis grata eſt vmbra laboranti mercenario, quàm pondus & æſtus diei? Hinc pii deſiderant alterum domicilium ingredi & ſuperindui, 2. Cor. 5. v. 2. Cupiunt diſſolui, Phil. 1. v. 23. Canunt, nunc dimittis, Luc. 2. v. 29. Orant, veni Domine Ieſu. Apoc. 22.

At ſtulti homines, qui tantum terrena ſapiunt, Philip. 3. v. 19. quorum Deus venter, non quærunt quæ ſupra ſunt, Col. 3. v. 2. Phil. 2. v. 21. non tendunt ad metam præfixam, Phil. 3. v. 14. quia non credunt mortem lucrum, Phil. 1. v. 21. non intelligunt Mortuos quieſcere à laboribus, Apoc. 14. v. 13. in cubilibus ſuis, Eſa. 56. in fine.

THEMA VII. CLASSIS V.

Psal. 130. vers. 5. & 6.

Exspectaui Dominum, exspectauit anima, & in verbo eius speraui.

Anima mea in Domino à custodia matutina vsque ad custodiam matutinam.

DISPOSITIO.

Desumpta sunt hæc verba ex Psalmo 130. qui inter septem pœnitentiales est numero sextus: in quo Dauid veniam delictorum petit, ex corde pœnitenti, & sibiipsi spem facit indubiam, de clementissima Dei liberatione ex omnibus peccatis.

Hæc autem paucula quæ prælegimus verba docent, quid agendum in tentationibus, vbi angunt peccata, & quando non statim sentimus Dei gratiosam condonationem peccatorum. Quia igitur Dauid, qui in hac palęstra fuit exercitatus, nos suo exemplo optimè potest instruere, agite 1. diligenter attendamus animum ad ea, quę nobis hîc proponit. 2. Deinde etiam qua ratione nobis hæc vsui esse possint, dispiciendum erit.

I. Textus explicatio.

In magnis & grauissimis tentationibus (hoc enim est illud, De profundis) clamauit Dauid ad Dominum, & humiliter ab ipso petiit delictorum suorum remissionem & veniam. Quia nouit apud vnum Deum esse propitiationem, vt versus 4. innuit.

Quoniam autem non mox Satan cessat sua spicula in nos torquere, nec subitò euanescit omnis tentatio, ideoque Dauid in verbis prælectis ostendit.

1. Quod maximas illas tentationes superet spe firmissima. Exspectare enim se Dominum inquit.

2. Et vt exprimat certam atq; magnam fiduciam in Deum, repetit denuo, Exspectat anima mea. Ex corde & ani-

& anima mea in te ſolo omnem meam fiduciam colloco. Es geht mir von hertzen/ vnd iſt mir ernſt.

3. At numquid interdum fallit ſpes tua? Minimè. Etenim non in incertum ſpero, at in verbo tuo ſperaui.

Sic Pſalm. 27. verſ. 8. Propoſuit tibi cor meum, verbum tuum. Tu me non decipies, Quia in verbo tuo promiſiſti peccatorum remiſſionem omnibus pœnitentibus, ideoque nihil dubito, quin mihi ſis futurus propitius.

4. Interim tamen Deus ſæpè differt ſuum auxilium aliquanto diutius, vt non ſtatim ſentiamus gratiam illius & fauorem. Hoc me non terret, inquit Dauid. Ideoque inſtanter clamo & non ceſſo benè ſperare. Sperat anima mea à cuſtodia vna matutina ad alteram. De die in diem inſto & nunquam ceſſo.

II. *Loci.*

1. In omnibus tentationibus tutò poſſumus inniti verbo Dei & promiſſionibus illius, vt ſic alatur & ſuſtentetur in nobis fides. Niſi verbum tuum ſolatio mihi fuiſſet, periiſſem, Pſal. 119. v. 50. & 92. Nec quicquam hîc dubitandum, ſi maximè Deus videtur non velle ſtare promiſſis. Neſcit enim mentiri Deus, Hebr. 6. 1. Sam 15. v. 29. Verbum eius veritas, Ioan. 17. Pſal. 33. verſ. 4. Et prius cœlum & terra tranſiret, quàm periret vnus apex, Luc. 21. v. 33. Pſalm. 119. v. 89. Sit itaque verbum Dei firmiſſima ſalutis noſtræ anchora, Heb. 6. v. 19. Ideoque rectè Dauid. In verbo tuo ſperauit anima mea. Et hoc ſæpius repetiit, in verbo tuo ſuperſperaui, Pſalmo 119. v. 74 81. 114.

Rogat etiam Dominum vt confirmet in ipſo verbum ſuum, Pſal. 119. v. 28. & iuxta verbum ſuum erigat ipſum, Ibid. v. 25. vide Pſalm. 119. v. 49. & 50. Commendat quoque hoc nomine Dominum quod verbum inuiolatum ſeruat, Pſalm. 105. v. 8. & 42. Pſal. 56. v. 11. Pſalm. 33. verſ. 4. Contra verò reprehendit eos, qui non credunt verbis Domini Dei ſui, Pſal. 106. v. 12.

Notanda hæc ſunt contra Satanam, qui conatur nobis

bis persuadere in tentationibus, Deum non fore memorem promissi verbi sui de peccatorum remissione, præsertim cum videtur nobis Deus iratus & mutatus in crudelem, Hiob. 30.v.21. quando videtur nobis omnem præcludere aditum, Thren.3.v.9. Notanda contra propriam carnem, quæ conatur nos abstrahere à verbo Dei, vt tantum intueamur præsentia, in quæ incidimus mala: & existimemus Deum oblitum verbi sui, Psalm. 77.v.8. & seqq.

L.II. Docet etiam Psaltes, Deum interdum differre suum auxilium, & tum patienter exspectandum tempus quod ipsi placuerit. In silentio & spe, Esai. 30. v. 15. Et sic hortatur semetipsum Psaltes, exspecta Dominum, Psalm. 27.v.14. & 37.v.34. &c. Vide etiam Psalm. 40.v.1. & 52.v.11. & Psalm. 69.vers.7. & Psalm. 119 v.166.

Debet hoc in nobis excitare patientiam, quando moras nectere Deus, & non statim precibus nostris annuere videtur. Cogita, Dauid à custodia vna ad alteram cogitur exspectare, Iob. 7. aliquot menses exspecta. So wirdt dir Gott nicht gleich von stundan auffwischen.

Deinde facit hoc, ne Deo tempus præscribamus auxilii, quod Regulus fecisse legitur, Ioan. 4. v. 49. cum is sit adiutor in opportunitate, Habac.2.v.3. Si moram fecerit, &c. Vide Iudith 8. v. 13. Recte igitur canit Ecclesia: Er weiß wol wanns am besten ist. &c. Item Gott ist nit weit: Er weiß die Rechte zeit. &c.

Beati omnes qui exspectant, Esa. 30. vers. 18.

Potest hoc in specie iam etiam accommodari ad eos, qui morbis diuturnioribus premuntur, & sæpè desiderant liberationem. &c.

FINIS.

THEMA VIII. CLASSIS V.

Syr.30.v.17.

Melior est mors quàm vita amara, aut languor perseuerans.

DIS-

DISPOSITIO.

Quicquid viuit in terris odit mortem, & vitam diligit. Mortem enim malam, vitam autem bonam omnes iudicant. Nec mirum. Quia vita est à Deo authore omnis boni, Iac. 5. v. 17. Mors vero est à Diabolo authore omnis mali, vide Sap. 2. v. 24. At Syrach hoc loco monet, fieri etiam posse, vt mors sit melior vita, & vt viuens eligat mortem magis quàm vitam. Considerabimus igitur 1. qua ratione mors melior sit vita. 2 & quid ex hac cõsideratione vtilitatis ad nos redire possit, subiiciemus.

I. *Pars.*

Vitam alioquin vocamus nobilem vitam: sicut certè per se erat nobilissimum Dei donum. Ideoque non mirum quod omnis creatura diligit vitam. Et sanè si per nos staret, nemo optaret mori: si non essent quæ huius vitæ tædium possunt afferre.

Multa autem sunt quæ tædium vitæ afferunt, vt homo mori malit quàm viuere.

Ionas timens contemptum Niniuitarum optat mori, Ion. 4. v. 3.

Elias timens vitæ suæ, cum fugeret Isabelem, rogat, Tolle animam meam, 1. Reg. 19. v. 4.

Rebecca mauult mori quam videre nurus Gentiles, Gen. 27. v. 46.

Rahel mauult mori quam carere liberis, Gen. 30. v. 1.

Inter cætera autem vix est quicquam quod vitam magis faciat tędiosam quàm vita amara, vt est in Latina versione. Germ. Ein siech Leben.

Præsertim verò diuturnior, imo perpetua inualetudo vitam facit acerbam, vt homo eligat mori.

Et cum dolores sunt quotidiani, certè præstat mori semel quam sic viuere.

Quoties putas mulier illa incuruata, Luc. 13. menstruata illa, Matth. 9. paralyticus 38. annorum, Ioan. 5. & Æneas 8. annis claudus, Act. 9. optarunt mori?

Vide

Vide querelam Psalmi 38. v. 4. & seqq.

Numquid igitur verè dixit Syr. 41. ò mors quam dulcis es homini infirmo, & cui nulla melioris vitæ exspectatio.

Intellexerunt etiam Ethnici nonnihil, dicentes, Mors si non bona, finis tamen malorum est.

Rectius autem Christiani intelligunt ex hoc loco, Mortem esse bonam interdum, cum vita est amara ægris. Taceo iam cætera, quod scilicet mortuus liberatus est à peccato, Rom. 6. v. 7.

Et sanè piis inprimis bona est mors, quia pretiosa mors illorum in conspectu Dei, Psalm. 115.

Estq; illis dulcis somnus, Marc. 5. v. 39. Ioan. 11. &c. & optata quies, Apocal. 14. v. 13. Esa. 56. in fine.

II. Pars.

Ex hoc autem loco varias doctrinas petere licebit.

I. Discimus, quantum Dei beneficium sit sanitas & firma corporis valetudo: cum ęgritudo & morbi tantam secum ferūt molestiam, vt vita non tantum ægrotis sit amara, sed mortem etiam faciat chariorem vita, qua nihil ferè est charius in terris.

Pauci de hoc cogitant dum adhuc rectè valent, Syr. 30. Auro & diuitiis pretiosior sanitas corporis. Vide v. 14. & seqq.

Ideò sæpius experimur aduersæ valetudinis molestias, vt sic moneamur de hoc Dei beneficio: quod Hiskias expertus agnoscit, Esa. 38.

Gratitudinem itaq; suam Deo præstent, qui commoda vtuntur valetudine: & sic agant, vt corpore valenti Deo seruiant, nec sibiipsi intemperantia aut aliis peccatis varia morborum genera accersant.

II. Non temerè iudicandum de piis, si illi maximè grauibus & diuturnioribus morbis premantur.

Quamuis enim certum sit, languores & morbos esse peccati stipendia, tamen Deus etiam pios morbis corripi sinit,

fit, & diuturnis interdum infirmitatibus premit, tum propter alias, tum etiam sæpius hanc ob causam, vt fastidire discant hanc vitam, & sese præparent in tempore ad mortem. Qui enim sanus exhorrescit mortem & horribilissimum omnium malum esse iudicat (quæ infirmitas nonnunquam etiam in pios cadit, quia est via quæ ducit quò non vis, Ioan. 21. v. 18.) is æger & infirmus multò facilius patitur sibi persuaderi, mortem esse meliorem vita amara. Vide Hiob. 10. v. 20. Tum cogitant illi, meliorem esse diem mortis ipsa die natiuitatis, Eccles. 7. quod caro alioquin negat.

Et sanè magis optant mori, qui tristi lectulo sunt affixi, quàm qui rectè valent. Vnd kan sie Gott fein willig vnd demütig machen. qui alioquin vix potuerunt ferre vel leuissimam mortis mentionem.

III. Apparet ex hoc loco Syracidis, insanire eos, qui licet cum aduersa valetudine diu multumque conflictentur, tamen nollent mori, si penes ipsos staret optio: quod multi faciunt. Non intelligunt illi cum Paulo, quod sit melius esse cum Christo, Phil. 1. v. 23. Et sanè bifariam peccant homines hac in parte. Alij malunt perpetuò viuere ægri quàm mori. Alij vocant mortem, antequam tempus sit. Vtrique errant.

Monendi autem pij, ne ex impatientia doloris aut ægritudinis, tali ratione optent mortem, sicut Iob. 7. v. 15. sibi optat suspendium. Multò minus ipsi sibi manus afferre violentas tentent, quod Herodes fecisse legitur, sed voluntati diuinæ sese patienter submittant, & tempus liberationis à Deo expectent. Orare quidem & ingemiscere licet, pro liberatione (quam omnis creatura desiderat, Rom. 8. v. 22.) at semper hoc addatur, Fiat voluntas tua, Matth. 26. v. 42.

IV. Tandem agnoscere discamus, vnde sint morbi & omnis generis infirmitates: sc. pœnas esse peccati. Vide Leuit. 26. Deuter. 28. & 1. Corinth. 11. multi sunt inter vos infirmi. Caueamus igitur peccata, & inobedientiam, præser-

prӕsertim si ex morbo aliquo conualuimus, memores illius dicti, Ioan. 5. Noli amplius peccare, &c.

FINIS.

THEMA IX. CLASSIS V.

Psalm. 119. vers. 83.

Factus sum sicut pellis in fumo: praeceptorum tuorum non obliuiscor.

DISPOSITIO.

Mirum absq; dubio videbitur vobis, charissimi, quare in huius funeris deductione de pelle in fumo sim verba facturus. Et nihil aut parum vtilitatis, ex cōcione de pelle in fumo, ad vos rediturum existimabitis. At cum hæc sint verba Dauidis (de quo 2. Sam. 23. Spiritus Domini loquutus est per me) certum est, quod non caritura sint suis doctrinis: præsertim cum immiscuerit hæc rebus grauissimis, & maximè seriis, in hoc Psalmo, qui prolixitate omnes alios superat, & de verbo Dei multa tractat.

Nos itaque primum pellem ad fumum suspensam intentis oculis acerrimè contemplabimur, & genuinum horum verborum sensum inuestigabimus. Deinde etiam, quid hæc similitudo nos moneat, notabimus.

I. Pars.

Precatur hoc loco Psaltēs ardentissimè pro auxilio diuino contra hostes suos, qui ipsum miris modis excrucient. Et se ærumnis & calamitatibus variis consumi queritur. Inter cætera verò in hoc versu attenuationem virium suarum egregia atque appositissima similitudine, de pelle in fumo, depingit.

1. Sicut enim pellis fumo exsiccatur, ita ærumnæ quoque & calamitates exsiccant omnia hominis ossa, vt corporis atq; animi vires deficiant, perpetuò scil. mœrore exhaustæ.

2. Fumus non exsiccat tantum pellem, sed etiam in-

durat illam, si diutius ad fumum suspensa sit. Ita diuturniores afflictiones videntur etiam nostrum animum indurare, vt abiecta spe bona, interdum vix amplius admittat consolationem.

3. At licet pellis fumo exsiccata & indurata sit, mollescit tamen denuò opera coriarij aut pellionis, adhibitis iis mediis, quæ huic rei conueniunt. Ita Dauid addit hoc etiam, quod licet planè videatur de ipso actum esse, tamen se præcepta Domini nunquam obliuisci. Quid velit his verbis, ostendunt ea quæ sequuntur vers. 92. Nisi legem tuam meditatus essem, periissem in calamitate. Et addit verba his, quæ pro manibus habemus, similia, In æternum non obliuiscar mandatorum tuorum, v.93. Quoniam viuificor in iis. Hæc sunt quæ cuti resiccatæ & induratæ mollitiem & lenitatem adferunt.

4. Intellexit namque Psaltes, quod sicut pellis ad fumum (quemadmodum etiam carnes & multis in locis pisces) suspendatur, non vt consumatur & planè fiat inutilis, sed vt hac ratione aliquantisper præseruetur à vermium & tinearum corrosione: sicut scimus etiam cineribus adhuc calentibus pelles ceruorum recens detractas ad tempus præseruari, ne putrescant, & à vermibus arrodantur.) Ita ærumnas & calamitates bonum adferre remedium, ne caro putrefiat, & reddatur inutilis Deo. Hoc est quod hoc eodem Psalmo v.71. agnoscit: Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me, &c.

II. Pars.

I. Discimus ex hac similitudine, quod Deus suos Electos quoq;, & pios homines fumo maceret, & quasi arefaciat. Hoc fit per varias calamitates, vt sunt paupertas, ægritudo, morbi, ignominia, &c. quæ exsiccant & exhauriunt omnē vigorem animi & corporis. De qua ariditate etiam alia scripturæ loca sonant, Ps.22.v.16. Aruit sicut testa. Esa.21.v.4. Emarcuit cor meum. Psal.102.v.5. Aruit cor meum. & v.12. arui sicut fœnum, Esa.17.v.4. Emarcescet venter Iacob. &c.

Iuxtà

Iuxta tamen tenendum & hoc, Dominum hac ariditate non velle suos perdere, sed conseruare, ne pereant cum mundo 1. Cor. 11.& putrefiant in voluptatibus huius mundi, vt Deum suum non amplius curent.

Sicut enim bonus Oeconomus carnes, pisces &c. quæ asseruare vult diutius, sale aspergit & in fumo torret, ita Deus fumo tentationum pios exercet & probat, tanquam in camino ignis, & ne putrefiant cauet.

Consoletur igitur fumo afflictionum siccatos hæc Dei Oeconomia. Et discant quomodo cum suis agere soleat Deus.

II. Sed est nobis hic fumus alia quoq; ratione considerandus. Fumus aliàs etiam significat iram Dei. Psalm. 18. v. 9. Fumus ascendit ab ira eius. Idem. 2. Sam. 22.

Ideoque fumat mons in promulgatione legis. Ex. 19. v. 18. Et Esa. 6. domus repleta est fumo. Vide etiam de fumo iræ Dei in puniendis hominibus. Esa. 9. v. 18. & 14. v. 31. & 34. 10. Nah. 2. v. 13.

At sicut fumus est oculis intolerabilis, Prou. 10. v. 26. ita ira Dei nobis intolerabilis erit, obscurabit omnes consolationes, nisi placetur intuitu meriti Christi. Cauendum itaque ab ira Dei, ne hunc fumum in nos concitemus, alioquin prorsus conficiemur. Quia ira Dei ignis consumens Deut. 4.

III. Docent etiam paucula verba Dauidis, (Præceptorum tuorum non obliuiscor) quod non propterea debeamus deficere à Deo, & ipsi mox omnem amicitiam renunciare, si maximè ad fumum nos aliquantisper suspendat. Man muß jme nicht alsbalt den Sack vor die thür wöllen werffen. Quin potius verbo illius omnem fumi huius molestiam depellendam & leniendam sciamus. Hoc est vno verbo, in omnibus afflictionibus quærendam consolationem ex verbo Dei, quod est instar instructissimi pharmacopolii: imprimis Psalterium.

Vide huius 119. Psalmi v. 50. & 92. & 143. Vide etiam Psalm.

Psal. 77. v. 2. & seqq. Summa, Quia ego viuo & vos viuetis, ait Christus, Ioan. 14. v. 19.

Weil Christus lebt / leben wir auch /
Ob vns schon vbel beist der Rauch.

FINIS.

THEMA X. CLASSIS V.

Matth. 9.

Historia de muliere hæmorrhousa.
Extat eadem Marc. 5. & Luc. 8.
Legitur aliàs Dom. 24. Trinitatis.

DISPOSITIO.

Petrus mulieres etiam consortes gratiæ vocat, 1. Pet. 3. Id verum esse, Christus ipse demonstrat, non tantùm insigni miraculo sanans mulierem afflictissimam, sed etiam fidem illius commendans, & consternatam blandissimis verbis erigens.

Nos primum de morbo & calamitate huius mulieris dicemus.

Deinde quis huic malo medicinam fecerit, audiemus.

I. Pars.

Muliercula hæc multis modis misera est.

1. Laborat enim morbo graui & difficili.

2. Et tali quidem, cuius pudet ipsam. Ideoque non vult prodire in conspectum Christi. Et tandem coacta cum tremore refert de sua calamitate.

3. Grauior morbus quanto est diuturnior. Nam 12. annis passa est hoc malum. Longum sanè tempus.

4. Accedit quod hic morbus omnē illius substantiam absumit: & tamen augetur malum quotidiè, Marco teste.

L. Multæ & magnæ sunt mulierum infirmitates. Et fatendum est, illas omnes habere originem à peccato primæ mulieris.

Et hoc persæpè multum angit pias matronas, quæ tentantur hoc nomine, quod Deus ipsis minus sit propitius. (Impiæ enim de his non cogitant, & cum illis hoc loco nihil nobis negotij.) Auget has tentationes Satan, qui singulariter odit hunc sexum, propterea quod semen mulieris caput suum contriuisse nouit. Nec dubium quin variis modis tentata fuerit hæc mulier.

At solatium capere possunt ex hoc loco maximum, quod Christus illorum etiam curam suscipere velit (quia tam blandis verbis hanc mulierem alloquitur, Confide Filia, Luc. 8. Et hoc omnibus mulieribus dictum putent, quod sint filiæ dilectæ) quodq; ex semine mulieris natus, multum mulieribus conuersatus viuus. Et post mortem mulieri primum apparuerit, Ioan. 20. vers.14. Et quod in Christo neque mas nec fœmina. Gal. 3. v. 28. Mulieribus autem salus in specie promissa.1.Pet.3. 1. Timoth. 2. v. 15. Ita tamen si fidem habeant, quod etiam exemplo huius menstruatæ secunda pars docebit.

II. *Pars.*

I. Misera mulier quærit Medicos, sed frustrà. Partim quod maior vis morbi, quàm vt Medici potuerint iuuare: partim quod non nisi à Medico omnipotente debebat sanari.

Imò omnem substantiam suam in Medicos profundit, & tamen semper sunt posteriora deteriora prioribus.

L. Antequam pergamus, videmus ex hoc loco, licet Medicina insigne sit donum Dei, Syr. 38. tamen interdum illam planè nihil facere contra morbos. Sicut Sap. 16. nec herba nec emplastrum.

Causæ sunt duplices. Aliæ etiam externæ.

1. Vel quod imperiti sæpè quæruntur, (Kälberärtzet) & negliguntur veri Medici: quod vulgo solenne est, partim vt sic nummis parcant, partim quia veram medicinam ex imperitia contemnunt, & magis delectantur anicularum, opiliorum, rusticonum & quorumcunque

cerdo-

cerdonum atque præstigiatorum coctionibus atq; nugis. Quod vehementer est contumeliosum in artem Medicam: nec ferendum Magistratui.

Taceo iam eos qui Magos & quosuis incantatores potius quàm Medicinæ Doctores consulunt.

2. Vel, quod vi quasi extorquere à Medicis sanitatem conantur, & id absque omni mora: Multi etiam pecunia valetudinem redimi posse putant. Aliqui mox, vbi non prima die vim pharmaci sentiunt, alium post alium quærunt Medicum, dummodò quid adhibeatur, quod confestim abigat morbum. Stulticia hæc est, si non insania.

Aliæ verò sunt causæ internæ. 1. vel quod Deus non vult sanari ægros, certo consilio, ideoque vim adimit medicinæ. 2. vel quod animus ægri non est syncerus, nec fidit Deo, sed plus confidit in Medicis, sicut Asa. 2. Par. 16. Qua Methodo autem procedendum, vt sanitatem recuperare possimus, porro docebit mulier menstruata.

II. Videns hæmorrhousa frustra adhiberi omnem medicinam, tandem (quod primo loco fecisse debebat) vera fide ad Christum accurrit. Magna autem & commendatione digna est fides illius: quod non tantum à Christo sanitatem sperat, sed hoc sibi habet persuasissimum, quia non audeat de suo morbo apud illum in conspectu virorum conqueri, sanam se tamen fore, si modo possit tangere fimbriam vestimenti illius. Christus autem & fidem & cogitationes, atque id etiam quod à tergo factum, videt, quia καρδιογνώστης est. Ideoque virtute à se exeunte iuuat. Nec vult occultari miraculum, nec fidem mulieris, quam commendat. Recita totam historiam ex tribus Euangelistis.

Locvs. Videmus quis verus Medicus, qui omni morbo, quouis tempore & loco medicinam facere possit: Filius scilicet Dei, qui idem operatur quod pater, qui se Medicum profitetur Deut. 32. v. 39. Exod. 15. v. 26. Sic etiam filius Matth. 9. v. 12.

Et hic quidem primò omnium quærendus piis precibus, Syr.38. Iac.5. Hiskia, Esa.38.v.2. Deinde etiam legitima media adhibenda, exemplo eiusdem. vers.21.

Sicut autem in hominibus Medicis, & in arte medica nunquam est confidendum: Ita vicissim firma fide huic Medico adhærendum, neq; de illius omnipotentia quicquam dubitandum. Exemplo huius mulierculæ.

Et certò statuendum, præsens auxilium paratum ab ipso credentibus. Si non quo ad salutem corporis, tamen quantum ad salutem animæ. Ideoq; semper precibus addendum, Fiat voluntas tua. Sic leprosus, Domine, si vis, potes, Marc.1.v.40.

De superstitiosis Reliquiarum cultibus, quibus ex hoc loco fundamentum quærunt Pontificij, non est hîc dicendi locus.

FINIS.

THEMA XI. CLASSIS V.

Matth.9. Marc.2. Luc.5.

De sanato Paralytico.

Legitur historia Dominic. 19. Trinitatis.

DISPOSITIO.

Non vulgarem nec contemnendam historiam hanc esse quam prælegimus, inde facilè colligitur, quod illa à tribus Euangelistis accuratissimè cum omnibus circumstantiis descripta extat. Et confirmatur nobis hîc articulus fidei, De remissione peccatorum. Proinde nos illam examinabimus diligentius, & Primum varias circumstantias, quæ circa hoc miraculum notandæ sunt, considerabimus.

Deinde Pharisæorum murmur, & Christi Apologiam audiemus. Tertiò, spectatorum iudicium obseruabimus. De posterioribus autem partibus, quia minus seruiunt instituto, quàm prima pars, breuius etiam dicemus.

I. Pars.

I. Pars.

1. Designatur locus, vbi factum miraculum, scil. Capernaum. Illa vocatur Christi ciuitas, quia sæpè hîc fuit, & multos ibi habuit familiares, Centurionem, Regulum, &c. licet aliàs non habeat quo caput reclinet, Matth. 8. v.20. Multa etiam & ingentia hîc miracula edidit. Hîc censum etiam soluit, Matth.17. Ingratis autem minatur væ, Matth.11.v.23.

2. Morbus hominis notatur, qui Christo est oblatus, paralysis scilicet. Homo miserrimus, cuius nec pedes nec manus faciunt officium, ideoque aliorum opera portandus est in lecto.

3. Baiuli quidam viri boni & credentes in Christum, apportant paralyticum. Et per tectum demittunt, vide Marc.2. Magna charitas erga proximum. Magna fides, quam vidisse Christum, author est Matthæus.

4. Nec baiulorum tantùm fidem, sed & ipsius Paralytici fidem, & tentationes de peccatis, quæ causa huius morbi sunt, videt. Ideoque primùm de remissione peccatorum illi spem facit Christus.

Quod enim tentatus fuerit durante morbo, hinc patet, quia Christus ipsum erigit, confide.

Et quod in Christum crediderit, inde videtur rectissimè colligi, quod Christus ipsum vocat filium. Confide fili. Impossibilè enim est placere sine fide, Hebr.11.

5. Sublatis causis morbi, Christus ostendit facilè etiam posse tolli effectum. Quia verò difficilius hoc apparebat priori, ideoque etiam paralysin curat Christus. Sic qui modò in lectulo portabatur, iam ipse lectum tollit, & domum reportat.

Insigne miraculum, insignis Christi bonitas, qui corpori & animæ medicinam facere studet.

Singulæ sanè circumstantiæ singulas possunt exhibere doctrinas. Nos præcipuas tantùm delibabimus.

L. I. Quia ciuitas Capernaum, licet à Christo summis laudibus & honoribus cumulata, tandem tamen

maledictioni ſit obnoxia, docemur, propter hominum ingratitudinem erga Miniſterium, verbum Domini transferri ab vna gente ad aliam, & maiorem fore condemnationem eorum, qui verbum Dei aliquando habuerunt, quàm qui eodem planè caruerunt. Seruus enim ſciens. Luc. 12. v. 47.

L. II. Cauenda intemperantia, iracundia, & cætera peccata, quæ paralyſin & ſimiles morbos accerſere ſolent. Et hoc agēdum ſi propter noſtram culpam his morbis ſumus caſtigati, vt remiſſionem conſequamur peccatorum. Beati. Pſalm. 32. v. 1. licet non ſemper externa corporis membra ſanentur. Dummodò Deum habeamus propitium, Pſal. 73. v. 25. & dummodò animę benè ſit. Dicendum illud, Hîc vre, hîc ſeca Domine, ibi autem parce.

L. III. Hi Baiuli docent illud Rom. 12. v. 13. Neceſſitati ſanctorum communicandum. Quod autem hi faciunt externo opere, nos faciamus precibus. Sic ægros & afflictos deportamus in conſpectum Chriſti. Ideò Paulus frequentes vult eſſe interceſſiones. 1. Tim. 2. v. 1.

L. IV. Principalis locus hic eſt, vnde morbi & ægritudines. Alij tantum dependent à cauſis ſecundis, alij veneficis, &c. & hominibus tribuunt hoc. Pauci de peccatis cogitant: quæ ſunt Chriſto teſte potiſſima cauſa, non paralyſeωs tantùm, ſed omnis morbi. Ideò primò omnium à peccatis liberat hunc miſerum paralyticum.

Qui igitur cupit recuperare ſanitatem, hoc agat vt reconcilietur Deo. Et vitet peccata. Vide Syr. 38. Tunc anima illius ſanabitur. De corporali valetudine non ſit ſollicitus. Peccatis enim remiſſis etiam ſanabitur corpus, niſi Deus intelligat, diuerſum homini magis prodeſſe.

Et tum perfectam ſanitatem largietur Dominus pœnitentibus & credentibus, vbi nulla recidiua metuenda. Beati illi qui in Domino moriuntur. Apoc. 14.

II. Pars.

Chriſtus bonus eſt. Phariſæi nequam ſunt. Ideoque quod

quod bonum est student calumniari Sed non audent hoc proferre, quod Christi absolutionem a peccatis habeant pro blasphemia. Christus autem καρδιογνώστης prodit illorum cogitationes, & refutat paucis. Difficile vobis videtur, homini posse remittere peccata, quod Dei est.

At longè difficilius vobis, sanare paralyticum. Vtrumque ego possum. Quia filius sum hominis, habens omnem potestatem in cœlo & terra. Matth,28.v.18.

Vtque hoc intelligatis, Ecce sano hìc paralyticum vno verbo: Surge paralytice, deporta lectulum.

L.I. De omnipotentia Christi hominis. De qua non nisi Turcis & Arianis potest esse dubium. Habemus præter verba Matth, 28. in hoc loco ipsam αὐτοψίαν.

L.II. De calumniis & calumniatoribus dici posset.

L.III. De Christo scimus quod sit καρδιογνώστης πάντων. Nemo igitur conetur illi fucum facere. Soletur autem pios, quod innocentia ipsorum nota sit Christo, si maximè premantur ab impiis, ad tempus. Huic commendent causam, sicut is patri.1. Pet. 2.v.23.

III. Pars.

Spectatores huius miraculi pij agnoscunt diuinum esse miraculum. Gratias agunt Deo, quod in terris etiam annuntiari sinat remissionem peccatorum.

LOCVS. Et nos grata mente agnoscamus ingens hoc Dei beneficium, quod pœnitentibus peccatorum remissionem etiam per homines vult annuntiari: & quod ipse in cœlis ratam vult habere absolutionem istam Matth.16. Ioan.20. Magna hinc ægris, & morituris imprimis, accedit consolatio.

FINIS.

THEMA XII. CLASSIS V.

Luc. 13. vers. 11. ad 14.

De muliere incuruata.

DISPOSITIO.

In conſpectum noſtrum introducit Lucas mulierem infirmam & incuruatam, quæ ſic à Satana ligata eſt, vt cœlum intueri non poſſit. Triſte ſanè ſpectaculum. At quia Chriſtum accedit tempore opportuno, cum doceret in ſchola die Sabbato, benè habent res eius, & diſcedit illa cum gaudio. Ingrediamur ergo & nos illam ſcholam, non videndæ tantùm mulieris, ſed magis diſcendi cauſa, & erit nobis hæc hiſtoria iucunda atq; vtilis.

Primum autem hanc mulierculam ægram & incuruatam, deinde etiam ſanam & erectam contemplabimur, vt ſic collatione contrariorum magis illuſtris fiat hiſtoria.

I. Pars.

Miſera eſt hæc mulier, non vno tantum nomine.

1. Infirma eſt, & ſpiritum habet infirmitatis. His verbis oſtenditur, illam à ſpiritu maligno fuiſe afflictam. Sic enim Chriſtus poſtea dicit, fuiſſe illam ligatam à Satana.

2. Cumque Deus os homini ſublime dederit, vt poſſit cœlum tueri, & erectos ad ſydera tollere vultus, illa cum animantibus cæteris terram pronaſpectare cogitur. Eſt enim incuruata, vt non poſſit ſeſe erigere.

3. Durauit autem hæc miſeria 18. annis, atq; multo tempore. Quod ſi maximè in re lauta fuit, miſera tamen eſt, & deriſa ab omnibus. Der Kinder Spott. Sin verò paupercula fuit, magis eſt miſera, quia non poteſt laborare manibus, & victum ſibi parare. Quoties igitur optauit mori? At 18. annis ſic affligitur.

4. Sed forſitan fuit impia, ſaga & venefica. Ein alte Vnhold / die der Teufel alſo geritten vnd gezeichnet: Negatur hoc. Chriſtus enim vocat ipſam filiam Abrahami. Iudæos alioquin filios Abrahami eſſe negat, quod non faciant opera Abrahami. Ioan. 8. Piam igitur fuiſſe non eſt dubium. Interim tamen veriſimile eſt, quod coram hominibus viſa fuerit peccaſſe præ multis aliis, quod tàm grauiter affligitur.

5. Et quod pia fuerit, vel hinc patet, quod Sabbato reptat ad synagogam, vt sc. audiat verbum Dei, & consolationes inde sentiat, cum haud dubiè sæpè fuerit tẽtata. Et ad Christum quidem tum in schola docentem & sanãtem accedit, vt animæ & corporis remedium inueniat.

DOCTRINA. Videmus variis & grauissimis morbis obnoxios esse homines.

1. Vnde autem illi? A Deo. Non cadit capillus de capite, Matth.10. Ego percutiam, Leuit.26. Deut.28. Mortificat & viuificat Deus, 1.Sam.2. Deut.32. Bonum & malum ab ipso, Thren.3. Esa.45. Amos 3.

2. At variis modis immittit morbos.

Vel immediatè, vt Ieroboami manus arida, 1. Reg. 13. Lepra Vsiæ, 1.Reg.15. 2.Par.26.

Vel mediatè, aut per Angelos, bonos aut malos.

Angelus occidit primogenita Ægypti, Exod.12. Sanheribi exercitum, Esa. 37. Disseminat pestem tempore Dauid, 2.Sam.24. Herodem percussit Angelus, Act.12.

Vel per homines, vel per contagionem, vel per aëris infectionem, &c.

3. Nec impios tantum sic affligit, sed & Iobum & mulierem hanc, per Satanam. Sic etiam Paulus à Satana colaphizatur, 2.Corin.12. Hoc tamen permittit Satanæ aliquando, cum hac conditione, ne noceat vel vitæ, vel animæ. Exemplum Iob. Vel aliis morbis visitat pios, vt Hiskiam, propter certas causas, vt ardentius orent, Esa.26.v.16. vt probetur illorum spes, fides, patientia, Tob.2. v.12.

4. Quid igitur faciendum ægris, à Deo percussis, vel Satanæ malitia, vel contagione, vel aliis causis mediantibus? Numquid opera Diaboli (vel Magorum, & incantatorum, quod idem est) vtendum? Minimè verò. Tum enim curasse videtur Satanas, cum cessat affligere. Num hominum medicina ante omnia vtendum, & in Medicis confidendum? Nequaquam. Peccat enim Asa hac in parte, 2.Paral.16. Suo tempore adhibeatur medicina, si prius, iuxta exemplum huius mulierculæ, accesseris

ad Christum & Synagogam: hoc est, si prius Deum precibus tuis compellasti. Ad eum enim respiciendum, qui percussit & sanabit, Hos.6.v.1. Deut.32.v.39. Non Diabolo, nec hominibus, aut causis secundis hoc tribuendum, sed Deo, in cuius manu vita & mors est, Sap 16. Et sine cuius voluntate nec Satan, nec totus mundus quicquam nocere potest.

Iob dicit, Deus abstulit, non inquit, Diabolus hoc fecit, licet non ignoret, Diaboli malitia ipsum vexari. Sic mulier hæc Christi auxilium in corde suo vera fide, etiam tacens, implorat. Nec frustrà, vt sequitur.

II. Pars.

Christus videt miseriam mulieris, & intelligit etiam cogitationes cordis ipsius: ideoque illam nihil adhuc petentem ipse compellat, & ad se vocat: Ego soluam te à vinculis maligni Spiritus, inquit. Et quamprimum manu sua Christus tangit mulierculam, erecto corpore incedit. Illa verò non mox ad sua reuertitur, non ad choreas, saltationes, ludos, &c. accurrit, sed celebrat Deum, ait Lucas, hoc est, gratias agit Deo, atq; filio ipsius IesuChristo, pro insigni hoc beneficio restitutæ sanitatis, &c.

L. I. Rogabimus Dominum, quicunque sumus ægri & afflicti, vt manum suam etiam extendat ad nos.

Et sciendum, manum illius non esse abbreuiatam, Esa.59. At non semper ad primum gemitum iuuat, sed 18. prius anni hîc elapsi sunt, quàm sanetur misera, cum sanè citius etiã iuuare potuerit. Habet eius rei suas causas, de quibus aliàs. Sic Æneas 8. annis, Actor.9. Paralyticus ille Ioan.5. triginta octo annis, Vsias ad mortem vsq; miser, 2.Chron.26.

Hîc patientia opus erit, Thren.3.v.26. Hebr.10. Luc.21. Interim verò accede ad Synagogam, id est, templum, & ex verbo Dei pete consolationem, additis Sacramentis. Et vide vt sis & maneas filius Abrahæ, hoc est, fidelis.

L. II. Si quis Dei beneficio pristinæ sanitati restitutus

tus est,gratus sit erga Deum, exemplo huius mulierculæ. Et porrò vitet peccata, ne quid deterius accidat ipsi. Vide Ioan.5.v.14.Et non agat iuxta Prouer. Wann der Kranck genase/ꝛc.

L. III. Multi sunt erecto corpore, & habent tamen Spiritum alterius infirmitatis. Alius Spiritū habet ebrietatis,auaritiæ,inuidiæ,&c. Hos incuruat Satan, vt terrena tantùm quærant, Phil.3.v.19. Hi dent operam, vt soluantur ab istis vinculis: alioquin ligatis manibus & pedibus præcipitabuntur ad inferos, in lacum ardentem, Matth.22.Apoc.21.

FINIS.

THEMA XIII. CLASSIS V.

Ioan. 5. vers. 5. ad 10.

De languido 38. annorum sanato.

DISPOSITIO.

Insignis hoc loco calamitas boni alicuius viri describitur,& insigne simul miraculum, quod Christus in sanando illo edidit,annotatur. Notandum autem, quod cum eodem loco plures simul iacerent ægroti, Christus hunc delegerit,qui & diuturnitatis & vehemētiæ morbi ratione,planè erat desperatæ valetudinis, vt in ipso ostenderet exemplum potentiæ. Da hat er sein Meisterstück wöllen beweisen/quod Magister ad saluandum sit, Esa.63.

Nos primùm personam ægram decumbentem: Deinde Christum sanantem considerabimus.

I. Pars.

Erat Hierosolymis in piscina, vbi oues sacrificiis destinatæ abluebantur,domus pauperum νοσοκομεῖον, valetudinarium, (Hebræis Bethhesda vocatur, quod ibi benefiat pauperibus) Ein Spital/ Seelhauß/ Lazareth/ vbi iacebāt miseri (habebat enim illa colymbethra quinque porticus) & ægroti, cœci, atque claudi, &c. homines, qui & à prætereuntibus ad templum, eleemosynam

acci-

accipiebant, & motum ſeu turbationem aquæ, quæ certo tempore ab angelo fiebat, exſpectabant, vt ſanitatem recuperarent. Ibi inter alios eſt homo miſerrimus.

1. Æger, & vt putatur paralyticus. Non enim ipſe poteſt deſcendere in piſcinam.

2. Pauper abſque dubio. Quia neminem habet qui ipſum demittat in piſcinam. Non poteſt alere famulos.

3. Contemptus & neglectus ab aliis iacet. Nemo illum 38. annis in piſcinam demiſit.

4. Infælix præ aliis, qui illum ſemper anteuertunt.

5. Idque durat longo tempore, annis 38. Tempus ſanè longum ægro, ſi ſupputauit 456. menſes, quibus exſpectat, vt Iob. 7.v.3. aut hebdomadas quæ maiorem producunt numerum, ſc. 1824. ſeptimanarum. Nox vna vel dies vna, quæ ægritudinem habet, videtur eſſe inſtar anni: at hic 12768. diebus languidus eſt.

Quid mirum igitur ſi ex impatientia maledixiſſet diei Natiuitatis ſuæ, vt Hiob. cap.3. Et Hieremias cap.20. Potuit enim ſibi imaginari, quod à Deo & hominibus ſit deſertus, cum multi alij abierint ſani, ipſo poſt ſe ſemper relicto ægro.

At patiens eſt, non murmurat aduerſus Deum, nec inuidet aliis ſanitatem. Quod vel hinc patet, quia Chriſto (quem tamen nondum nouit) percontanti, num vellet ſanus fieri, tam placidè reſpondet, Nemo me demittit. Non imprecatur aliis mala, neminem accuſat, non murmurat, &c.

Locvs. Talia exempla diuturnæ ægritudinis non in hoc tantum paralytico, ſed & in claudo ab vtero, & Ænea, & in muliere incuruata, atque in hæmorrhouſa, & in cœco aliiſque proponit ſcriptura, Act. 3. & 9. Luc. 13. & 8. Ioan. 9. vt fidem & patientiam diſcant, quibus eadem eueniunt à Deo.

Nihil enim ferè magis ad deſperationem & impatientiam ſolicitat, quàm morbi grauioris diuturnitas. Putant enim hi ſe à Deo & hominibus abiectos.

Hinc

Hinc indignatio, murmur Iob. 3. & 6. v. 11. & 19. v. 6. Ex hac ægri morositate etiam domestici, vxor, liberi, famuli, & qui curam ægrotorum habent, ad eandem impatientiam incitantur. Iob. 19. à vers. 13. vsque ad vers. 20. & cap. 6. vers. 15.

At hæc & similia exempla proponit Deus, vt intelligant pij, se non tantum sic affligi, sed eadem euenisse aliis. Hîc fides & patientia sanctorum. Ap. 13. v. 10. Habet Deus huius rei causas quas ipse probè intelligit.

1. Sic exercet & probat fidem, spem, patientiam, Esa. 48. Electum & probatum te faciam in fornace. Syr. 2. v. 5. 1. Pet. 1. v. 7.

2. Sic auocat à peccatis, quæ alioqui committeret sanus. 1. Pet. 4. v. 2.

3. Excitat desiderium alterius vitæ 2. Cor. 5. v. 2.

Ideoque hoc patienter ferant, scientes hanc ægritudinem cooperari in bonum. Rom. 8. v. 28.

Non inuideant sanis. Prou. 14. v. 30.

Non murmurent aduersus Deum: sed exspectent auxilium Christi, qui propè est, vt sequitur hoc loco.

II. Pars.

Languidus ille post 38. annos haud dubiè iam omnem spem recuperandæ sanitatis abiecit. Ecce autem nihil tale exspectanti Christus adest, & opportunè venit. Quærit ex illo, Num velit sanus fieri, vt scilicet sic illius animum exploret, quid sit facturus, & vtrum non indignè hanc quæstionem accepturus. Cumq; humiliter respondisset, & desiderium sanitatis explicasset, quo iam multis annis tenebatur, Christus iubet ipsum, tollere lectulum & abire. Et hoc simul dicto sanat ipsum vt validus abire possit. Deportat lectum suum die Sabbato. Et nescit quis sit is qui sanauit ipsum, donec post dies aliquot compellatus à Christo in templo (vide vers. 15.) intelligit esse Iesum

I. Magnum hinc ægri capere possunt solatium, quod

sc. nul-

ſc. nullum ſit malum tam inueteratum, cui non poſſit mederi Dominus, Non eſt manus illius abbreuiata, Eſa. 59.

Quamuis autem non omnes credentes corporaliter ſanare velit, diſcimus tamen hinc affectum illius, qui eſt perpetuus & immutabilis.

1. Quò grauior eſt morbus, eò propior eſt Dominus. Propè enim eſt Dominus, Pſal. 145. v. 18. Phil. 4. v. 5.

2. Et audit preces antequam clamemus, Eſa. 65. Sanat hîc antequam compelletur ab ægro: vt & Luc. 13. Ideoq; nunquam deſperandum. Veniens enim veniet, Habac. 2. v. 3. Pſal. 130. A cuſtodia. Et veniet opportuno tempore: vel iuuans hîc, vel beans illic. Scit enim optimè quid animæ & corpori ſit ſalutare.

L. II. Omnibus ferè tentationibus ex hoc loco obuiam ire poteſt homo in diuturnis morbis. Vt cum cogitat:

1. Dominus oblitus eſt mei: aut ignorat me: Imò verò nouit hunc, cui ille erat incognitus, Eſa. 49. Numquid poteſt mulier obliuiſci, &c. Non cadit capillus, Matth. 10.

2. Nemini vtilis ſum æger: omnibus moleſtus. Imò, Tu alios debes docere fidem, ſpem, patientiam, tuo exemplo, Tob. 12. v. 12.

3. Morbus planè deſperatus eſt. At non eſt abbreuiata manus Domini, Eſa. 59. Abundanter poteſt facere vltra quam nos intelligimus, Eph. 3. v. 20. Magiſter ad ſaluandum, Eſa. 63. v. 1.

4. At miſeria hæc videtur indicare Deum iratum. Minimè. Quem diligit filium, caſtigat, Hebr. 12. Et oportet nos conformes fieri imagini Chriſti, Rom. 8. v. 29. Si compatimur, 2. Tim. 2.

5. Non poſſum diutius ſuſtinere. At virtus mea in infirmitate perficitur, 2. Corinth. 12. v. 9. Non vltra vires, 1. Cor. 10. v. 13.

6. Fortaſſis non ſatis ardenter oro. At ſpiritus interſedit, Rom. 8. v. 26. 27. Iuuat Chriſtus hîc non orantem.

Audit

Audit etiam gemitus Deus, Esa.38.v.14. Excitauit mortuos nihil petentes.

FINIS.

Thema XIV. Classis V.

Luc.21. vers. 19.

Possidete animas vestras in patientia.

DISPOSITIO.

Paucula sunt hæc verba Christi, sed carni & sanguini tam grauia atq; difficilia obseruatu, vt nihil supra. Quid enim grauius quā patientiam præstare in aduersis. Hinc ipse Iobus patientiæ alioquin nomine celebris exclamat, cap.6.v.11. quis finis meus, vt patienter agam. At licet hoc carni aut sanguini difficilimum videatur, animam tamen in patientia possideri seu teneri vult Christus. Et valet hic etiā ista regula, Marc.13.v.37. Quod vobis dico, omnibus dico. Pertinent enim hæc non ad discipulos tantùm, sed ad omnes Christianos, qui volunt esse Christi discipuli.

Primum igitur considerabimus, qualem patientiam Christus a nobis requirat.

2. Quam illa sit necessaria.
3. Vnde illa sit discenda.

I. Pars.

Ex præcedenti colloquio cum discipulis habito, intelligi potest, quam patientiam Christus requirat à nobis: eam scilicet, vt calamitates atque tribulationes omnes, easque potissimum, quæ præter meritum nostrum, & vel maximè propter nomen Christi & veritatis professionem, nobis accidūt, forti & patienti animo sustineamus, vt non insurgamus aduersus Deum, neq; etiam erga homines (quantumuis inimicos) spiremus minas, aut vindictam quæramus, sed rem omnem in silentio & spe Deo commendemus, exemplo Christi, 1. Pet.2.v.23.

Egregiè autem Christus loquitur hîc de patientia, vbi animam teneri vult. Nouit enim, carnem nihil minus posse,

posse, quàm patientiam prçstare in adversis. Ideoque animam vult in patientia detineri. Et si videatur patientia fugere velle, (sicut patientia Dauidis videtur aufugisse ab eo, cum irasceretur Nabalo, &c. 1. Sam. 25.) tum tenenda est. Man muß jr nachlauffen/ sie fahen/ fassen vnd auffhalten. Si igitur maximè caro murmuret, fremat, modo anima sit patiens & vincat carnem.

Et hoc quidem præstabit vera & firma fides. Fidem enim & patientiam coniungit Apostolus. 2. Thess. 1. v. 4. Etenim qui credit se Deum habere placatum, feret patienter id, quod non ab irato Deo prouenire nouerit. Qui credit hanc esse viam ad gloriam æternam, & corregnaturos eos qui compatiuntur. 2. Tim. 2. facilè superabit aduersa. Sic Ap. 14. Coniungitur fides & patientia sanctorum. Sic etiam 1. Tim. 6. Tit. 2. semper cum fide coniungitur patientia.

II. Pars.

Est autem patientia omninò necessaria homini Christiano, Heb. 10. v. 36. causa additur, vt faciatis voluntatem Dei. Hæc autem perpetua Dei voluntas est, quam Christus hic exprimit, vt possideamus animas in patientia. Hinc illud Esa. 30. In silentio & spe. Et tot admonitiones Prou. 3. v. 11. & 14. v. 29. Et Syr. 2. v. 4. Thren. 3. v. 26. Rom. 12. In tribulatione patientes.

Est enim patientia fructus fidei. Iacob. 1. vers. 3. Hinc Christus de his qui recipiunt semen verbi testatur, quod fructum ferant in patientia. Luc. 8. Heb. 12. per patientiam curramus in certamine, &c. v. 1. Vide etiam 2. Pet. 1. v. 6. Estque fructus Spiritus sancti inter alios. Galat. 5. Et pertinet ad charitatem. Hinc 1. Tim. 6. v. 11. 2. Tim. 3. v. 10. coniunguntur.

Multumque confert homini Christiano patientia vtilitatis. Vide Rom. 5. v. 4.

Rom. 8. v. 25. Per patientiam exspectamus, quod non videmus. Heb. 6. v. 12. Per fidem & patientiam hæreditarunt promissionem.

Con-

Contra verò impatientia vehementer offendit Deum, & grauiter fuit punita sæpius. Vide Numer.11.v.1.&10. & Num.14.v.1.&26. & Num.21.v.5.&6.

Vide etiam Syr.2.v.16.

Frænanda igitur impatientia ex loco Hebr.10. verſ.8. & ſeqq. Iac.1.v.4. & 5.v.8.

III. Pars.

Quia verò difficilima ars, patientiam præſtare in magnis aduerſitatibus, ideoq; operæ pretium erit, conſiderare, vnde patientia ſit addiſcenda.

I. Ex verbo Dei, quod ſemper paratam adfert ſecum conſolationem in tribulationibus. Et illa ſumitur: A præſentia Dei in anguſtiis, Pſal.91. 50. 54. 56. 142. Eſa.41. & 43. & 49. Ab vtilitate crucis, 1.Pet.4.v.2. Pſal.119.v.71. & 67. Hoſ.6.v.1. A bonitate Dei, qui non tentat vltra vires, 1.Cor.10.v.13. Thren.3.v.22. Eſa.54.v.7. Eſa.28. in fine. A compenſatione largiſſima, Rom.8.v.18. & 17. 2.Cor.4. v.17. 2.Tim.2.v.11. Eſa.25.v.8. Apoc.21.v.4. Et infinita alia. Videatur Manualis pars 5. cap. 4.

II. Exemplum ipſius Dei imitandum proponitur filiis Dei, cuius hoc eſt Epitheton, quod ſit patiens, Exodi 34.v.6. Numer.14.v.18. Pſalm.86.v.15. & Pſal.145.v.8. Imò Deus patientiæ Rom.15.v.5. vocatur.

Præſertim verò exemplum patientiæ Chriſti imitandũ proponitur. De qua Eſa.53.v.7. Act.8.v.32. 1.Pet.2.v.23.

III. Diſcenda patientia ab exemplis Sanctorum. De quibus Iac.5.v.10. Tob.2.v.12. Syr.2.v.11.

Et in ſpecie ponenda ob oculos patientia Hiobis, Iob. 1. Dauidis, 2.Sam.15.v.26. Ioſephi, Gen.50. Eli, 1.Sam.3. v.18. Hiskiæ, Eſa.39.v.8. &c.

THEMA XV. CLASSIS V.

Eſa. 30. verſ. 15.

In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.

DISPOSITIO.

In hoc capite Esaiæ reprehendit Dominus populum Hebræum, quod in angustiis & periculis auxilium petant, non à Deo, sed ab impiis gentibus, vicinis Ægyptiis & aliis. Minatur itaque illis ruinam & exitium: ostendens simul qua ratione potuissent effugere indignationem illam Dei grauissimam, & vnde potuissent firmum habere præsidium contra omnes hostium insultus. Vtitur autem in ostendendis istis mediis breui hac, sed valde emphatica sententiola: In silentio & spe erit fortitudo vestra. Hæc quia non huic tantum proposito Prophetæ accommodata est, sed & in omnibus calamitatibus, maximè vero morbis diuturnioribus, contra impatientiam & quæuis vana carnis præsidia vtiliter inseruire potest, iam paucis tractanda erit.

Hoc autem breuiter ostendemus:

1. Quod fortitudo & magnanimitas (Dapfferkeit / daß er starck vnd behertzt sey) in omnibus aduersitatibus requiratur ab homine Christiano.

2. In quibus illa fortitudo consistat: vel, Qua ratione Christianus sese virum fortem præstare possit. Womit er sein Dapfferkeit beweisen solle.

I. Pars.

Commendatur alioquin à prudentibus & sanioribus quoque Ethnicis fortitudo & magnanimitas: & vocatur à Philosophis is vir fortis, qui in bellicis & similibus periculis subit & perfert quod honestum est: & qui labores atque molestias atque adeò mortem non fugit, sed magno animo subit.

At hæc fortitudo non cadit in omnes, sicut etiam non omnium conditio fert, pugnare in bello &c.

Deinde multi habentur pro viris fortibus, qui magis temerarii & audaces sunt dicendi: & hi periculis crescentibus plerumque animum abiiciunt: & pedem referunt.

Præterea nonnulli putantur fortes quod sunt robusti

& pu-

& pugnaces (ſicut milites nonnulli) extra periculum. At imminente periculo mox terga vertunt. De tali fortitudine nihil hoc loco.

1. Chriſtianum autem decet fortitudo hęc & magnanimitas, vt in aduerſis & calamitatibus quibusuis à Deo immiſſis, non deſpondeat animum, nec Deo ſuo valedicat, ſed intrepidè ferat vocationis moleſtias, atque ſanctam crucem & morbos, & mortem denique ipſam: & de paterna Dei cura atque prouidentia minimè dubius, triſtia ſiue ſecunda fluant, totus pendeat à voluntate Dei, & ſtet intrepidus contra Diabolum, mundum & propriam carnem.

2. Hæc fortitudo requiritur in ſcriptura.

Pſ. 27. Confortare, viriliter age, & exſpecta Dominum. Hoc eſt ipſius Domini verbum, Eſa. 41. v. 10. Ne declines: Tu ne cede malis ſed contra audentior ito.

Eſa. 35. verſ. 3. & 4. Confortamini & confortate &c. 1. Cor. 16. verſ. 13. Viriliter agite, eſtote fortes. Epheſ. 6. Eſtote fortes, in potentia virtutis, 2. Tim. 2. verſ. 1. Tu ergo fili eſto fortis per gratiam Ieſu Chriſti.

3. Et hæc quidem fortitudo ad omnes pertinet, non tantum ad eos qui ſunt robuſto & valido corpore, nec tantum ad viros, ſed ad eos etiam qui ſunt corpore ægro atque inualido, & ad mulieres etiam.

Etenim non conſiſtit illa in externis viribus corporis ſed in animo. Et poteſt fieri vt caro trepidet in anguſtiis atque timida ſit, interim tamen animus eſt intrepidus. Ideoque in Pſalmis notanter dicitur, confortetur cor. Pſalm. 27. ſuprà. Et Pſalm. 31. v. 25.

Idem vult Chriſtus Ioan. 14. Ne turbetur cor veſtrum.

4. Hæc eſt illa animi fortitudo in Dauide cum toties repetit: Non timebo: Pſalm. 23. 27. 49. 56. & alibi.

Sic enim Dominus ſæpius, Ne timeas. Eſa. 41. 43. & 44.

5. A Domino eſt hæc fortitudo, (non ab hominibus: Dann menſchen hülff iſt kein nutz. Pſ. 60.) qui per verbum, quod firma fide Chriſtianus amplectitur, ſic confortat.

Ideoque de sanctis Apostolus Hebr. 11. Fide facti sunt fortes in bello. Non autem tantùm in militia aduersus homines, sed in omni illa militia, de qua Hiob 7. vers. 1. & Paulus Eph. 6. nos per verbũ fortes reddimur à Domino.

Hinc illud Psal. 18. 31. & 120. Dominus fortitudo mea. Et Paulus, Christus me confortat, &c. Phil. 4. v. 13. 1. Tim. 1. v. 12. & 2. Tim. 4. v. 17.

Et propterea in Domino fortes esse vult, Ephes. 6.

II. Pars.

Diximus Christianum decere Fortitudinem: & qualis illa, atque vnde sit, audiuimus. Nunc autem porrò dispiciendum, quomodo Christianus fortitudinem suam demonstrare debeat.

Consistit autem illa fortitudo, quę ostendit hominem fortem, in duobus, teste Esaia, imò Domino.

1. In silentio. At hoc planè contrarium videtur opinioni vulgi. Illud enim non existimat eum fortẽ, qui tacet, sed qui tumultuatur, qui vociferatur. **Der sich hören läst.** Econtra timidus habetur, qui silet & tranquillo est animo. **Der dörff sich nicht wehren.** At coram Deo planè est diuersa ratio, qui animũ respicit, non externos gestus.

Is non vult Christianum muliebriter eiulare & vociferari in calamitatibus, neq; etiam tumultuari, indignari, maledicere Deo & hominibus, sed vult ipsum silere ad castigationes ipsius. Hoc silentium nihil aliud est quàm patientia: sicut hoc explicat scriptura. Psal. 39. obmutui, &c. Esaias Christi patientiam per ouem silentem describit, cap. 53. quod Actor. 8. v. 32. repetitur. Et Esa. 42. Non clamabit nec audietur vox.

Sicut vir cordatus premit dolorem nec eiulat, ita Christianus suam fortitudinem probat patienter ferendo & silendo.

Wann er sich nicht vngeberdig / wild / vnstellig erzeigt / quod nonnulli impatientes faciunt.

potest ille nihilominus gemitibus seriis Deo conqueri

suum

ſuum dolorem. Is audit & intelligit ſuſpiria, quæ ſunt apud ipſum, vox clamans. Patet exemplo Moſis & Hannę, quorum vox non audiebatur, Exod. 14. v. 15. & 1. Sam. 1. v. 13.

2. In ſpe conſiſtit etiam fortitudo, vt ſc. Chriſtianus non mox deſperet de gratia, de auxilio Diuino, &c. ſicut nonnulli ægroti, qui Deo valedicunt, Magorum & ipſius Satanæ opem implorant, &c. Fortitudo eſt ſperare in Deo, licet ipſe videatur oblitus noſtri.

Etiamſi occiderit me, ſperabo in eum, Iob. 13.

Hinc illud Pſal. 42. Spera in Deo, &c. In Domino confido, Pſal. 7. & 11.

Etiam contra ſpem in ſpem, exemplo Abrahami, Roman. 4. v. 18.

Spes illa ex ſcripturis alitur, Rom. 15. v. 4. Et non pudefacit, Rom. 5. v. 5.

Væ his qui deſperant, Syr. 2. v. 14. Apoc. 21. v. 8.

FINIS.

THEMA XVI. CLASSIS V.

Ioan. 9. à v. 1. ad 4.

De cæco à natiuitate, & iudicio Apoſtolorum.

In funere cœci tractari poteſt perquàm commodè.

DISPOSITIO.

Quamuis Chriſtus feriò edixerit, Nolite iudicare, & non iudicabimini, Luc. 6. tamen nihil ferè eſt in hoc orbe communius. Patet id exemplo ipſius Chriſti Diſcipulorum ex hoc loco, qui videntes cœcum ſtatim iudicant, ipſum, vel parentes huius mali fuiſſe cauſam, quos tamen Chriſtus aliter inſtruit, & diuerſum ſentire iubet.

Quia verò hæc hiſtoria noſtris temporibus eſt conuenientiſſima, ideoque in præſentia illam excutere lubet, præſerim cum de hoc caſu etiam funus illud, quod huc deduximus, nos moneat.

Tres autem perſonæ nobis potiſſimum conſiderandæ veniunt.

veniunt. 1. Cœcus. 2. Diſcipuli. 3. Chriſtus. Singulæ poterunt nos docere, præſertim verò (qui eſt Magiſter noſter) Chriſtus.

I. *Pars.*

Sedet ad viam, quâ Chriſtus tranſit, homo cœcus. Et quidem à natiuitate cœcus. Homo ſanè miſer. Nam oculi ſunt homini quod Sol eſt mundo. Tenebræ triſtes & moleſtæ. At lux oculis grata, Eccleſ. 11.

Miſer itaq; cœcus eſt, qui non poteſt intueri magna illa Dei creatoris opera. Nec etiam ea, quæ ſunt chariſſima, parentes, fratres, liberos. Neque alia etiam, quæ huic mundo afferunt delectationem. Et tantum inanes phantaſias concipit cœcus de rebus, præſertim qui à prima natiuitate cœcus eſt, vt hic.

L. Talia & tam triſtia ſpectacula ſæpe Dominus nobis ſtatuit ante oculos, vt agnoſcamus, quantum Dei ſit beneficium, quod ſenſibus & membris corporis nobis vti licet integris.

Pauci de hoc cogitant. De his igitur ſæpius nos commonefieri vtile eſt.

1. Vt pij ſint grati erga Deum, & rectè vtantur integris ſenſibus & membris, ad promouendum (quantum in ipſis eſt) honorem Dei & vtilitatem proximi. Sicut in genere Paulus hortatur, vt membra ſint arma iuſticiæ, Rom. 6. Sic qui acie oculorum valet, is ambulet tanquam in luce, caueat opera tenebrarum, Ioan. 3. Rom. 13. Ne ſequatur illa excœcatio, Eſa. 6. v. 10.

2. Vt compatiantur omnes miſeris illis hominibus, & non indignè tractent eos, ſed iuuent quacunque poſſunt ratione, præſertim ſi ſint pauperes, ne cogantur miſeri oſtiatim emendicare victum. Leges certè pro talibus tulit magna ſolicitudine Pater cœleſtis: Cœco non ponendum offendiculum. Surdo non maledicendum. Et non ſit mendicus, Leuit. 19. v. 14. Deut. 15. v. 4.

3. Quo loco etiam Magiſtratus ſuum debet fideliter exſequi officium, prouidendo, ne egeant hi miſeri, ne cogan-

gantur passim oberrare, præsertim in conspectu grauidarum matronarum, ne qui vitiis corporis deformati sunt, ipsas terreant, vt ex consternatione vel similes fœtus edant, vel abortus faciant. Magna hac in parte quorũdam est negligentia, vel ἀστοργία, aut præpostera tenacitas.

4. Caueant parentes, ne liberis suis imprecentur tales defectus sensuum vel membrorũ, Daß du erblindest/ erlahmest/ꝛc. Sæpè enim hærent in liberis: sicut imprecatio Elisæi in Gehasi, quæ tamen iusta fuit, ex zelo diuino orta: at nobis non imitanda. 2. Reg. 5.

II. *Pars.*

Vidimus cœcũ, nunc accedamus ad videntes. Videt cœcum Christus. Vident eundem Discipuli: qui licet oculis sint videntes, tamen cœcũ est rationis iudicium apud illos. Mox enim iudicant, vel proprium huius cœci peccatũ vel parentũ esse causam cœcitatis. Christus verò vtrumq; negat esse verum. Sicq; grauiter hallucinari discipulos.

L. Frequens est mundi iudicium tale, quale hîc est Apostolorum: quod iudicat eos, qui infelices sunt in his terris, aut singulari aliqua miseria afflicti, præ cæteris Deo esse exosos, & insigniter peccasse, certisque peccatis sibi has pœnas attraxisse.

Tale erat iudicium Eliphaz (vt & cæterorum) de Hiobe, vt patet cap. 4. & 22.

Tale erat iudicium illorum, qui referunt Christo de oppressis in Siloah, & Galilæis occisis, Luc. 13. v. 1.

Tale erat iudicium Melitensium de Paulo, Act. 28.

At nõ probantur Christo temeraria & præpostera hæc hominum stultorum & carnalium iudicia, ideoq; & hîc & Luc. 13. hæc iudicia refutat, imò planè ꝓhibet, Luc. 6. v. 37.

Sunt enim plerumq; impij felices in hoc mundo, & contra pij infelices. Vide Psalm. 73. Hierem. 12. & Hiob. cap. 21. v. 7. & seqq. Et hinc versus isti, Careat successibus opto, Quisquis ab euentu facta notanda putet.

Nescit enim homo an odio vel amore. &c. Eccl. 9. v. 1.

III. Pars.

Christus non tantùm redarguit Discipulos sinistrè iudicantes, sed insuper docet, quæ sit causa huius cœcitatis, videlicet, vt manifestentur in ipso opera Dei. Voluisse enim Deum paulisper sic affligere cœcum, vt in ipso filius Dei insigne faciat miraculum, & is miser tanto post maiori honore & felicitate cumuletur, atque simul omnes hoc miraculum considerantes dent gloriam Deo.

L. Docemur quomodo calamitates & pœnas omnes rectè debeamus intueri.

Notãdum. In pœnis & afflictionibus respicit Deus, aut

- Peccata: eaq; vel
  - 1. Præterita, vt puniat. Exemplum Dauid, 2.Sam.12.v.10.
  - 2. Præsentia, vt originale, &c. Vt admoneat, Iob.
  - 3. Futura, vt præcaueat, Luc. 13. Nisi pœnitentiam.
- Gloriam suam, vt illa manifestetur, vel per
  - 1. Probationem fidei, 1.Pet.1.v.7. Ioseph in carcere.
  - 2. Patientiam sanctorum. Stephanus. Martyres. Apoc. 14. vers. 12.
  - 3. Inuocationem nominis sui, Psalm. 91. & 116. Et Psalm. 50. Glorificabis me. vers. 15.
  - 4. Liberationem ex periculis. Daniel inter Leones. Socij in fornace, Dan. 3. Paulus in carcere, Actor. 16.

FINIS.

Thema XVII. Classis V.

Act. 3. à verſ. 1. ad verſ. 9.

Hiſtoria de claudo mendico ſanato.

In funere claudi tractari poteſt.

DISPOSITIO.

Eſa.35.ſic legitur, Deus ipſe veniet & ſaluabit vos. Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures ſurdorum patebunt, Tunc ſaliet claudus ſicut ceruus.

Hoc impletum eſſe tempore Chriſti prædicantis Euangelium, patet ex Matth.15.v.30. & multis aliis locis.

Sed & poſt Chriſti aſcenſum in cœlos, hoc loco videmus ſalientem & exultantem claudum. Quia cooperabatur Apoſtolis Dominus (qui à dextris Dei ſedet) vbique, & confirmabat ſermonem illorum talibus ſignis atq; miraculis, Marc.16. in fine. Sicut autem illuſtre hoc miraculum præſentis hiſtoriæ factum eſt in nomine Domini Ieſu Chriſti, ita quoque idipſum in nomine eiuſdem explicandum ſuſcipiemus, occaſione præſentis funeris. Videbimus igitur primùm querulātem claudum miſerum ſedentem & ſellæ vel humo affixum: deinde verò mox eundem erectum, ſalientem, & exultantem atque lætantem contemplabimur.

I. *Pars.*

Hieroſolymis eſt vir claudus, & quidem ab vtero. Cuius pedes planè non faciunt officium, ita vt ab aliis geſtari ipſum neceſſe ſit.

Triſte ſanè ſpectaculum. Et tanto grauior miſeria, quod vltra 40. annos durauit, Actor.4.v.22. Adeoque de omni corporali auxilio, diuino & humano iam deſperauerat. Quod ſi fuiſſet diues, potuiſſet forſitan cum aliis lætus conuerſari, tempus cōuiuiis & ludis conſumere, & ſic aliquantò tolerabilior fuiſſet hæc infirmitas. At pauper eſt, & vſq; adeò tenuis fortunæ, vt mēdicando victum

& amictum quærere cogatur. Deportatur autem ad ianuas templi, vt sic more mendicorum opportunitate loci fretus, ab illis, qui ingressuri templum tum maximè religiosi & liberales videbantur, facilius impetret eleemosynas. Et suam stationem quotidiè occupat, apud eam templi portam, quæ Speciosa dicebatur: vbi forsan maior hominum copia ascendit in templum.

Cum itaque Apostoli duo, Petrus & Ioannes, per eandem viam ingressuri erant templum precationis causa. circa horam nonam, (hoc est, nostram tertiam pomeridianam) rogabat ipsos pro eleemosyna. Et iussus ipsos aspicere (vt scilicet attentus reddatur, quid sit de ipso futurum) ille præter eleemosynam nihil exspectat. Et absq; dubio tristis audit illud Petri verbum: Argentum & aurum non habeo, &c.

Antequam autem pergamus & audiamus quid acceperit, miseriam huius hominis considerare operæ erit pretium.

LOCVS I. Docet miser hic claudus & simul mendicus, quantum Dei beneficium, membris posse vti integris. Quare enim tam tristia interdum spectacula Deus nobis ante oculos statuat, de hoc vide præcedent. Dispos. partem 1.

Possunt enim illa omnia huc referri non incommodè. Præsertim verò ea, quæ Numero 3. illic habentur, De cura & prouidentia Magistratus, hîc recurrunt.

Erat enim magna negligentia Legis illius Deut. 15. hoc loco. Non erit mendicus inter vos. Quia benedicet tibi Dominus. Ergò certè maledicet Dominus, vbi mendicorum est copia, & nulla illorum cura habetur. Sodomitis exprobratur illud, pauperi non porrigebant manum, Ezech. 16. v. 49. Pauper fui, Esuriui, & non cibastis. Abite, Matth. 25.

Quod si verò Magistratus hoc nomine suum fecit officium, commendandi erunt, &c. De his aliàs.

L. II. Discimus porrò ex præsenti loco, cohibere præposte-

posterum illud & temerarium iudicium nostrum, de huiusmodi miseris hominibus: de quibus interdum dicimus vel cogitamus, Ah quare Deus illum sinit viuere in hac miseria, cum sit Deo & hominibus planè inutilis. **Er ist doch niemand nutz auff Erden.**

Imò videtur hic suis molestus, qui coguntur ipsum baiulare, & aliis inutilis, qui coguntur ipsum enutrire, &c.

Atqui licet abiectissimus, pauper, miser & inutilis videatur, tamen Deus nouit, quantæ vtilitatis homo sit. **Warzu er jhne könne gebrauchen / das weiß er wohl: wir aber nicht.** Numquid hic claudus seruit gloriæ Dei? Per ipsum enim nomen Christi fit gloriosum in tota Hierosolyma. Sic ille paralyticus 38. annorum, Ioan. 5. Christo est vtilissimus, per quem illustret gloriam nominis sui. Idem de cœco Ioan. 9. Christus expresè statuit.

Neminem itaque, ne pauperrimum quidē mendicum, fastidiamus, abiiciamus, contemnamus, aut extinctum optemus: Sed tanto maiori cura ipsum complectamur, propter Deum, cui ille seruire cogitur. Et si alioquin nihil videtur prodesse, tamen sciamus, ipsum esse Dei seruum, cuius opera vtatur, tanquam concionatoris, vt scilicet in nobis illius miseria excitet gratitudinem erga Deum, & exemplum illius patientiam doceat, vbi pius est, &c. Et multa alia ex ipso discere poterimus. Ergo non est inutilis coram Deo.

II. Pars.

Videamus etiam salientem claudum, quod mirum est. Petrus defixis in claudum oculis ipsum alloquitur, & attentum reddit, vt intelligat, vnde & in cuius nomine sanitatem acceperit. Non habeo argentum, sed quod habeo, & accepi gratis, gratis tibi do, in nomine Iesu, surge & ambula. Et apprehensa dextera illius erigit ipsum.

Ibi tum surgit, exultat, & templum cum ipsis ingreditur, atque grata mente Deum celebrat, &c.

L. Ingens sanè & omni laude celebrandum miraculum

lum in hoc claudo factum: quod docet nos omnipotentiam Domini nostri Iesu Christi. Qui enim habet potestatem in cœlo & in terra, is dedit hanc potestatem Petro, vt in nomine Christi sanare possit claudum. Illius igitur omnipotentiæ fidamus, & credamus ipsum in dextra Dei patris sedentem non longè abesse: sed præsentissimum adesse omnibus miseris in ipsum credentibus & ex fide inuocantibus. Matth. 28. & 18. Licet autem non omnibus ad eundem modum vel ipse Christus vel Petrus porrigat manum, vt sanitatem corporalem consequantur, certum tamē est, Christum omnibus piis & credentibus porrigere manum, vt æternam sanitatem & felicitatem consequantur. Iuxta id, omnes ad me traham. Ioan. 12. v. 32. Et, venite omnes, ego reficiam. Matth. 11. Spiritualiter sc. si non corporaliter.

L. II. Desperandum nemini, etiam in diuturnis & grauibus morbis, docet exemplum pręsens, & illud etiam Ioann. 5. de paralytico, & hæmorrhousæ Matth. 9. & incuruatæ. Luc. 13. Qui hîc non sanatur, illic tamen saluus erit.

L. III. Ægri sanitati restituti, exemplo huius ingrediantur templum, grati sint Deo. Vide Ioan. 5. v. 14. Contrà ingratos sanatos reprehendit. Luc. 17. At plerumq; Prou. obtinet, Wann der kranck genaß/&c.

FINIS.

THEMA XVIII. CLASSIS V.

Actorum 3. v. 16.

De claudo sanato Petrus.

Per fidem nominis eius, in hoc quem videtis & nostis, consolidauit nomen ipsius. Et fides, quæ per eum est, dedit ei integritatem istam, in conspectu omnium vestrum.

DISPOSITIO.

Quando nouum aliquid, insolitum & inusitatum accidit, magnus plerumque populi fit concursus. Et alii quidem

dem mirantur, alii obſtupeſcunt, alii aliter agunt. Pleriq; verò interrogant quid, quomodo, à quibus, quare factum, nec quieſcunt donec rem omnem, vt acta eſt, cognoſcant. Idem accidit hoc loco, cum Petrus & Ioannes ingens edidiſſent miraculum, ſanato ſcilicet eo, qui ab vtero matris, vltra 40. annos claudus fuerat. Accurrente itaque omni populo, vt de miraculo cognoſcant, Petrus occaſionem arripit prædicandi Chriſtum crucifixum. Et inter cætera paucis oſtendit verbis prælectis, qua ratione claudus ille ſanitatem acceperit. Quia verò nullum eſt dubium, quin multi cupiant ſcire, quo pacto olim ægroti plurimi miraculosè ſint reſtituti ſanitati, (cum hodie idem non fiat apud nos) agite hęc Petri verba excutiamus primum, vbi de his rebus nos edocet: poſtmodum ex illis etiam doctrinas non inutiles extruamus.

Paraphraſis.

Claudus, quem Hieroſolymitani iam complures annos ante portam templi Specioſam ſedentem & mendicum viderant, iam præter omnium hominum exſpectationem in templo ſanus & validus oberrat, & cum Apoſtolis Petro & Iohanne hinc inde diſcurrit, lætus & incolumis, glorificans Deum. Concurrit populus totus ſtupefactus ad porticum Salomonis.

Mirantur claudi huius ſubitam & inſperatam felicitatem. Ibi tum Petrus eleganti & aculeata ſimul oratione populum compellat.

Quid miramini ſuper hoc? Quid nos intuemini? Noſtra virtute non eſt factum, vt claudus hic ambulet, ſed virtute illius quem vos tradidiſtis Pilato, & negaſtis eſſe Regem veſtrum. Hic, hic author vitæ, ſanctus hic & iuſtus Ieſus Nazarenus, quem vos latroni poſtpoſuiſtis, hic inquam, effecit vt hic claudus ſanaretur. Quomodo?

Per fidem in nomen illius, hoc eſt, Quia nos credimus Ieſum eſſe filium Dei omnipotentem (quod vos negaſtis) dedit nobis miſeris hominibus poteſtatem, vt poſſe-

possemus sanare hunc claudum, & alia facere miracula: Ideoq; in nomine Iesu iussimus illum surgere & ambulare.

Per fidem etiam hic claudus, quem omnes nostis ab vtero matris vltra 40. annos miserum, consequutus est sanitatem in conspectu vestro: hoc est, Quia miser hic (audiens à nobis sanitatem illi conferri in nomine Iesu) ipse etiam credidit in nomen Iesu, ideoque hanc consequutus est, vt videtis.

Si nos non crederemus in Iesum omnipotentem, non potuissemus hunc sanare. Si ipse etiam claudus fuisset incredulus, sanitatem non fuisset consecutus.

Quare autem Christus Iesus hanc virtutem sanandi Apostolis, sanitatem verò claudo, in conspectu ipsorum dederit, ostenditur, scilicet, vt hac ratione nobilitaret per totum orbem nomen suum sanctum, quod ipsi Iudæi calumniis grauissimis conspurcare conati erant. Habebat hoc nomen magnum in vtero ab angelo, quod sit filius Altissimi. Luc. 2. v. 32. Et hoc est nomen supra omne nomen gloriosum. Phil. 2. Ipsi verò Iudæi eum Samaritanum, Dæmoniacum, fabrum, Impostorem &c. vocitabant. Voluit itaque filius altissimi gloriam nominis sui vindicare ab iniuriis & contumeliis Iudæorum, edito hoc insigni miraculo in claudo, per Apostolos suos.

LOCI.

I. Debet etiam nobis nomen Christi Saluatoris esse gloriosum, adorandum & sacrosanctum. Non est enim aliud nomen sub cœlo datum. Act. 4. vers. 12.

Fidem itaque in cordibus nostris semper habeamus in nomen Iesu Christi, in quod etiam sumus baptizati Gal. 3. Rom. 6. in quo etiam filii Dei (Ioan. 1. v. 12.) erimus & vitam habebimus. Ioan. 20. v. 31. si quidem crediderimus, Ioan. 3.

Ideoque toties iubemur credere in nomen Iesu. Ioan. 1. & 2. 1. Ioan. 2. & 5. Act. 16. v. 31. & petere in nomine Iesu cuncta, Ioan. 15. & 16. & glorificare nomen illius, Eph. 5. v. 20.

v.20. Coloss. 3.v.17.2. Thess. 1. v. 12. & in nomine illius flectere omne genu, Phil.2. v. 10.

Mirum itaq; hodie reperiri inter Christianos, qui indignè ferunt nudari capita ad mentionen sacrosancti nominis Iesu, & prohibent externam reuerentiam, vt genuflexionem &c. ad nomen Iesu Saluatoris. &c. quæ tamen homini mortali sæpè etiam impiissimo exhibetur.

II. Docemur etiam ex hoc Petri loco, qua ratione (vel quo medio applicatiuo, si ita dicere licet) sanati sint plurimi, in quibus facta sunt ingentia miracula: sc. per fidem. Per fidem enim claudum sanatum apertè testatur Petrus. Licet enim causa principalis huius sanationis sit omnipotentia & clementia Saluatoris, in cuius nomine edita sunt miracula ab hominibus, (præter ea quæ ipse fecit visibiliter obambulans in terris) tamen illa omnia mediante fide, vtpote causa instrumentali apprehendente gratiam Seruatoris, facta esse, ipse testatur passim. Est enim fides medium applicationis, ex parte ægroti. Hinc aliquoties his verbis sanatos à se dimisit, Fides tua saluum te fecit. Matth. 9. Marc. 10.v. 52.

Fiat tibi sicut credis, Matth. 8.v.13. Tantum crede & salua erit, Luc.8.v.50. Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, Matth.15.v.28.&c.

Hinc fidem stupenda opera facere posse Christus author est. Matth. 17. & 21. Et nihil impossibile credenti, Matth.17.

Constat autem fides non tantum noticia sed etiam fiducia misericordiæ Dei per & propter Christum. Et fidei proprium est, contra spem in spem Deo promittenti credere, etiam cum nihil minus cernitur in natura, quam id cuius spem nobis sua promissione facit Dominus. Exemplo sit Abrahamus. Rom. 4. Simus igitur imitatores illius & insistamus vestigiis fidei illius, & veri Israëlitæ erimus. De quo etiam nonnihil supra 1. parte diximus. Fidei verò contraria est illa hæsitatio de qua Iacob. cap. 1.v. 6.

QVÆ-

QVÆRITVR autem hoc loco, cum adhuc sint fideles in his terris, quare non hodiè etiam fides miranda faciat opera? aut quare credentibus non detur sanitas vt olim? Respondeo. 1. Fides ex verbo nascitur & huic tanquam fundamento innititur. Nisi itaq; verbum Dei & certa promissio adsit, frustra concipitur fiducia alicuius rei.

Et proprie dicendo, hæc non est vera fides, quæ non vnicè respicit verbum Dei & certas promissiones de re aliqua: sed adhuc in dubio versatur. Et claudus hic iubetur aspicere Apostolos & in nomine Christi accipere sanitatem.

Huic verbo tutò inniti debet: & sanatur. Deinde, quia abundè confirmata est signis doctrina cœlestis, non iubemur hodie noua exspectare miracula. Conuertant autem ægri sese vera fide & precibus ad Deum, cuius manus non est abbreuiata Esa. 59. Qui hodie etiam non sine miraculo multos sanat, licet illud non animaduertant omnes.

FINIS.

THEMA XIX. CLASSIS V.

Act. 9. v. 32.

Historia sanati Æneæ paralytici.

DISPOSITIO.

De Apostolis emissis in totum orbem terrarum ad prędicandum Euangelium de Christo scribit Euangelista Marcus in fine Euangelii sui quod Dominus vbique cooperatus fuerit & sermonem illorum confirmauerit per signa subsequentia. Eius rei euidens habemus exemplum in hac historia quam prælegimus, vbi Petrus sanauit Paralyticum in lecto decumbentem.

Tria autem consideranda veniunt hoc loco:

1. Æneæ paralytici miseria.
2. Miraculum quo sanatur paralyticus.
3. Populi occasione huius miraculi facta conuersio ad Dominum

I. Pars.

I. Pars.

Peragrauit Petrus Apostolus omnes Ecclesias in Iudæa, Galilæa, & in Samaria. Vbique prædicat Christum crucifixum, & prædicationem suam confirmat miraculis. Proficiscitur itaque Petrus etiam Lyddam, ad sanctos, (non mortuos sepultos) viuos scilic. qui ibi habitabant. Christiani sic vocantur, non quod per se sancti, sed quod sanctificati per nomen Domini Iesu, 1. Corin. 6. v. 11.

Ecce autem inter sanctos Lyddæ reperitur homo miserrimus, nomine Æneas. Is est paralyticus, affixus lectulo. Et quidem octo annis continuis.

L. Videmus etiam sanctos Dei homines affligi variis morbis & ægritudinibus, interdum admodum grauibus atq; diuturnis. Exempla passim sunt obuia, Iob, Hiskia, Elisa, 2. Reg. 13. v. 14. &c. Est hæc piis infirmis & graui morbo distentis magna cõsolatio: quod Deus illos nihilominus reputat pro sanctis, si maximè affligat, & sic carnem illorum mortificet. Intelligant, se Deo esse charos & filios Dei, Prou. 3. Hebr. 12. v. 6. Ideoq; Dauid Psal. 119. v. 71. Bonum est mihi Domine, &c. Et 1. Corin. 11. Si iudicamur. Atq; simul etiam fidem, spem, patientiam illorum probat, & exemplo vult esse aliis. De his sæpius suprà.

Posset etiam ex hoc loco dici de peregrinatione ad Diuos superstitiosa: Cum sancti in terris potius inueniantur. Item, qua ratione Christiani & pij homines in scripturis dicantur sancti, iusti, &c. scil. 1. vel quia Christi sanguine sanctificantur. 2. vel quod absit ab illis hypocrisis. 3. vel respectu cæterorum impiorum. 4. vel ratione nouæ obedientiæ. 5. vel tandem, quod Christianismum bonis operibus ornare student. Hæc autem propriè ad præsens institutum non faciunt.

L. II. Habemus etiam hîc exemplũ diuturnæ infirmitatis, sicut & Ioan. 5. Matth. 9. Luc. 13. Act. 3. & 14. Quibus sese pij Dei homines diuturnis afflictionibus consumpti sustentare debent. De his etiam suprà, in tractatione locorum modò allegatorum.

II. Pars.

Petrus Lyddæ paralyticum Æneam ſanitati reſtituit, his verbis: Ieſus Chriſtus ſanet te. Non inquit, Ego tibi ſanitatem concedo, nec vult ſuum nomen nobilitare, ſed Chriſti gloriam quærit, quem paſſim prædicauit. Is enim eſt qui poteſtatem ſanandi Apoſtolis conceſſit, Mar. 16.

Vt autem conſtet Æneam Paralyticum virtute Chriſti Omnipotentis ſanatum, addit Petrus, Sterne tibi ipſe lectum, in quo ſcilicet hactenus decubuiſti, propter paralyſin. Imitatur Petrus Dominum ſuum, qui & ipſe olim paralytico dixerat, Matth. 9. Tolle grabatum tuum & ambula.

Æneas porrò mox ſurrexit ſanus atque validus. Tam fuit vox illa Petri efficax in nomine Chriſti. Eſtque planè eadem ratio ſanationis in his verbis, Ieſus Chriſtus ſanet te, quæ ſuprà Act. 3. In nomine Ieſu Chriſti dico tibi, ſurge & ambula.

Locvs. A Chriſto ſanitas petenda. In nomine enim illius ſanari oportet ſpiritualiter & corporaliter ægros, ſi volunt verè reſtitui. Nihil hîc reliquiæ ſanctorum, nihil ſtatuæ poſſunt. At Apoſtolis viuis tanquam inſtrumentis vſus eſt Dominus. A Chriſto autem virtus exiuit. Mar. 5. v. 30.

Qvæstio. Quare non hodie etiam in nomine Chriſti paralytici poſſunt ſanari? Aut numquid non ſunt pij qui non accipiunt in nomine Chriſti ſanitatem corporalem? Minimè ſic ſentiendum. Non enim omnes miraculis ſanari voluit Dominus, ſed paucos tantum, vt his exemplis cæteri edocti bonam ſpem concipiant, quod infirmitas illorum ſit ipſis adiumento futura in bonum. Rom. 8. & quod omnipotens Deus omnes ſic poſſit ſanare, ſi velit.

Sic pauci ſunt à mortuis reſuſcitati, pauci leproſi ſanati (quod ipſe Chriſtus innuit Luc. 4.) vt illis confirmaretur potentia Euangelij de Chriſto, & vt in promptu eſſent

essent exempla futuræ resuscitationis, &c. Quare autem non velit Dominus omnibus sanitatem corporalem largiri, ipse nouit. Forsitan multis esset hoc obstaculo, quo minus pietati studerent. Simile aliquid videtur colligi ex verbis Christi, satius est &c. Matth. 5. v. 29. & 30. Ita non omnes ad hanc vitam resuscitati sunt, qui pij fuerunt: quia reseruantur maiori fœlicitati. Sic de cæteris.

III. *Pars.*

Ambulantem atque validum Æneam vident plurimi, qui ipsum hactenus paralyticum multis annis nouerant, & conuersi sunt ad Dominum, non tantum qui Lyddæ, sed & qui in vicinia, Assarone habitabant. Et viso hoc insigni miraculo, credunt concionibus Petri, atque creuit numerus fidelium, qui antea valdè fuerat exiguus.

L. De verò miraculorum vsu dici posset. Is est, teste Ioanne cap. 20. hic, vt credant homines & per fidem vitam habeant. Et in hunc finem non tantū a Christo ipso, sed & ab Apostolis sunt edita, vt ad veram fidem perducantur homines. Sic enim hortatur Petrus auditores suos, vt credant in eum, cuius ipsi sint testes, quod miracula fecerit, &c. Vide Act. 5. & 10. Et Paulus, Act. 16. Crede in Dominum Iesum, &c. At quæ hodiè fiunt miracula (si tamen verè fiunt) ad statuas & reliquias Diuorum, non hoc volunt vt conuertantur homines vera fide ad Christum filium Dei, sed vt honos habeatur defunctis illis, quos Diuos esse volunt, vel superstitiosi homines, vel qui lucrum ex illorum miraculis sperant. Taceo quod multi in numerum Diuorum relati sunt, hominum mortalium intercessione, qui partim nec viui vnquam, nec Diui fuerunt, & multi etiam, quorum animæ torquentur in inferno.

FINIS.

THEMA XX. CLASSIS V.

Actor.14.

De claudo Lystrensi sanato per Paulum.

In funere claudi ab vtero tractari potest.

DISPOSITIO.

Terræ demandauimus hodie membrum Ecclesiæ huius, hominem ab vtero miserum & claudum, nunc verò ab omni infirmitate per Dei gratiam liberum. Videtur itaq; præsens historia huius funeris deductioni, in qua ad audiendum verbum Dei sumus congregati, esse conuenientissima: cum de claudo per Paulum Lystris sanato mentionem faciat. Licet enim claudus defunctus non sit sanatus in vita sua, tamen per mortem accepit sanitatem veram: & quem Paulus non iuuit, eum tamen Christus iam liberauit: quique corporaliter non est sanatus, animæ tamen ratione spiritualiter, & in æternum sanus est. Considerabimus autem breuiter tres personas hoc loco. 1. Claudum. 2. Paulum. 3. Spectatores Lystrenses.

I. Pars.

In omnibus ferè locis, præsertim populosis, inueniuntur homines miseri, qui membris corporis integris vti non possunt. Sic Petrus Lyddæ Æneam, & Paulus hoc loco Lystris alium claudum inuenit. Et hic quidem illo est miserior. Æneas octo annis claudus est.

Hic verò Lystrensis ab vtero claudus, qui per omnem vitam suam pedibus insistere non potuit.

Quamuis autem pedes illius officium nō faciant, animus tamen est integer, & facit officium. Audit n. conciones Pauli Apostoli: vel deportatus à suis ad locũ, vbi Paulus prædicabat, vel quod Paulus ad ipsum & domesticos accesserit. Nec audit tantum, sed & fidem ex auditu concipit: & credit, Paulum virtute illius, quē prædicat, posse ipsum sanare. Animo itaq; integer est, qui corpore mutilus. Lo-

Locvs I. Multi naſcuntur deformati vitiis corporis, non quod illi præ cæteris ſint peccatores maximi, (Ioan. 9.v.3. Luc.13.v.2.) ſed vt cæteri agnoſcant, quantum ſit Dei beneficium, membris poſſe vti integris. De hoc ſupra aliquoties.

II. Qui non naſcuntur, vel fiunt ſucceſſu temporis mutili, ſed Dei beneficio rectè valent, cæteris non exprobrent vitia corporis, quæ ipſis ſine propria culpa adhærent, vel accidunt. Quo nihil ferè eſt vſitatius apud malignos huius ſæculi homines.

Sicut autem qui pauperem ridet, ita qui ſubſannat eum, quem natura corporis vitio notauit, Deum creatorem contumelia afficit, Prou.17.v.5. Is enim eſt, qui mutum, ſurdum, claudum naſci permiſit, quem loquentem, audientem, &c. potuiſſet creare. Leges itaq; pro his tulit ſeueriſſimas, Leuit.19.v.14. Et grauiſſimè punit pueros Prophetæ exprobrantes caluitium, 2.Reg.2.v.24.

III. Qui verò naturæ aliquo vitio deformati ſunt, illi 1. non ſint impatientes, nec maledicant Deo creatori ſuo. Numquid enim dicet vas figulo, quare me ſic finxiſti? Eſa.45.v.9.

2. Sed cogitent, quod Deus ipſos ſingulari conſilio deſtinârit, vt in ipſis oſtendatur gloria illius, Ioan.9.v.3. ſicq; vitia illa ipſis non eſſe probroſa, ſed honorifica: aut tamen Deum ipſorum vitiis benè velle vti ſciant, ſicq; ſe Dei eſſe Miniſtros, qui aliis debeant ſuo exemplo concionari, ſicut Propheta vulneratus, 1.Reg.20.v.37.

3. Et ſtudeant animi integritate, pietate, &c. hos defectus naturæ ſupplere, quod facilè fieri poterit. Sicut plerumque Deus ingenij felicitate, aliiſq; dotibus animi vitia corporis compenſat.

Solet quoque Deus ſingulari conſilio talibus proſpicere de victu, quod exemplum Mephiboſethi teſtatur, 2. Sam.9. Neque etiam Magiſtratus hoc loco ſuo officio deeſſe debet.

Nota. Qui delectatur allegoriis, poſſet hinc occaſio-

nem ſumere tractandi hoc argumentum, quomodo omnes ſimus naturâ claudi ad faciendum bona opera. Et quomodo debeamus ad concionem Pauli eſſe attenti, vt aliquando ſurgamus ad faciendum opera vocationis, & vt ambulemus coram Deo, ſicut decet Chriſtianos.

II. Pars.

Paulus animaduertit claudum eſſe attentum auditorem, & concepiſſe fidem ex auditu verbi prædicati, ſiue hoc ex peculiari Spiritus ſancti reuelatione, ſiue ex nutu & geſtibus claudi, aliáve ratione intellexerit. Ideoque dignum iudicat, in quo glorificetur nomen Chriſti crucifixi, in cuius virtute hunc ſanare propoſuit, his verbis, clara voce prolatis, Surge ſuper pedes tuos rectus. Quod ſi omnes ciues Lyſtrenſes, imo tota Lycaonia hoc pleno ore clamitaſſent, nihil effeciſſent: at Pauli vox id præſtat, vt confeſtim ſurgat & ambulet, qui per omnem vitam hactenus non ambulauerat, & ne pedibus quidem ſuis ab vtero inſiſtere vnquam poterat. Facit hoc Paulus in nomine Ieſu Chriſti, qui ipſum fecit Vas electum, Act.9.

L. Videmus nullum eſſe morbum tam inueteratum, qui non poſſit ſanari, ſi Deus id velit. Nunquam enim eſt abbreuiata manus illius, Eſa.59. Et Magiſtrum ſe profitetur ad iuuandum, Eſa.63.v.1. Eſtque ipſe verus Medicus, Exod.15.in fine. Deut.32.v.39.

Nunquam igitur deſperandum cuiquam. Teſtantur id exempla eorum, quorum ſanationes iam percurrimus, in præcedentibus Diſpoſitionibus.

Iuxtà tamen & hoc notandum, Deum non velle ſemper agere miraculosè: nec velle etiam omnes ſanare corporaliter, quia multi ſuam ſalutem negligerent, ſi rectius valerent. Sic enim de pœnitentia, precibus, de fide, imò ne de Deo quidem cogitarent.

Dicendum igitur ſemper, Fiat voluntas tua. Et ſciendum, multos ſaluari ægros, qui damnarentur ſani.

Cæteri loci qui hîc recurrunt, ex ſimilibus hiſtoriis, ſuprà ſunt tractati.

III. Pars.

III. Pars.

Lyſtrenſes videntes miraculum, Paulum & Barnabam pro Diis, hunc quidem pro Ioue, illum verò pro Mercurio habent. Quibus etiam Sacerdos Ethnicus ſacra vult facere. Prohibentibus id Paulo & Barnaba & concionantibus de Deo, Lyſtrenſes malam referunt gratiam. Lapidarunt enim Paulum, ex inſtinctu Antiochenorum & Iconiorum Iudæorum.

L. I. Hominum ingenium repræſentant Lyſtrenſes, qui creaturas pro creatore honorant. Sic olim factum in Papatu, vbi coluerunt ſanctos, & Deum neglexerunt. Vide Rom. 1. v. 23. & 25. De his aliàs.

II. Magna vulgi inconſtantia & ingratitudo. Lapidant quem modò adorarunt.

Nemo confidat in applauſu vulgi.

III. Ingratitudine vulgi nemo moueatur, vt propterea aliquid remittat de officio vocationis. Mercedem in cœlis repoſitam ſciat: Luc. 6. v. 35. & cætera.

FINIS.

THEMA XXI. CLASSIS V.

Rom. 18. verſ. 8.

Non reputo eſſe pares afflictiones præſentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos.

DISPOSITIO.

Inter cætera hominis Chriſtiani officia requiritur etiam patientia in tribulationibus, Roman. 12. Hac autem nihil videtur durius & grauius carni & ſanguini: adeò vt Hiobus ipſe patientiæ nomine celebratiſſimus tandem defecerit. Ideoque Paulus cap. 8. ad Romanos multis argumentis nos inuitat ad patientiam, inter quæ non minimam vim habent paucula verba prælecta, quibus Paulus (inſtituta collatione afflictionum huius temporis ad gloriam reuelandam) pronunciat, gloriam lõgè ſuperare

afflictiones. Et potest Paulus dexterrimè iudicare de vtroque. Etenim is & passiones huius vitæ & gloriam Paradisi est expertus, vt patet 2. Cor. 11. & 12. cap. Experto itaque credendum. Vtque id possimus facilius, nos etiam subducamus rationes ipsi, & vtrumque, afflictiones scil. & gloriam, præsentis & futuræ vitæ perpendamus: vt si idem cum Paulo senserimus, postea etiam vsum huius loci accuratius pensitemus

I. Pars.

I. Primum, nulla est calamitas, nulla tribulatio, nulla afflictio tàm magna, cuius non extent exempla. Nihil enim accidit cuiquam, quod non aliis acciderit ante ipsum: idipsum audiit auris, vidit oculus, & in cor hominis ascendit.

Exempla paupertatis. Lazarus, Iob, Christus, Luc. 9. Captiuitatis. Iechonias, 2. Reg. 25. v. 27. Ioseph, Genes. 39. Ægritudinis. Iob, Lazarus, Iob. 2. v. 7. Luc. 16. v. 20. Diuturnæ afflictionis. Paralyticus, Ioan. 5. Menstruata, Matth. 9. Incuruata, Luc. 13.

Crudelitatis Diaboli. Dæmoniacus puer, Marc. 9. Filia Chananeæ, Matth. 15. Obsessi, Marc. 1. & 5.

Cæcitatis tristissimæ. Tobias, Bartimæus, Marc. 10.

Afflictionis quotidianæ. Moses, Num. 12. v. 3. Paulus, 1. Cor. 15. v. 31.

Persequutionis. Dauid, Apostoli, Martyres, &c.

At gloriæ reuelandæ non extant exempla perfectissima. Paulus & Petrus tantum gustum aliquem perceperunt. Gloriam autem reuelandam oculus non vidit, auris non audiuit, in cor non ascendit, Esa. 64. 1. Corin. 2. Ideò Paulus vocat ἄῤῥητα, 2. Cor. 12.

Centuplum recipietis, ait Christus, Matth. 10. Vnam Mosis faciem Israëlitæ propter splendorem non poterant aspicere, Exod. 34. Solis obtutum nemo potest ferre si splendescit: at quantus splendor, vbi omnes electi splendebunt sicut Sol? Dan. 12. v. 3.

II. Quod

II. Quod ſi verò afflictiones huius vitæ, numero, pondere, qualitate, quantitate, &c. eſſent pares gloriæ reuelandæ; tamen vel hoc vnum facit diſcrimen inexplicabile, quod afflictiones huius vitæ ſunt temporales, gloria verò æterna erit.

Ideoque momentanea afflictio dicitur. 2. Cor. 4. Breue tempus. 1. Pet. 1. v. 6. Momentum ira. Pſal. 30. v. 6. In momento dereliqui te. Eſa. 54. v. 7.

Quid enim ſunt centum anni ad æternitatem collati? Certè non vnum momentum. Mille anni aliàs coràm Deo ſicut vna dies. Pſal. 90. & 2. Pet. 3.

Gloria autem reuelanda æternum gaudium vocatur Pſal. 16. v. 11. quod nemo tollet. Ioan. 16. v. 22. & tantò perfectius, quia non miſcebitur dolore, ſicut in hac vita, ſed longè aberit mors, dolor. Apocal. 21.

II. *Vſus.*

Numquid ergo Paulum rectè ſubduxiſſe rationes fatebimur? Numquid verè pronuntiauit, non eſſe pares afflictiones? &c. Maximè.

Hæc verò non ſcitu tantum neceſſaria, ſed ad vſum noſtrum transferenda ſunt, quod Paulus tribus his verbis innuit, dum vocat, 1. gloriam, 2. eamq; reuelandam, 3. & quidem in nobis.

Quibus omnibus ceu validiſſimis argumentis patientiam in nobis excitare ſtudet, & deſiderium vitæ alterius.

I. Primum enim tantò grauior eſt omnis afflictio, quod coram mundo videtur nonnihil nobis eſſe ignominioſa. Sic etiam Rex Iehiskia de ſeſe. Eſa. 38. v. 15. Leniter incedam ſuper amaritudine animæ meæ, per omnes dies vitæ meæ.

At cogitandum, tribulationem non tantum in vita honorificam, ſi patiaris vt Chriſtianus. 1. Pet. 4. v. 16. ſed etiam æterna gloria compenſandam. Sicut extant promiſſiones. Rom. 8. v. 17. 2. Tim. 2. 1. Pet. 1. v. 6. 2. Cor. 4. verſ. 17.

II. Deinde cogitandum illam gloriam esse mox reuelandam: non post multas annorum myriades.

Spe iam sumus in gloria & salui. Rom. 8. v. 24. Illa autem spes non fallit, sed reuelabitur. Est enim gloria iam parata ab æterno. Matth. 25. v. 34. Estque iam reposita. 2. Tim. 4.

III. Et reuelabitur gloria in nobis. Non de longe videbimus sicut Moses terram Canaan, Deut. 34. sed in nobis erit gloria. Non erimus tantum inanes & famelici spectatores, sicut qui pauperes admittuntur ad spectandum Comœdiarum lusus, aut conuiuia & pomposa Magnatum spectacula.

Nobis gloria erit, nobis corona imponetur immarcessibilis, 2. Timoth. 4. vbi patienter tulimus tribulationes & spe vicimus. Vincenti dabitur. Apocal. 2. Iacob. 1. vers. 12.

Hic vsus est, Charissimi, Paulinæ supputationis, de qua in prima parte diximus. Hæc spes omnes alit afflictos. Hæc patientiam excitat, vt in mediis tribulationibus exclament pij, Scio quod redemptor, & cætera. Iob. 19. Hæc faciunt vt omnia terrena pro stercoribus reputentur. Phil. 3.

Qui verò eligunt huius vitæ gloriam, & auersantur tribulationes, nec magni faciunt reuelandam gloriam, illi similes sunt Esauo, vendenti nobilissimum ius primogenituræ pro pulte. Gen. 25. **Vnd geben ein Roß vmb ein Pfeiffen/ 2c.**

FINIS.

THEMA XXII. CLASSIS V.

2. Corinth. 4.

Momentanea leuitas afflictionis nostræ mire suprà modum æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non spectamus ea quæ videntur, sed ea quæ non videntur.

Nam

Nam quæ videntur, temporaria sunt: at quæ non videntur, æterna.

DISPOSITIO.

Magnas in his terris esse Apostolorum, vt omnium piorum, tribulationes, refert Paulus hoc capite 4. Epistolæ secundæ ad Corinthios. Premimur, inquit, laboramus, persecutionem patimur, deiicimur, semper mortificationem Christi in corpore nostro circumferentes: In mortem tradimur & mors in nobis agit. Interim verò ipsos non defatigari asserit. Licet enim externus homo corrumpatur, internum tamen renouari per dies singulos. Obsecro autem te, qua ratione fuit renouatus & erectus animus Apostolorum, tam miserè laceratorum? Hac scilicet, quam verbis prælectis recitauimus, insigni consolatione quod maior ipsis exspectanda gloria, quam quæ possit comparari cum huius vitæ tribulationibus. Ideoque se non spectare terrena sed cœlestia, asserit. Congruit hæc sententia cum ea quam Rom. 8. vers. 18. habet. Quia verò insignis hic locus est, ideoque etiam ad nostrum vsum accommodabimus.

Primum itaque videamus, quomodo Paulus inter se conferat tribulationes huius vitæ & gloriam alterius.

Deinde etiam expendamus, quibus Paulo teste cœlestis illa gloria sit parara: vel qui illius gloriæ possint esse capaces.

I. Pars.

Collationis Paulinæ duo sunt membra.

I. Leuitatem afflictionis terrenæ cum pondere siue grauitate cœlestis gloriæ comparari posse negat. Ideoque extenuat afflictiones huius vitæ: quæ si maximè grauissimæ videantur, tamen si conferantur cum immensa & ineffabili gloria, leuissimæ sunt.

Notanda autem vocabula in hac collatione appositissimè vsurpata. Leuitatem enim afflictionis exprimit per ἐλαφρὸν, hoc est, κοῦφον, & denotat id quod est portatu fa-

tu facile. Quia non ſinit Deus vltra vires tentari quenquam. 1. Corinth. 10. Et ipſe ſemper ſupponit manum & alleuat onus. Hinc Chriſtus, Onus meum leue. Matth. 11.

Gloriam verò copioſam deſcripturus, pondus gloriæ vocat. Et quidem pondus mirè ſuprà modum. Tanta enim eſt gloria, vt oculus non viderit, nec auris audiuerit: Eſa. 64. & 1. Cor. 2. quam etiam lingua non poteſt effari. Paulus enim vidit ἄῤῥητα ῥήματα. 2. Cor. 12. Ideoq; exuberantiam gloriæ vocat Apoſtolus.

2. Deinde temporis etiam ratione nulla poteſt eſſe collatio. Nam afflictio eſt momentanea & temporaria (exprimitur id per voculam παραυτίκα,) atque exigui temporis ſpatio durat. Si enim maximè duret centum annis, tamen coram Deo vix eſt vna horula, cum mille anni ſicut dies vna. Pſal. 90. 2. Pet. 3. Itaque Pſal. 30. Momentum ira eius. Et Eſa. 54. In momento dereliqui te.

At pondus gloriæ dicitur æternum. Etenim non habebit finem. Et gaudium nemo tollet. Ioan. 16. Pſal. 16. In æternum abundantia gaudiorum.

Magna hinc nobis accedit CONSOLATIO, quod afflictiones omnes reſpectu æternæ gloriæ ſint leues atque momentaneæ. Queritamur alioquin omnes de grauitate tribulationum, cum Hiobe cap. 6. Si appendatur dolor meus in ſtatera, grauior eſſet arena maris. Sic de duratione aduerſitatum queritur Dauid, Pſal. 13. Vſquequò Domine obliuiſceris mei in finem. Numquid oblitus eſt miſerationum ſuarum. Pſalm. 77. At ex ſchola Spiritus ſancti diuerſum nos oportet diſcere, ſcili. nec tam graues, neque tam diuturuas eſſe calamitates, vt non poſſimus ferre. Nã quod graue videtur, alleuari poterit collatione futuræ gloriæ abundantiſſimæ: reſpectu cuius non pares iudicat Paulus afflictiones huius vitæ. Rom. 8.

Conſiderata etiam æternitate gloriæ fatendum erit, afflictionem multorum annorum tantùm eſſe momentaneam. Ideoq; patienter ferenda omnia, & dicendum, Bonum eſt mihi Domine. Pſalm. 119. Et orandum pro auxilio

xilio Spiritus ſancti confortantis nos, ſicut confortat Angelus Chriſtum, Luc.22.& Paulum.Act.27.

Notandum etiam reſponſum Paulo datum. Sufficit tibi gratia mea.2. Cor.12.

Semperque tenendum id ,Fidelis Deus.1.Cor.10.

Vide elegantem ſimilitudinem.Eſa.28. in fine, verſ. 26.

II. Pars.

Porrò addit Paulus, quibus hæc gloria copioſa ſit parata. Leuitas inquit afflictionum pondus gloriæ parit nobis. Quomodo? Tamen in illa afflictione vobis pereundum, & nihil niſi ignominia cernitur? Ita ſanè mundus iudicat. Nos autem non ſpectamus ea quæ videntur, non præſentia,quæ in oculos incurrunt, reſpicimus, ſed ea quæ non videntur. Nam quæ videntur temporalia ſunt, euanida & mox peritura. At quæ inuiſibilia ſunt æterna ſunt.

DOCET hic locus longiſſimè à via veritatis aberrare, & æternæ gloriæ nunquam participes fieri eos, qui tantum reſpiciunt terrena, & hoc vnum agunt,vt gloria,honore & omni felicitate fruantur in his terris. De his Paulus Philip.3.quod terreſtria curantes Deum habeant ventrem. Et finis illorum perditio. Sunt enim inimici crucis Chriſti. Zarte Chriſten/ die nichts leiden wöllen

Ad illos etiam non pertinet gloria æterna, quia non volunt compati Chriſto, quod omninò requiritur,Roman.8,v.17.

Quod ſi Apoſtoli & Martyres ita fuiſſent affecti & voluiſſent ſubterfugere afflictiones huius vitæ, nullam etiam gloriam futuram & reuelandam Rom. 8. ſperare potuiſſent.

Semper itaque hoc tenendum, per multas tribulationes. Act.14.v.22.Et quicunque piè viuere volunt.2.Tim.3. Atque multò ſatius eſt leuiter hîc affligi, & perpetuò ibi gloria frui, quam hîc momentum lætari & ibi perpetuò cruciari. Dicendum potius, Hîc vre, hîc ſeca, ibi parce.

Reiici-

Reiicienda omnia terrena poſt tergum, Phil.3.v.13. & reſpicienda bona inuiſibilia, quæ poſſidemus in ſpe. Rom. 8.1. Ioan.3.v.2.

FINIS.

Thema XXIII. Classis V.

Heb.10.

Ne abieceritis fiduciam veſtram, quæ magnam habet præmii retributionem.

Nam patientia vobis opus eſt, vt vbi voluntatem Dei peregeritis, reportetis promiſſionem. Adhuc enim perpuſillum temporis, & qui venturus eſt, veniet, & non tardabit.

DISPOSITIO.

In hoc capite author Hebræis in memoriam reuocat magnam illam fidei conſtantiam, quam Deo probarint in ſummis difficultatibus, quando & varia probra & preſſuras, & direptionem quoque ſuarum facultatum æquiſſimo animo pertulerunt. Quia autem perſeuerantia in maximis ærumnis videtur eſſe difficilis, ideo verbis hiſce prælectis tribus argumentis firmiſſimis conſolatoriis ipſorum animas munit, quæ ſingula cum ſuis doctrinis iam excutere animus eſt.

I. Pars.

Fiduciam veſtram ne abieceritis. Hactenus ſemper fuiſtis magno animo in aduerſis. Quia ſpes vobis erat in Deo veſtro. Nolite igitur quicquam remittere de fiducia ſemel concepta.

Sic enim magna accipietis præmia à Deo: ita vt intelligatis vos non fruſtrà omnem fiduciam in Deo collocaſſe. Ihr dörffts nicht vergebens thun. Qui enim manent fideles, his rurſum fidelis erit Dominus remunerator.

Locus. Diſcimus non ſatis eſſe, ſi quis bene cœperit in ſe-

in ferendis afflictionibus, ſed requiri perſeuerantiam. Neque enim qui in medio curſu ſubſiſtit, brabeum accipit, ſed qui ad metam præfixam tendit.

Neque enim dignus eſt regno cœlorum, qui manum poſuit ad aratrum & retroſpicit. Luc. 9.

At qui perſeuerauerit ſaluus erit. Matth. 24.

Certandum itaque & fides ſeruanda, his repoſita eſt corona. 2. Tim. 4. Vincenti dabitur de ligno vitæ. Apoc. 2.

Spe itaq; huius præmij ampliſſimi ſemper pergamus, nec abiiciamus fiduciam noſtram. Væ enim his qui cedunt.

II. *Pars.*

At inquis, Quomodo poterimus perſeuerare in tantis difficultatibus? Quam graue eſt carni & ſanguini nihil niſi probra, ærumnas, dolores, &c. experiri? Sumus homines, non ſumus ferrei aut ſaxei. Quomodo tot mala poterimus ſuſtinere?

Reſpondet Apoſtolus, Patientia opus eſt.

Vnde autem patientia animis hominum inſtillari & quomodo in cordibus eorum ali atque foueri poſſit, mox addit, paucis verbis, hoc innuens ſcilicet, voluntatem hanc eſſe Dei clementiſſimam vt cruce exerceantur electi. Ideoque non poſſe ipſos voluntati Diuinæ reluctari. Semper enim oramus, Fiat voluntas tua. Neque etiam poteſt voluntas Dei eſſe non bona.

Ideoq; patienter ferenda omnia, quę Deus impoſuerit.

DISCIMVS, in hoc patientiam conſiſtere, vt nos ſubiiciamus voluntati diuinæ. Et cum certi ſimus ſine illius voluntati non cadere capillum de capite noſtro, Matth. 10. Certò etiam ſtatuere debemus, nihil nos calamitatis experiri ipſo nolente aut neſciente. Quod ſi is ita voluerit, quî poſſumus aliter quàm cum Chriſto dicere, Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Matth, 26.

Ita Dauid, 2. Sam. 15. Si dixerit, non placet, præſtò ſum. Faciat de me quodcunque voluerit.

Sic

Sic Eli tristissimum audiens nuncium, patienter accipit id, dicens, Ipse Dominus, faciat quod vult. 1. Sam. 3. Sic Hiskia Esa. 39. Bonum est verbum Domini. &c.

Est hæc patientia magnus Dei cultus, & habet promissiones amplissimas. Commendabitur etiam in nouissimo die fides & patientia illa sanctorum. Apoc. 14. v. 12. Sic leuior fit omnis tribulatio. Imitandum exemplum Christi. Esa. 53. vers. 7. Contra qui impatientes sunt, contra Deum insurgunt, tanto grauius ferunt onus, & dum calcitrant contra stimulum, sibiipsis accelerant interitum. Simile. Sicut equus excussurus sessorem durius tractatur, &c. Ita. hîc.

III. Pars.

At quis semper & in omnibus pręstet patientiam, si non graues sint tantùm afflictiones, sed etiam tam diuturnæ? Respondet Apostolus, nō vltra quàm par sit differendam liberationem diuinam. Allegat dictum Prophetæ Habacuc cap. 2. Adhuc per pusillum temporis veniet qui venturus est, & nō tardabit. Estq; is adiutor in opportunitate.

L. Magnam ex his verbis afflicti CONSOLATIONEM capere possunt, quod crux non sit multo tempore duratura. Hoc enim ferè maximè remoratur patientiam, quod videtur Dominus diutius quàm par sit differre auxilium.

Hinc illæ querelæ, Psalm. 6. vers. 4. Vsquequò Domine. Et Psalm. 13. 79. 89. vers. 47. Vsquequò, &c.

Et sicut aliàs omnis mora longa est, ita hîc maximè. At sciendum, Dominum non moras nectere, sed coram ipso mille annos loco vnius diei esse. Psal. 90.

Præterea, si conferantur dies afflictionis cum æternitate gloriæ reuelandæ, vix vnum momentum sunt. Ideoque momentanea afflictio vocatur 2. Corin. 4.

Quæ huc pertinent præterea, pleraque in duabus præcedentibus Dispositionibus (quarum Themata ad eundem finem tendunt) sunt annotata.

THE-

THEMA XXIV. CLASSIS V.

Hebr. 12. verſ. 7.

Si caſtigationem ſuſtinetis, vt filiis ſeſe offert vobis Deus. Quis enim filius quem non caſtigat pater? Quod ſi alieni eſtis à caſtigatione, cuius participes ſunt omnes, ſpurii eſtis, non filii.

DISPOSITIO.

Innuit Pſaltes Pſal. 51. v. 7. Deum nonnunquam in ius vocari ab hominibus: & iuſtificari ſapientiam Dei à filiis ſuis, author eſt Chriſtus, Luc. 7.

At vix eſt aliud, de quo magis litigent homines cum Deo, quàm hoc, Quare Deus affligat pios, impiis verò parcat? Super hac quæſtione ipſe etiam magni nominis Propheta Deo litem intendere non veretur, Hierem. 12. verſ. 1.

Hunc verò nodum egregiè ſoluit Apoſtolus in verbis prælectis. Hanc itaq; bimembrem quæſtionem examinabimus: audituri, 1. Quos Deus affligat & quare? 2. Quos viciſſim non caſtiget, & quæ cauſa, cur illis parcat.

I. Pars.

Principiò, cùm quæritur, Quos Deus affligat plerunque & præ cæteris? Reſpondet Apoſtolus, Filios ſuos dilectos. Et quidem omnes. Sequitur enim mox, Quod caſtigationis participes ſint omnes. Eſt itaque caſtigatio illa diuina ſignum paterni animi erga filios.

Hoc enim volunt verba Apoſtoli, ſi caſtigationem ſuſtinetis vt filiis ſeſe vobis offert pater.

Sed inſtat aliquis: Quare filios præ cæteris affligit, & quidem germanos atque Chriſtianos filios?

Reſpondet Apoſtolus ex Salomonis ore, Prouerb. 3. Quia diligit illos. Et quis eſt pater prudens atque cordatus, qui non interdum caſtigat filium errantem? Ratio eſt: Quia cupit ipſum euadere in virum bonum, Deum

timentem, & felicem. Er wolt gern ehr an jhme erleben. Ideoque sæpius corripit, atque diligentius etiam obseruat & seuerius castigat filium germanum, quam vel priuignum, vel quemuis alium peregrinum.

Notanda autem phrasis scripturæ, quæ ad filios Dei pertinet. Non inquit de filiis, quod puniantur, quod lædantur, affligantur, contundantur, & percutiantur, &c. sed quod castigentur. Sic enim innuit quæ sit differentia inter virgam patris erga filios, & inter plagas quibus puniuntur improbi: ea sc. quæ est inter virgam parentis & carnificis. Vatters Rut vnd henckers Rut sind sehr vngleich. Elegantissimè itaque loquitur de castigatione diuina, vocans hoc loco παιδείαν. Sic 1. Cor. 10. ait corripimur à Domino, παιδευόμεθα.

Et Tit. 2. Apparuit gratia, παιδεύουσα nos, &c. Quo simul vocabulo etiam vsum castigationis paternæ exprimit, quod scilicet per hanc disciplinam erudiamur, vt simus cauti in omni vocatione, ne offendamus patrem. Sic enim Erasmus locum illum Tit. 2. exprimit, quod gratia Domini sit erudiens nos. Idem autem vocabulum ibi quod & hîc & 1. Cor. 10. extat.

VSVM huius loci docet ipse Salomon sapientissimus, verbis quæ ab ipso Apostolo ex Prou. 3. allegantur, his scilicet, Fili mi ne neglexeris correptionem Domini, neque deficias cum ab eo argueris. Est itaque duplex admonitio. 1. Non negligendam illam castigationem. Erudire enim illa debet de peccato, quod hæret etiam in renatis. Et de inobedientia quam Paulus deplorat Rom. 7. Hanc mortificare cupit Dominus illa disciplina paterna. Hoc agnoscendum, cum Dauide, Psal. 119. vt correpti & disciplinati discamus iustificationes Domini.

2. Deindè verò non propter illam paternam castigationem deficias à Deo. Cauenda impatientia, quæ solicitat ad defectionem à Deo. Estque illa impatientia imago vxoris Hiobis, quæ iubet maledicere Deo. Iob. 2. v. 9. Muniendi autem animi piorum hac Apostoli doctrina, contra

contra murmur illud carnis, cum pedes ipſorum commouentur, Pſal. 73. verſ. 2. aduerſa illa piorum fortuna. De qua Hierem. 12.v.1.& Iob.21.

Reſpiciendum 1. ad Conſilium Dei, qui caſtigat ſimul & erudit paternè, ne cum mundo pereamus:

1. Cor. 11. verſ. 32. Ideoque, Bonum eſt mihi. Pſal. 119. verſ. 71. Es geſchicht vmb deß beſten willen. Vide & v. 67. Pſal.119.

2. Deinde notanda differentia illa inter τιμωρίαν Dei, atque inter παιδείαν, quæ propriè ad electos Dei filios pertinet.

Illa vltio & pœna venit à Deo irato ſuper impios. Diſciplina verò à Deo pacato, & ab animo paterno erga filios.

3. Et ſciendum, Caſtigationem hanc eſſe paternam. Non in æternum comminabitur. Pſal. 103. Er kan auch wider auffhören.

Cum iudicio caſtigaſti eos. Eſa. 27.v.8. Ier.30.v.11.&46. v.28. Momentum ira eius. Pſal. 30. v. 6. 2. Cor. 4. verſ. 17. Non vltra vires. 1. Cor.10. Er machts nit zu grob. Man dreſchet es nicht gar zu nicht. Eſa.28. v.28.

II. Pars.

Non omnes à Deo caſtigari ſuprà ex Hiobe & Hieremia audiuimus, ſed quoſdam non flagellari cum cæteris hominibus affirmat Pſalmus 73.v.5.

Quinam verò ſunt illi, quibus non eſt eadem ſors cum piis? Spurii ſunt & nothi. Sunt quidem etiam hi filii Dei, ſi creationem ſpectes. At ſunt filii degeneres, de quibus Eſa.1. Filios enutriui &c.

Ideoque non pro germanis agnoſcit Deus, ſed pro nothis. Quare autem illos non caſtigat? Quia non pro dilectis filiis agnoſcit: & quia ſcit illos non eſſe frugi, ideoq; non paterno amore proſequitur, ſed ad tempus liberos dimittit, indignos videlicet paterna caſtigatione: iuxta id Prophetæ. Quid vltra percutiam vos? Eſa. 1.v.5. & Ier.2. v. 30. Fruſtrà percuſſi filios veſtros, Diſciplinam non receperunt.

Tandem verò tarditatem pœnæ grauitate compensat, & ad internecionem cædit impios.

Sic Hierem. 12. Reseruas ipsos vt mactentur, v. 3. Et Psal. 73. prosternis ipsos, facti sunt in desolationem subitò. v. 18. & seqq. Et sunt sicut paleæ coram facie venti, Hiob. 21. v. 18. & seq.

Non enim hæc est sententia Apostoli, quod omninò parcat illis Dominus, & quod liberi sint futuri ab omnibus aduersitatibus: sed quod paternas quidem non sentiant castigationes, & interdum exigui temporis interuallo pro lubitu viuant, at tandem seuerissimis pœnis cohercentur, & digna factis accipiunt præmia. Ibi tum non virgam patris, sed carnificis experiuntur, non castigantur paternè, sed percutiuntur in furore, non patrem, sed vltorem Deum sentiunt, qui est ignis consumens.

Rogemus itaque ex Psalm. 6. Domine, non in furore tuo arguas: & patienter virgam patris feramus. Vide Ierem. 10. v. 24.

Errant autem grauissimè, qui malunt esse nothi & spurii magis, quàm filii germani, vt sint immunes à castigatione paterna. Imminet enim ipsis præsentissimus interitus.

Pari impietate laborant hi, qui cum (ab iis qui consolationis causa ipsos accesserunt) audiunt, ægritudinem vel alias afflictiones esse Dei visitationem, [de qua Christus Luc. 19. v. 44.] respondent interdum vel per iocum, vel ex impatientia, Vtinam me Deus domi non offendisset, &c. Aut qui similes nugas tractant. Absit hæc impietas à Christianis. Deus non irridetur, Gal. 6. vers. 7.

FINIS.

THEMA XXV. CLASSIS V.

2. Timoth. 2.

Certus sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus. Si sustinemus & corregnabimus.

DIS-

DISPOSITIO.

Quamuis nihil in hoc orbe Christianis magis sit commune, quàm pati & mori, tamen nihil etiam his duobus videtur esse grauius. Et licet spiritus interdum promptus sit, caro tamen semper est infirma.

Ideoque Spiritus sanctus hoc vnicè agit passim in scripturis, vt variis argumentis muniantur animi Christianorum, ne ex impatientia crucem (iugum illud Christi Matth. 11.) excutientes Deum abnegent, sicut id Paulus hoc ipso capite vocat.

Talis autem hic locus Pauli est, vt si præter hunc non extaret alius, vnus sufficere posset homini Christiano, ad excitandam patientiam, in omni aduersitatum genere. Singula p:nè verba singulare pondus habent. Illa itaque accuratius examinanda erunt, vt argumenta Pauli intelligamus, quæ potissimum tria sunt, ordine tractanda.

I. Argumentum Consolationis.

Dixerat in verbis immediatè præcedentibus Paulus, se omnia sufferre propter electos, vt ipsi salutem consequãtur, quæ est in Christo Iesu: cum gloria æterna.

Et addit: Si commorimur, scilicet huic, quem modò nominaui, Iesu Christo.

Hoc verbum [commorimur] habet in recessu hanc consolationem: Si maximè Christiano sint perferendæ plurimæ afflictiones, adeò, vt vitam etiam propter nomen Christi perdat, nihil tamen illi euenire nouum aut insolitum. Nec ipsum propterea angi & tristari debere, Quia moriatur cum Christo.

Cum Christo pati nos inquit, non cum mundo. Hoc omnem mortis acerbitatem lenire potest.

Qui cum mundo, vt Iuda, Saule, &c. patitur, nihil habet consolationis. At qui cũ Christo patitur, cum ipso etiam sentit consolationem diuinam. Gemina est hæc consolatio. 1. Quia Christus ante nos mortuus est, non sit nobis graue sequi ipsum. Non est seruus supra Dominum, Matthæi 10.

Si me persequuti sunt, persequentur vos etiam Ioan. 15. Si caput moritur, cur non etiam membra.

Si Dominus gloriæ crucifixus, cur nos miseri homunciones fugeremus crucem.

2. Deinde quam gloriosum est occumbere cum Christo Duce huius militiæ. Quam gloriosum est militi gregario occumbere a latere Imperatoris & Ducis belli. Perpetuum inde nomen acquirit, qui alias perpetuò esset ignobilis. Et si gloriosum Ionathamo occumbere in pugna pro patre, pro patria, quod Dauid prædicat, 2. Sam. 1. v. 23. non minus gloriosum Christiano pati, & mori cum Christo Domino gloriæ.

Ideoque Petrus hortatur 1. Pet. 4. Non pudeat vos sed Deum honorate. Qui cum Christo patitur non propter scelera patitur.

Gloriatur Paulus se stigmata Christi circumferre: Gal. 6. v. 17. & supplere quod deest passionibus Christi: his scilicet quæ quotidie patitur in suis membris. Col. 1. vers. 24.

II. *Argumentum Consolationis.*

Non obiicimur tot passionibus & morti, vt nihil inde nisi miseriam reportemus, sed magna sunt proposita præmia vincentibus in hac militia, & fortiter pugnantibus. Nam qui sustinent, illis promittitur regnum, qui mortis pericula fortiter adeunt, illis promittitur vita.

En tibi compensationem & largam remunerationem. **Wie können wir mehr gewinnen.** Moriendo vitam acquirimus, & sustinendo siue perseuerando regnum.

Miles aliquis sese obiicit tot vitæ periculis, perfert & obdurat, vt vel stipendium amplum, vel honoris augmentum à Duce suo acquirat: is nihil curat omnes aduersitates spe alicuius præmii, & id tamen adhuc dubium est: si vel Martis aleam vel Ducis ingenium spectes.

At miles Christianus propositum habet præmium, & brabeum amplissimum, regnum, vitam. Et id certum est.

Certus

Certus ſermo, ait Paulus. Non enim homo eſt mutabilis qui promiſit. Nec dubia pugna fortibus.

Pater enim promiſit regnum & diſpoſuit. Luc. 12. v. 32. Et dicet Matth. 25. hæreditate regnum, vobis paratum.

Plurimi certè pro regno dimicarunt vitæ cum periculo, (conſulantur hiſtoriæ ſacræ & prophanæ) nec pauciores pro vita ſua pugnarunt fortiſſimè. Quid igitur non faciat Chriſtianus? Paulus certè de ſe refert: Certaui, fidem ſeruaui. (2. Tim. 4.) repoſita eſt mihi corona. Ecce regnum. Item, occidimur, in mortem tradimur, ſed vita Ieſu manifeſtatur in nobis. 2. Corin. 4. Ecce vitam moriendo ſeruatam.

III. Argumentum Conſolationis.

Quod ſi pro regno terreno vitæ ſubeunda pericula: ſi vita corporalis tanto ſudore, tanto ſtudio conſeruanda, quid non ſuſtinendum pro vita æterna, pro regno æterno?

Latet itaq; maior vis conſolationis in vocabulo, Conuiuemus, & corregnabimus. Quo Paulus innuit non tantum vitam corporalem (quæ non tanti eſſet facienda) non regnum mundanum & terrenum tantum nobis obtingere, ſi commoriamur & compatiamur Chriſto, ſed cum Chriſto nos regnaturos, cum ipſo victuros in æternum. Sicut enim Chriſtus non viuit tantùm, non regnat tantum, ſed viuit & regnat in gloria, & quidem in æternū regnat (ideò Regni illius nullus eſſe finis Luc. 1. Dan. 7. dicitur) & in æternū non moritur (ideò Rex immortalis 1. Tim. 1. dicitur:) ita quicumque cum ipſo moriuntur & patiuntur æternam gloriam & vitam propter ipſum & cum ipſo hæreditabunt. Rom. 8. v. 17. &c.

Conformia enim reddet noſtra corpora ſuo glorioſo. Phil. 3. Hæc gloria tanta erit, quam humanus animus non poteſt aſſequi, (1. Cor. 2. Eſa. 64.) in his terris.

Et hęc tam ſunt vera, vt nihil ſit dubitandum cuiquam. Certus ſermo. Non enim Paulus vultu ſpem ſimu-

lat, premit altum corde dolorem: Sed certò Christianos hoc sperare vult. Spes autem hæc non fallit, Rom. 5.

VSVS HVIVS LOCI GENERALIS.

Quia fidelis & certus hic sermo, adeò vt ipsum filium Dei oportuerit per passionem & mortem intrare in gloriam suam, Luc. 24. quis non volet conformis fieri imagini Christi? Rom. 8. v. 29. vt etiam gloriæ eiusdem fiat particeps. Maximè verò considerandum, quod omnia huius mundi regna, quantumuis florentissima, nulla ratione possint comparari cum regno illo æterno, parato credentibus & viuentibus, in hac militia super terram, de qua Iob. 7.

Si potuit Agag vincere mortis amaritudinem fortitudine quadam externa, ceu militari, 1. Sam. 15. v. 32. cur non possit Christianus vincere omnem mortis & crucis acerbitatem his promissionibus amplissimis, Da freylich nichts zu verlieren ist/ etc.

FINIS.

THEMA XXVI. CLASSIS V.

2. Timoth. 4.

Eripiet me Dominus ab omni malo, seruabitque in regnum suum cœleste, cui gloria in secula seculorum, Amen.

DISPOSITIO.

Cum Paulus hanc posteriorem scriberet ad Timotheum Epistolam, Romæ captiuus detinebatur, imperante ibidem crudelissima illa bestia Nerone, cui homines occidere tantæ voluptati fuit, vt fratres, coniugem suam, & matrem etiam trucidare non fuerit veritus. Cum autem Epistolam finiret Paulus, nouit iam sibi esse propediem moriendum: quia tum secunda vice sistendus erat Tyranno illi truculentissimo, cuius ingenium Paulo satis

erat

erat cognitum. Ideoq; cap.vltimo ſcribit: Inſtat tempus reſolutionis meæ, & ego iam immolor, innuens ſcilicet ſe gladium Neronis exſpectare. Hæc audientes chariſſimi, putabitis Paulum vicinum ignominioſæ morti in magna fuiſſe trepidatione, in magnis anguſtiis & horrore mortis. At verò paucis verbis prælectis Paulus coram omnibus Chriſtianis publicè teſtari voluit, Quid ipſe de morte ſua ſentiat, docens ſcil. quomodo ad imitationem ipſius, Chriſtiani omnes mortem (etiam violentam, ſi ita ferat tempus confeſſionis) nullo modo debeant exhorreſcere.

Hæc itaque Pauli verba ſigillatim excutiemus primùm, Deinde ad noſtram vtilitatem quid faciant, audiemus.

Paraphraſis.

Cum primùm ſiſteretur Paulus Neroni, talis erat rerum facies, vt nemo hominum ipſi aſſiſteret. Omnes etiam amici deſeruerunt ipſum. Altera vice ſiſtendus, adhuc in maiori verſatur periculo. Tum enim ipſum extremo ſupplicio affectum perhibent ſcriptores Eccleſiaſtici. Factum anno Chriſti 70. Conuerſionis verò anno 37.

Non latent hæc Paulum, diuinitus procul dubio admonitum, quod inſtet tempus ſupplicij & immolationis. Quid verò Paulus? Olim Philippenſibus ſcribens, cupere ſe diſſolui aiebat, Phil. 1. At plerumque quando finis imminet vitæ, tergiuerſantur homines: Præſertim hi qui extremo ſupplicio ſunt afficiendi.

Vt trepidant illi, vt moras nectunt? Paulus verò à priori ſua ſententia dimoueri ſe non eſt paſſus. Ratio.

Quia aliter de morte ſua iudicat, quàm caro & ſanguis nos iubet. Quomodo igitur?

1. Primùm mortem ſuam vocat liberationem ab omni malo. Dominus me liberabit, inquit.

Et quidem per mortem. Finem ille malorum facit, apud pios ſaluandos, per mortem.

2, Quod ſi verò nulla accederet conſolatio maior, non eſſemus multò feliciores Ethnicis, qui & ipſi dixerunt, Mors ſi bona non eſt, finis tamen illa malorum eſt. At Paulus meliora etiam poſt mortem ſperat. Ideoque addit: Dominus ſeruabit in regnum ſuum cœleſte. Hæc demum magna eſt conſolatio Pauli, quod ſcit reſtare poſt mortem aliam vitam beatam. Et paratum ipſi locum in regno, ac regno quidem cœleſti. Ideò loco ſuprà allegato, nō diſſolui tantum cupit, ſed addit, cupere ſe eſſe cum Chriſto. Nunc verò lætus animam ſuam Chriſto ſeruatori reddere cupit: parum ſolicitus quid de corpore fiat. Mortem non timet, quia vitam ſperat. Terram non curat, quia cœlum petit.

3. Inquiat aliquis, interim tamen graue eſt gladio finire vitam. Decollatus enim eſt Paulus. Graue mori ſub carnifice, & perire morte ignominioſa. At Paulo hoc tam non eſt graue, vt Deo dicat pro tanto honore gratias. Addit enim, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Et meritò quidem. Gladius hic carnificis Martyrii coronam capiti Pauli imponit. Ideóq; gratias agit Domino, quod tanto illum dignetur honore. Licet enim coram mundo hic Pauli obitus videatur ignominioſus, pretioſa tamē mors ſanctorum coram Domino, Pſal.116.v.15. Sic Apoſtoli læti abeunt, cum virgis cæderentur, quod digni eſſent pati pro nomine Ieſu, Act.5.

LOCI COMMVNES.

I. Sicut Paulus paratus eſt mori, animo promptiſſimo, quia mortem ſcit eſſe liberationem ab omnibus malis, ita Chriſtiani omnes mortem non debent exhorreſcere, ſed illam ſubire læti atq; alacri animo, cum Simeone, Nunc dimittis, &c. Luc.2. Phil.1. Cupio diſſolui.

Qui verò vel ad nudam mortis mentionem trepidant, (quod multi faciunt delicatuli) illi ſanè ſtulti ſunt & ſibipſis contrarii. Etenim cum quotidie orant, Libera nos à malo, & interim illam liberationem auerſantur, quid faciunt

ciunt aliud, quàm quod Deo illudunt? Nulla enim in his terris perfecta potest fieri liberatio ab omnibus malis, nisi per mortem. Tum cessat paupertas, ægritudo, infamia, solicitudo, metus, & cętera, de quibus Syr. 40. vers. 1. quod per omnem vitam durent. Videantur exempla Gentilium quàm magno animo illi sæpè contempserint mortem.

At Christiani non tantum per mortem sę liberari ab omni malo, sed & seruari in regnum cœleste norunt. Ibi pauper fit diues, æger fit sanus, ignobilis celebris, tristis hilaris, & infelix felicissimus. Quare igitur non magis diligerent cœlestia q̃ terrena? Cum πολίτευμα nostrum in cœlis sit, Phil. 3. Desideramus superindui, & volumus exui, quia domicilium non manufactum expectamus, 2. Cor. 5.

Patriarchæ meliorem expetierunt patriam, hoc est, cœlestem, Hebr. 11.

Hæc qui fideli animo perpendit, non potest mortis horrore tantopere concuti, cum credat, mortem esse transitum ad vitam meliorem, Ioan. 5.

Et si Paulus violenta morte occidendus tam magno est animo, vt gratias insuper agat Deo, quare non potius qui naturali morte decedunt, gratias agunt Deo pro clementissima illa liberatione, & hæreditate cœlestium bonorum?

II. Si Deus voluerit nos cum Paulo mori, propter veritatis professionem, non sit hoc graue nobis. Sic enim Deus honoratur, 1. Pet. 4. Et Deo potius gratiæ agendæ, qui nos dignos iudicauit, Act. 5. v. 41. Etenim his reposita est corona vitæ, Iac. 1. 2. Tim. 4. immarcessibilis, 1. Pet. 5. Centuplum recipiet & vitam etiam æternam, Matth. 19. v. 29.

FINIS.

THEMA XXVII. CLASSIS V.

1. Petr. 4.

Charissimi, ne miremini, dum per ignem exploramini,

mini, quæ res ad experimentum vestri fit, quasi nouum aliquid vobis obtingat. Imò in hoc, quod consortes estis afflictionum Christi, gaudete, vt in reuelatione quoque gloriæ eiusdem, gaudeatis exultantes.

DISPOSITIO.

Mandatum Christi est ad omnes Christianos pertinens, Qui vult me sequi tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me. Luc. 9.

At tam durus est hic sermo, vt caro & sanguis vix possit capere. Est enim tale iugum, cui ægrè colla subdunt homines carnales.

Hortatur itaque Petrus Christianos regeneratos, ne grauentur crucem Christi portare. Egregiè autem hanc rem tractat: Ostendens sc. primum, Quid de cruce sit sentiendum, & quomodo animus hominis assuefaciendus cruci. Deinde subiungit rationes, quare æquo animo ferenda. De his dicendum.

I. *Pars.*

Primum non de leuissimis afflictionibus spem facit Christianis, quæ facilimè possint superari, sed vult ipsos animare ad grauem pugnam.

Ideoque calamitates varias & interdum satis graues vno vocabulo complectitur, ignem sc. vocans, vel *πύρωσιν*, (quæ incendium, vstionem & concoctionem significat) non tantum eam ob causam hoc loco, quia sit ignis probationis (de quo in 2. parte) sed quod afflictio Christianum adurat, & dolorem carni pariat. Es brennet vnd schmertzet. Sicut alias ignis adurens corpus, grauissimum excitat dolorem.

Sic etiam 1. Pet. 1 vers. 7. fidem per ignem tribulationum explorari asserit, sicut aurum igne probatur. Ita Psal. 66. Transiuimus per ignem. De grauissimis & vrentibus calamitatibus loquitur. Ita etiam. 1. Cor. 3. per ignem probabitur, hoc est, tentationibus grauissimis.

Neq;

Neque verò hæc ideò proponit vt sic terreantur homines, & refugiant propter afflictionum grauitatem: Sed quia tela præuisa minus ferire dicuntur, præmunit animos Christianorum, ne mox resiliant, si maximè æstus tentationum ipsos obruat. Es soll wehe thun / sonst were es kein Creutz.

Et ne nouum aut peregrinum aliquid sibi accidere putent, ideo prædicitur illis hoc. Μὴ ξενίζεσθε, hoc est, crux non à vobis accipi debet, tanquam nouus aliquis & inexspectatus hospes, sed scitote quod hæc sit quotidianus cibus Christianorum. In der Christen Hauß soll das Creutz kein gast sonder das täglich brot seyn. Quotidie enim vult nos Christus tollere crucem. Luc. 9. v. 23. Non debent mirari super hoc Christiani, ait Petrus.

Docet hæc prima pars, Christianos semper esse debere paratos, ad excipiendum hunc hospitem à Christo missum, ignem sc. tentationum.

Oportet per multas tribulationes ingredi. Actor. 14. Qui piè viuere volunt illos oportet pati 2. Timoth. 3. Es will vnd kan nicht anderst seyn. Oportebat enim Christum per eandem viam ingredi in gloriam. Luc. 24. v. 26. Calicem meum bibetis. Matth: 20. Calicem in manu habet Dominus omnibus propinandum. Psalm. 75. v. 9.

Ideoq; mox vbi Christo nomen dedimus oportet nos assuescere cruci. Ne miremini inquit Petrus. Facit hoc contra delicatulos quosdam Christianos, qui volunt pomnimò esse immunes ab omni tribulatione: & vbi sentiunt vel leuissimas calamitates, insurgunt aduersus Deum, & mirantur tāquam super re admodum peregrina. Stellen sich letz / vnd meynen es solte jhnen kein Creutz zu hauß kommen Hi sunt, de quibus Paulus Philip. 3. inimici crucis. At illorum finis est interitus.

II. *Pars.*

Porrò quia grauis est afflictio carni & sanguini, ideo Petrus rationes addit, quare æquo animo ferenda.

1. Ex-

I. Exploratio illa fit ad vestri experimentum. Sic enim probat Deus fidem vestram, tanquam aurum in igne. Huc pertinet etiam illa similitudo ignis. Eadem habentur etiam Prouerb. 17. v. 3. Sapient. 3. v. 6. Syr. 2. v. 5. Ier. 9. vers. 7.

DOCET hæc prima ratio, Non pernitiosam sed vtilem esse homini crucem & calamitatem, sicut omnia adiumento sunt in bonum diligentibus Deum, Roman. 8. Sic enim mortificatur vetus Adamus, excitatur homo ad preces ardentiores, Esa. 26. vers. 16. &c. Itaque non ægrè ferenda.

II. Non nouum aliquid & inusitatum aut insolitum accidit vobis, si tentet vos Deus variis calamitatibus. Est enim hæc communis sors Christianorum.

Imò sic consortes estis afflictionum Christi. Idem ferè Rom. 8. v. 29. imagini filij eius conformes.

Ipse filius Dei passus est tentationes & calamitates varias. Non igitur discipulus melioris esse debet conditionis quam Magister, Ioan. 13.

Ita 1. Pet. 5. Eandem afflictionem fratres habent. Phil. 1. v. 10. Idem certamen sustinete quod ego.

DOCET hæc secunda ratio, magnam esse eorum insolentiam, qui velint meliori vti fortuna, quam omnes ipsorum confratres per totum vbiq; mundum. Cogitandum potius, non decere Christianum vt secus tractetur, quàm ipse filius Dei, Apostoli, Prophetæ, Martyres, & omnes pii. Ich wills nicht besser haben dann andere. Vnser HERR Gott soll mir kein besonders machen. Non sum melior patribus meis, ait magnus ille Propheta Domini, 1. Reg. 19.

III. Ideò vos consortes facit Dominus afflictionum Christi, vt in reuelatione quoque gloriæ illius exultetis. Gaudete itaque potius propter afflictiones, quia magnam habent compensationem. De qua Roman. 8. v. 17. 2. Tim. 2. v. 11.

DOCET hæc tertia ratio respiciendum potius ad futura,

ta, quàm ad præſentia, quod & Paulus vult, 2. Cor. 4. v. 18. Superna quæramus, non terrena, Phil. 3. v. 19. Coloſſ. 3. In cœlis πολίτευμα, Phil. 3. Sicq; muniendi animi, quod non ſint pares afflictiones gloriæ reuelandæ, Rom. 8. Et quod iam ſpe ſalui ſimus, Rom. 8. v. 24. Ideoq; deſiderio teneamur alterius vitæ, 2. Cor. 5. v. 2. vbi reuelabitur gloria, & ceſſabit ſpes.

FINIS.

THEMA XXVIII. CLASSIS V.

Iac. 5. verſ. 10.

Exemplum accipite fratres mei afflictionis ac patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini. Ecce beatos dicimus eos, qui ſuſtinent. Tolerantiam Iob audiuiſtis, & finem Domini vidiſtis, quod valdè miſericors ſit Dominus ac commiſerans.

DISPOSITIO.

Patientiam in afflictionibus admodum eſſe neceſſariam, Epiſtola ad Hebræos cap. 10. diſertè teſtatur. Sic enim voluntatem Dei facere decet. Eadem quoque ſententia eſt Iacobi in capite quinto, vbi ad patientiam hortatur eos, qui Chriſto nomen dederunt, ſumpto argumento à præſentiſſimo aduentu Domini, quod ſimili de agricultura illuſtrat. Quia autem nouit Apoſtolus Iacobus, vix quicquam magis facere ad perſuadendum, quam exempla aliorum, ideoq; in his verbis primũ ſanctiſſimorum veterum Prophetarum: Deinde etiam optimi & patientiſſimi Hiobis exempla Chriſtianis imitanda proponit. Hæc duo nos exempla ſigillatim tractabimus, & quid in ſingulis conſideratu dignum iudicet Iacobus, expendemus.

I. *Pars.*

Fratres conſiderate exempla afflictionis & patientiæ Prophetarum.

Et

Et hæc quidem illustriora fient, si consideraueritis.

1. Primum quales illi fuerint homines, legati scilicet Dei omnipotentis. Loquuti enim sunt ad vos in nomine Domini. Non propria authoritate quicquam vel fecerunt vel dixerunt, teste Petro, 1. Pet. 1. sancti illi Dei homines.

2. Deinde considerate etiam quanta mala fuerint ab ingratissimo hoc mundo perpessi.

Contumeliam & ignominiam. Mose. Num. 12. v. 3. Esaias. cap. 28. v. 10. & 57. v. 4.

Egestatem & inopiam. Elias. Micha. 1. Reg. 22. vers. 27.

Verbera & carceres. Micha. 1. Reg. 22. Ieremias. Ier. 20. & 27. & 28. Hanani. 2. Par. 16. Exilia. Elias. 1. Reg. 19. Ieremias. Vide cap. 43. Imò mortem ipsam crudelissimam. Zacharias lapidatus. 2. Par. 24. Gladio Vrias occisus. Ierem. 26. Esaias ipse serra dissectus legitur.

Et, quem Prophetarum patres vestri non occiderunt? Act. 7. v. 52. Vide Matth. 23. v. 37.

3. Tertio verò loco considerabitis illorum patientiam propè incredibilem. Mose quem toties lapidare voluerunt adeò non succensuit aduersariis, vt pro illorum salute anathema fieri optârit. Exod. 32. Zacharias iam moriturus tantum hæc verba protulit, Videbit Dominus & requiret. 2. Par. 24. Et non tantum benè cœperunt, sed sustinuerunt, id est, ad mortem vsque in patientia perseuerarunt. Hos itaque meritò pronuntiamus beatos, qui omnem impatientiam vicerunt.

DOCET Iacobus, sanctorum exempla non tantum ideò proponi vt admiremur illos, sed vt imitemur illorum fidem, spem & patientiam. Stultum enim est, illos quidem prædicare beatos, interim verò non velle ipsorum exempla sequi, neque cum illis inter beatos numerari.

Et quis quæso bona conscientia detrectabit patientiam, qui hęc sanctissimorum hominum exempla expendit? Numquid enim illis sumus meliores? Minimè. Aut grauiora illis patimur? Nequaquam. An non eandem

cum

cum illis mercedem in cœlis repositam scimus? Maximè. An non cum illis beati esse cupimus? Etiam. Quare igitur non eandem cum illis patientiam præstamus in afflictionibus: Et arrogantis ingenij argumētum est, meliori velle esse loco, quàm ipse filius Dei, cum omnibus Prophetis & Apostolis. De hoc supra etiam. Facit hoc contra teneros quosdam Christianorum animos, qui putant indignum esse, si subiiciantur calamitatibus & ipsi, quibus Deus (nescio ob quam simulatam pietatem) debebat parcere: qui tamen ne vel cum minimo eorum, quorum exempla sunt supra allegata, comparandi sunt: imò indigni, qui aquam illis porrigant, quod dicitur prouerbio.

II. Pars.

Proponit Iacobus etiam exemplum Hiobis considerandum.

1. Quantæ fuerint illius calamitates, ex cap. 1. & 2. illius historiæ omnibus constat.

Concurrunt ibi innumera penè mala, Paupertas, liberorum orbitas, ægritudo, vxoris & amicorum atq; etiam famulorum malignus erga ipsum animus, contemptus, &c. Vide querelas ipsius cap. 19. 29. 30. &c.

2. Admiranda tamen ipsius fuit patientia, cum & bonis exutus, & liberis quoq; orbatus fuisset omnibus. Sic enim exclamat, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

Cumq; omnes vires nocendi intendisset, & à capite ad plantam vsq; pedis ipsum percussisset malignus ille Spiritus, tamen æquo hoc animo Hiobus tulit, dicens, Si bona suscepimus, &c.

Debetis igitur hoc exemplum (id enim vult Iacobus) imitari omnes.

3. Tantò autem magis præstanda patientia, quia finem etiam Domini vidistis, in affligendo Iobe. Vbi satis probata fuit patientia, fides & spes illius, Satanæ frenum iniecit Dominus, & abundè compensauit Hiobo omnia. Videatur finis historiæ Hiobis.

4. Nec poteſt aliter facere Dominus, cum ſit miſericors valdè & commiſerans.

L. Præterquam quod exemplum patientiæ Iobis nobis hîc imitandum proponitur, docemur etiam 1. ex hoc loco, ſpectare finem calamitatum, quibus Deus ſanctos illos homines exercuit. Non enim perpetuò affligit, ſed & finem facit. Eſt enim πολύσπλαγχνος, vt habetur hoc loco. Das Hertz bricht jme. Ier. 31. v. 20. Er kan nicht zu lang zuſehen. Ad veſperam fletus, Pſal. 30. Non ſinit tentari vltra vires, 1. Corin. 10. Magna hæc eſt conſolatio.

2. Exſpectandus autem finis Domini, & terminus, qui Deo videbitur opportunus: cum ſit adiutor in opportunitate, Pſalm. 9. v. 10. Non licet illi præſcribere tempus, ſicut Maria conatur facere Ioan. 2. Audit autem, Nōdum venit hora. Er weiß wohl wans am beſten iſt / vnd braucht an vns kein argen liſt / das ſolln wir jhme vertrawen. Finem Domini videbimus, ſi non in vita, in morte tamen; vbi perfecta ſequitur liberatio. Et finem quidem optatum atq; optimum.

Nota. Alij aliter exponunt verba hæc, [Finem Domini vidiſtis.] Mihi placet hæc ſententia, quæ à ſcopo verborum non deflectit.

FINIS.

THEMA XXIX. CLASSIS V.

Apocalyp. 2. v. 10.

Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Poſſet hoc Thema referri ad Claſſem I. perquam commodè, & in funere fidelis & benè de Eccleſia meriti alicuius Miniſtri tractari. Sed & ad omnes Chriſtianos in afflictionibus conſtantes pertinet.

DISPOSITIO.

Magnam continent hæc verba Ioannis promiſſionem,

factam Angelo, hoc est, Legato Domini, siue Ecclesiæ Smyrnensis Pastori: qui tum temporis ibi creditur fuisse optimus & constantissimus ille Martyr & confessor Christi, Polycarpus, Discipulus Ioannis Euangelistæ. Hic cum annis 86 fideliter Christo seruiisset, tempore quartæ persecutionis, sub Imperatore Commodo Vero, Anno Christi 170. rogo ardenti impositus, nec tamen à flamma absumptus, tandem verò ferro transfixus est. Vide histor. Ecclesiast. Euseb. lib. 4. cap. 15. Quia autem scriptura nos exempla sanctorum considerare iubet, ideoq; iam hæc verba diligentius excutiemus.

1. Audiemus promissionem factam Smyrnensis Ecclesiæ Antistiti de corona vitæ.

2. Qua verò conditione corona hæc illi promittatur, subiiciemus.

I. Pars.

Christus, qui à Iohanne vocatur cap. 1. v. 13. similis filio hominis (sicut & Dan. 7. v. 13.) & Apoc. 2. v. 8. dicitur mortuus, qui reuixit, per Ioannem Euangelistam, cui in visione apparuit, promittit Angelo, id est, Antistiti Ecclesiæ Smyrnensis (illi scilicet, quem supra diximus, Polycarpo) coronam vitæ.

Huius coronę non semel fit mentio in scripturis. 1. Corinth. 9. mentio fit coronæ incorruptibilis. & 2. Tim. 4. Coronæ iusticiæ. Iac. 1. Coronæ vitæ. & 1. Petr. 5. immarcessibilis gloriæ.

Per coronam autem vsitatissima Metonymia, (vbi signum pro signato accipitur) intelligitur regnum. Sicut etiam in lingua Germanica eadem vtimur Metonymia, vt cum dicimus, Die Cron Behem/intelligimus Regnum Bohemiæ, &c. Promittitur ergo Polycarpo, vno verbo regnum cœleste, & æternum. Cuius etiam se consortem fore Paulus sperat, 2. Tim. 4. v. 18. Et corona vitæ pro vita æterna dicitur.

Locvs. Antequam pergamus, charissimi, sciendum

amplissimam hanc promissionem de corona & regno cœlesti, non Paulo tantum & Polycarpo factam esse, sed & omnibus Christianis fidelibus. Sic enim ipse Paulus 2. Tim. 4. Non solum mihi sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Sic Christus non Apostolis tantum dixit, Edetis & bibetis mecum in regno & sedebitis super thronos, Luc. 22. sed & omnibus electis se parasse regnum hæreditandum, ipse author est Matth. 25. v. 34. Iac. 1. Coronam vitæ promisit Deus diligentibus eum.

De infantibus etiam Christus pronunciat, quod ipsorum sit regnum cœlorum. Marc. 10. v. 14. Ita nos omnes etiam iubet quærere regnum Dei & iustitiam eius. Matth. 6. v. 33. Sumus enim vocati ad regnum & gloriam. 1. Thess. 2. v. 12. Et translati illuc. Col. 1. v. 13. vt accipiamus immobile regnum. Heb. 12. v. 28.

Magna hæc gloria Christianorum, magna consolatio, quod Christus fecit nos Reges & sacerdotes Deo & patri suo. Apoc. 1. v. 6. & 5. vers. 10.

Gratias itaque ipsi debemus immortales, vt dicamus cum Ioanne, Apoc. 1. Ipsi gloria & imperium, &c.

Omnia enim huius mundi regna collata cum regno cœlesti electis parato, non vnius assis æstimanda sunt. Turpe igitur relinquere cœlestia, immobilia & incorruptibilia, & eligere caduca, vana & momentanea, &c.

Quærenda quæ suprà sunt. Col. 3. vbi πολίτευμα nostrum. Phil. 3.

II. Pars.

Secundo autem loco iam notandum, Qua conditione Polycarpo Antistiti Smyrnensi promissum sit hoc regnum & corona hæc vitæ, de quibus iam diximus.

Esto fidelis. Fac officium & constanter assere nomen Christi Seruatoris, contra omnes Iudæorum & Gentilium furores. Et licet maximas sis experturus persequutiones, & capitis etiam supplicium, ad mortem tamen fidelis esto. Respice coronam vitæ æternæ, & facile relin-

ques

ques hanc vitam terrenam. Vide etiam verſ. 10. huius capitis, Apocal.1. Hæc animo ſuo perpendens Polycarpus, teſte Euſebio, nec beſtiarum dentes, nec ignis flammas tanti fecit, vt vel hoc vno verbo [Iuro per Cæſaris fortunam] vitam voluerit redimere: ſed magno animo minitanti Proconſuli reſpondit, Voca beſtias: Infer ignem & quicquid lubet. Et rogum ardentem lætus pertulit, atq; ad mortem fidelis manſit.

DOCEMUR ex hoc loco, Non ignauis, non delicatulis, non certamen detrectantibus, non deficientibus tempore afflictionum, ſed certantibus, currentibus pro brabeo, fidem ſeruantibus & fidelibus ad mortem vſque, paratum eſſe regnum vitæ.

Nemo coronatur niſi qui certauerit. 2. Tim. 2.

Non qui deficit in curſu brabeum accipit. 1. Cor. 9. Sed vincenti dabitur. Apoc. 1.

Ideoque Paulus de ſe, certaui, fidem ſeruaui. 1. Tim. 4.

Qui enim non tollit crucem & ſequitur Chriſtum, non eſt dignus ipſo. Matth. 10. Luc. 14.

Nec qui poſuerit manum ad aratrum, & retroſpexerit, aptus eſt regno cœlorum. Luc. 9. At qui perſeuerauerit, ſaluus erit. Matth. 10. & 24. Qui fidelis ad mortem vſq; coronam accipiet.

Sciendum autem hoc loco, Deum vires ſubminiſtraturum, vt poſſimus ferre mortem & omnia propter nomen ipſius. Ego tecum, ne timeas. Eſa. 43. v. 2. Cum ipſo ſum. Pſal. 91. v. 15.

Hoc agnoſcit Polycarpus, nolēs clauis affigi & dicens: Qui ignem ferre poſſe dabit, dabit etiam vt ſine veſtra clauorum cautione immotus in hoc rogo permaneam.

Non eſt itaq; detrectanda conditio, ſub qua promiſſio facta eſt de corona vitæ, ſcil. ſi fidelis maneas ad mortem.

Hoc eſt id ipſum quod Paulus habet 2. Timoth. 2. Si commorimur conuiuemus. Qui autem vitam hanc terrenam magis diligit, quàm cœleſtem, & æternam atque immarceſſibilem, coronam illam non cupit accipere.

Dicamus ergo (si vel ignem tribulationum de quo 1. Pet.4.v.12. vel rogum etiam ardentem experiri cogamur) cum Polycarpo: Ignem minaris ad horam arsurum, ac paulò post extinguendum: ignoras enim ignem illum futuri iudicij & æterni supplicij impiis reseruatum.

Item, dicamus cum ipso, Christianus sum. Et gratias ago tibi Pater, quod me hac hora dignatus es, vt partem accipiam in numero Martyrum, in populo Christi, ad resurrectionem vitæ æternæ, &c.

Faciunt hæc ad patientiam in omnibus afflictionibus & morte etiam, apud eos, qui non respiciunt præsentia & visibilia, 2. Cor.4.v.18. sed coronam vitæ promissam.

APPENDIX CLASSIS V.

CONTINENS THEMATA QVÆDAM IN FVNERIBVS leprosorum tractanda.

THEMA I.

Ex 2. Paralipom. 26.

Historia de Vsia seu Azaria Rege Iuda leproso.

DISPOSITIO.

Sepeliuimus hodiè leprosum quendam, hominem multis annis (si corporis qualitatem spectare velimus) sanè miserum. Est enim lepra propter contagium horribile & abominandum malum. Et plures hoc malo infectos olim etiam in populo Israëlitico fuisse, Christus author est, Luc.4.v.27. Et scriptura quidem exempla viginti leprosorum ob oculos statuit, quorum alij, 14. scilicet numero, singulari Dei beneficio mundati, cæteri verò ad finem vsque vitæ leprosi fuisse leguntur. Neque hi tantum ex vulgo hominum fuerunt, sed in his etiam Vsiæ siue Azariæ Regis, & quidem inter Reges Iuda nec minimi nec im-

impiissimi exemplum iam recitari audiuimus. Occasione itaq; præsentis funeris audiemus. 1. Quis ille Vsias Rex ante quàm leprosus fieret. 2. Quomodo lepra infectus fuerit. 3. Et quid pòst de ipso factum.

I. Pars.

Fuit Vsias siue Azarias Rex Iuda filius Amasiæ, qui inter pios Reges numeratur, licet Idololatria & superbia peccauerit aliquando, & satis graues eo nomine pœnas dederit. Insistit vestigiis patris filius, fecit rectum coram Domino, quamdiu Zachariam Prophetam habuit Doctorem, & fuit felicissimus in omnibus actionibus, omni tempore quo quæsiuit Dominum, 2.Par.26.v 5.

Debellauit Philistæos auxiliante Domino, Ammonitas habuit tributarios, & fama illius celebrata fuit passim vsque in Ægyptum.

Ædificauit etiam ciuitates, arces, diues agri, pecorisque: & creuit illius potentia Deo prosperos successus dante, vers. 15.

Potentior autem factus, peccauit superbia & arrogantia, & neglexit Dominum Deum suum. Zu seinem Verderben. habet Textus, v.16. Quid autem mali designârit, de eo in specie in secunda parte dicetur.

L. Videmus quam faciles sint lapsus humani, & quam verum illud sit, Prauum (trutzig) est cor hominis, Ier.17. præsertim vbi omnia ex voto succedunt. Tum enim plerumq; illud pronuntiatum pro symbolo habetur: Secundas res decent superbiæ.

Eodem modo Amazias pater Vsiæ peccauerat, elatus victoria quam ab Edomitis reportauerat, bellum denuncians vicino Regi Ioas, 2.Paral.25.v.17. Certè ipse etiam Dauid prosperiori vsus fortuna incidit in adulterium, 2.Sam.11.v.2. Hoc intelligens Sapiens deprecatur diuitias, Prou.30.v.9.

Hæc ideò dicuntur, ne graues sint nobis afflictiones & miseriæ, quæ certè hunc vsum habent, quod in humilitate detinent Christianum.

Bonum est mihi Domine, quod humiliasti, Psalm. 119. Antequam humiliarer, erraui, Psal. 119. v. 67.

Corripit Dominus, ne cum mundo condemnemur, 1. Cor. 11. Scit enim quid sit in corde hominis, qui cor & renes scrutatur, Ierem. 17. & 20. Rom. 8. v. 27.

Non facilè (imò carni & sanguini propè impossibile) est, æqua commoda mente pati.

II. Pars.

Superbiam Regis punit Deus morbo graui, fœdo, & incurabili, lepra scilicet. Etenim cum Vsias ex arrogantia, posthabitis fidelissimis admonitionibus Sacerdotum, Asariæ & 80. Collegarum, arrepto thuribulo incensum adolere conaretur, & Sacerdotibus reprehendentibus ipsum (quod contra manifestam legem Domini peccet, & pœnas Deo daturus sit grauissimas) superbè indignaretur, & minas etiam spiraret, è vestigio in ipso templo, super altare thymiatis, publicè est lepra in fronte (vt omnes agnoscerent iudicium Domini) notatus, quæ adhæsit ipsi omnibus diebus vitæ. Et post mortem etiam sepultura Regum Iuda caruit, quia lepra à Deo percussus erat.

Loci possent tractari hîc aliquot.

I. Deum etiam Magnatum peccata videre & punire velle.

II. Ne Regum quidem superbia Deo placet. Minus priuatorum.

III. Nemo sit ἀλλοτριοεπίσκοπος, 1. Petr. 5. nec Ministris Ecclesiæ præripere conetur, quod illis à Deo est commissum.

IV. Man kan sich an armen Pfaffen auch versündigen. Sed qui sequitur locus, propriè instituto nostro seruit.

Discimus hîc, lepram, vt & omnia alia morborum genera, pœnas esse peccati. Sicut enim mors, ita etiam nuncii mortis sunt stipendia peccati, Rom. 6. Præterea etiam interdum certa peccata certis morbis puniuntur; sicut exempla leprosorum in scripturis testantur.

Miriam

Miriam arrogans eadem plaga punitur qua hîc Rex Vsias, Num.12.v.10. Gehasi mendacium & auaritia lepra punitur, 2.Reg.5. Ioabi crudelitas in posteris lepra punienda prædicitur, 2.Sam.3.v.29. Sicut scortatio scabie maligna, quæ interdum à lepra parum abest, punienda dicitur, Syr.19.v.3.

Audiui ego à leprosis, qui ingenuè confessi sunt, quod nimia ingurgitatione, &c. hoc malum contraxerint.

Et ni exempla essent odiosa, possent plura adduci, vbi inprimis superbia fœdis morbis punita fuit. Sicut etiam propter superbiam Herodes factus est σκωληκόβρωτος, Actor.12. Cauenda itaq; talia & similia peccata.

Quod si quis præter suam culpam tali inficiatur plaga, patienter ferre debet: cum testentur exempla etiam leprosos fuisse Deo curæ: licet non omnes liberati fuerint ab illis fœdis morbis. Leprosi 4. 2.Reg.7.

Vide commiserationem Christi super leproso, Matth. 8. Marc. 1.

Animæ enim hic morbus non nocet: sicut Vsias nihilominus est saluatus. Interdum hic morbus eò seruit, vt afflicto corpore, anima salua sit: Inuitat enim ad pœnitentiam. Et ideò magis sint solliciti de cura animæ, quam corporis, quod in terram reuersurum est. Anima autem ad Deum redit, qui dedit, Eccles.12. In resurrectione enim illorum corpora erunt ἄφθαρτα, quæ hîc fuerunt φθαρτὰ, & quod seminatum est in φθορᾷ, resurget in ἀφθαρσίᾳ, 1.Corinth. 15.

III. *Pars.*

Vsias lepra notatus eiicitur ex templo, quod non erat polluendum. Et ipse quidem agnoscens iudicium Dei festinat exire de templo. Regno ineptus cēsetur, & priuatus viuit in domo separata. Piè tamen moritur cum patribus.

L. Leprosi & alij morbidi, scabie maligna, &c. infecti agnoscant, plagam ipsorum esse à Domino, & ideò ferant patienter istam separationem à cōsortio hominum,

à Deo prrudenti consilio mandatam. Leu. 13. Deut. 17. & 24. Nec cupiant esse molesti aliis: dicentes illud Mich. 7. Iram Domini portabo, Quia peccaui illi.

Ipse Rex Vsias habitat in domo separata: Et leprosi illi decem stant à longè. Luc. 17.

Et hoc agant, vt, cum vident corpus quotidiè emori, anima tamen illorum viuat in æternum, & corpus reddatur gloriosum post hanc vitam. Phil. 3. v. 21.

Magistratus etiam hac in parte faciat officium, cum hîc ne Regi quidem potentissimo patcatur: & segreget infectos à consortio hominum, absq; personarum respectu. Prospiciat autem ipsis de victu & necessariis, ne cogantur hinc inde oberrando aliis esse molesti, & victum emendicare vicatim, &c.

FINIS.

THEMA II.

In funeribus Leprosorum.

Ex 2. Reg. 5.

Historia de Nahamano leproso sanato.

DISPOSITIO.

Introducit in conspectum nostrum præsens historia virum magnum & honoratum apud Regem Syriæ, prædiuitem etiam atque militiæ Principem, Nahamanum, qui cor oculusque Regis fuit, per quem salus toti regno Syriæ hactenus contigit: & cui præter corporis prosperam valetudinem ferè nihil felicitatis defuit. Erat autem fœdo & abominabili morbo infectus, lepra scilicet. Sed & anima illius horribili labe Idololatriæ polluta erat. At mirabili Dei consilio factum, vt salutem animæ & corporis acceperit, mediante Propheta Elisæo. Cum igitur historia sit ad modum iucunda & vtilis, placuit illam in præsenti leprosi defuncti funere explicare, summatim præcipua tantum illius capita tractando.

Dice-

Dicemus 1. Qua occasione Nahaman peruenerit in Israel.

2. Quid circa illius mundationem acciderit.

3. Quid restitutus sanitati fecerit.

I. *Pars.*

Magna est calamitas Nahamani, quod tam fœdo & incurrabili morbo infectus est. Nec dubium quin pro redimenda sanitate omnem suam substantiam (quæ sanè magna erat) profudisset lubens. At nulla nec arte nec virtute humana morbus potest abigi. Diuina igitur prouidentia illi consulere vult, & quidem occasione mirabili, per puellam famulam captiuam: quæ de miraculis Prophetæ Elisæi ipsum edocet, & persuadet ei, vt acceptis à Rege suo literis intercessoriis (sicut vocantur) magno cum comitatu, magnisque cum diuitiis, proficiscatur in Regnum Israelis, vt ibi restituatur sanitati.

Loci. I. Docet exemplum Nahamani, nihil ex omni parte beatum in rebus humanis. Ecce enim qui honoribus, diuitiis, authoritate, fauore Regis & aliorum, magnaque felicitate est cumulatissimus, morbo tamen fœdo est correptus & sanitatem non habet. Vicissim puella famula captiua, paupercula quidem sed tamen corpore sana est.

Sic enim Deus solet partiri sua bona, vt Nahaman habeat diuitias & honorem, sanitatem autem non habeat: vicissim famula ratione sani corporis sit diues, licet diuitias non habeat. Nec vni omnia, nec omnibus vnum dat. Et habet huius rei suas causas, vt scilicet alius sic alteri cogatur seruire, & tam Nahamanus indigeat opera puellæ, quæ illi fuit loco magni thesauri, quàm puella indiget opera heri.

Vnusquisque ergo suam baiulet crucem, sciens à Deo ita esse prospectum ipsi.

L. II. Videmus heros interdum opera famulorum suorum magis indigere, quàm famuli Dominorum. Certè

tè hæc famula plura contulit Nahamano, quàm Rex Syriæ, qui ipsum multis cumulauit diuitiis.

Sint itaque famulis æquiores. Ephes.6. Coloss.3.

L. III. Multi tantum diuites putant esse beatos. Simile ferè iudicium Psalm.73.v.12. Et Ierem. 12. v. 1. At plerumque Deus illis diuitias amaritudine aliqua solet condire, vt & ipsi habeant, quod illos exerceat. Vel si diuites sunt, hæredes ex se natos non habent: Et id Abrahamum prædiuitem torquet multo tempore. Genes. 15. v. 2. Vel liberos habent inobedientes, vt Iacobus.

Vel deest illis ingenium & prudentia, vt Nabalo. 1. Sam.25. v. 25. Et quid prodest stulto habere. Prou.17.v.16. Vel sanitatem corporis non habent, vt Nahaman, Asa. Ideoque tu non optes tibi illorum diuitias, sed viue tua sorte contentus. Prou.30.v.8. Et cogita, Magnus quæstus pietas. 1. Tim. 6.v.6.

Inprimis verò qui est corpore valido, habet de quo gratias agat Deo, plus quam de multis diuitiis.

Salus corporis est patrimonium pauperis, ait Augustinus super Psalm. 76. Tom. 8. pag. 578. Nec commutasset puella captiua suam sanitatem cum Nahamani diuitiis.

Pergamus autem cum Nahamano ad Regem Israelis, vt tradamus illi literas Regis Syriæ & audiamus, quid circa mundationem ipsius Nahamani factum.

II. Pars.

Rex Syriæ Idololatra nullam aut exiguam habet cognitionem miraculorum diuinorum, quæ per Prophetas fiunt in Israele. Ideoque audiens esse qui in Israele possint sanare leprosos, non intelligit, quomodo id fiat, aut per quem, & propterea nescit informare stylum suarum literarum.

Sed & ipse etiam Rex Israelis Ioram, non minus impius & idololatra, qui nec miracula nec Prophetam Dei hactenus multum curauit, nescit, quid velint literæ Regis Syriæ,

Syriæ, cum ipſe leproſos ſanare non poſſit: nec credat virum Dei id poſſe præſtare. Neq; enim tantum ſcit (quo ad cognitionem veri Dei) quantum puella illa captiua. Ideoque malè ſuſpicatur de Rege Syriæ. Eliſæus verò audiens Regem valdè literis illis perturbatum, Nahamanum ad ſe mitti iubet, vt omnes intelligant eſſe in Iſraele Domini Prophetam. Et venienti magno cum comitatu Nahamano non ipſe obuiam procedit, (ne videatur captare velle munera) ſed nuntios mittit qui dicant ipſi, Lauare ſepties in Iordane, &c. Ibi Nahamanus ſuam prodit infirmitatem & indignabundus vult ſecedere in Syriam. Inſtantibus autem ſeruis, vt obediat monitis Prophetæ (cum nihil quicquam, quod vel difficile factu vel planè impoſſibile ſit, præceperit) imperata facit Nahaman, & lauatur ſepties in Iordanis flumine, & confeſtim recipit ſanitatem.

LOCVS. Cæteris plurimis breuitatis cauſa hoc loco omiſſis, elegans ſeſe offert allegoria, quæ ex hac hiſtoria poteſt tractari.

1. Lepra eſt horribile malum & tanto grauius, quod contagioſum, & hæreditarium. Ideò leproſi è conſortio hominum ſegregantur.

Sic peccatum eſt malum horribile, & à Protoplaſtis in omnes deriuatum homines. Rom. 5.

Et propter illud Protoplaſti cum hæredibus Paradiſo eiecti ſunt.

2. Lepra eſt morbus incurabilis. Ideòque omnibus theſauris ſuis Nahaman ſibi non poteſt comparare ſanitatem.

Peccatum nemo hominum vel Angelorum à nobis potuit tollere. Solus Deus id potuit.

3. At ſicut Nahamano videntur media partim præpoſtera, partim contemptibilia: quod Propheta non ipſe apparet, manus non imponit, ſed ad aquas Iordanis ablegat, &c.

Ita nobis videntur media, quibus Deus in mundandis

nobis

nobis vtitur, valdè esse contemptibilia, quod neque ipse per angelos nobiscum agit, neque de cœlo nos mundos pronunciat, sed ministros verbi cum mandatis, quæ ridicula interdum videntur, mittit, & ad aquas Baptismi ablegat. Ridet hæc Sacramenta nostra ratio, sicut Nahaman aquas Iordanis.

4. Attamen Nahamanus verbis suorum seruorum persuasus, vt non contemnat mandatum Prophetę (licet id videatur ridiculum) experitur lauacrum admodum salutare esse, Iordanis illas aquas: Ita certum est Baptismi aquam, mediante verbo & Spiritu sancto, esse lauacrum regenerationis, quo mundamur vt salui esse possimus. Eph.5.v.26. Tit.3.v.5.

Quicunque baptizati estis Christum induistis. Galat.3. Est stipulatio bonæ conscientiæ coram Deo.1.Pet.3. Ideoque nulla ratione contemnendum. Et si rem grandem præcepisset Dominus, facere debebamus, quantò magis si nos lauari vult.

Et profectò si rectè consideramus, summum mysterium & rem grandem habet Baptismus: vbi non Regnum mundanum sed cœleste confertur baptizato. Ideoque etiam est magni faciendus. Maius debet esse gaudium apud baptizatum, quàm apud Nahamanum mundatum, qui multo auro & argento illud beneficium cupit compensare. De quo in 3. parte.

L.II. Videmus etiam quis sit vsus calamitatum: idq; exemplo puellæ captiuæ & ipsius Nahamani patet. Si Nahaman non fuisset leprosus, nunquam peruenisset ad cognitionem veri Dei. Lepra autem facit illum in scriptura celebrem, & occasio est quod æternam consequitur salutem.

Sic captiuæ puellæ miseria & captiuitas non tantum seruit Nahamano, sed & gloriæ Dei, & facit vt innotescat nomen Israelis toti Syriæ. Et quam largam putas illam puellam accepisse ab hero domum reuerso compensationem? Cum is fuerit valdè liberalis erga prophetam,

tam, & Gehasi famulum. Sie ist gewiß ein Reiche fraw worden durch jhne.

Itaque æquo animo ferendę calamitates diuinitus immissæ, quæ si nihil afferrent secum commodi prætérquam quod impellunt ad Deum & ad preces, (de quibus Esa.26.v.16.) tamen abundè compensarent dolorem ex illis natum.

Possunt hæc illustrari exemplo Chananeæ, Matth.15. Reguli. Ioan.4.

L. III. Seruorum etiam & infimæ sortis hominum monita non esse contemnenda, patet ex hac historia, vbi serui Nahamani multo rectius sapiunt hero suo.

Sed hic locus vt & alii quamplurimi propriè ad institutum nostrum non pertinent.

L. IV. Plures leprosi in Israële erant sub Elisæo Propheta, & tamen nemo eorum mundatus est nisi Nahaman Syrus (ait Christus. Luc. 4.) Atque hoc dicto docere voluit, diuina beneficia non contingere nisi petentibus & gratis, qui Deum agnoscunt, & precibus suis apud ipsum instant. Itaque qui cupiunt experiri bonitatem Dei, tendant ad limina Prophetarum Domini, in Israëlem: id est, conferant se ad ea loca, vbi sonat syncerum verbum Domini, vbi est Ecclesia, vbi preces funduntur ad Deum. Ibi se in medio affuturum Christus promisit. Matth. 18. Et qui salutem corporis non consequuntur, animæ tamen salutem ęternam ex auditu verbi Dei certò sunt consequuturi.

III. *Pars.*

Agnoscit Nahaman beneficium planè diuinum, & singulare miraculum. Ideoque iam restitutus sanitati non mox domum abit, sed reuertitur ad Prophetam, & confessionem edit de Deo Israëlis.

Promittit etiam se non amplius adoraturum Idolum Rimmon sed verum Deum Israëlis.

Et quia nec officii nec familiæ ratio permittit, vt perpetuò

petuò in Israële hæreat, sed necesse est, vt sanus suo Regi seruiat, qui illum tulit leprosum, ideò petit portionem aliquam tantùm de terra Israëlis, vt super illam stans vel orare vel Deo sacrificare possit: & sic semper memor sit terræ Israëlis, in qua illi benefactum fuit.

Deinde protestatur, si maximè officij causa comitetur suum Regem in templum Idoli Rimmon, se tamen ibi verum Deum adoraturum. Ideoque vult prophetam suas coniungere preces, ne Deus ipsi irascatur.

Sed & erga Prophetam suam vult testari gratitudinem & offert illi amplissima munera. At Propheta penitus respuit, vt intelligat Rex Syriæ & hic Neophytus Nahamanus, atque omnes alii, ipsum Dei gloriam, non nummos quærere. Dimittit autem illum in pace, & iubet bono esse animo, si maximè officium politicum prestet Regi idololatræ, (cum aliter non possit) tamen Deum illi fore propitium, si ipse abnegata idololatria vero Deo adhæreat.

LOCVS I. Gratitudo placet Deo, sicut in Samaritano, Luc.17. Tot enim sunt beneficia Dei, pro quibus nunquam condignas possumus agere gratias. Placent autem Deo sacrificia labiorum, Heb.13.v.15. Psal.50.v.14. & Psal. 116.v.12. Qui autem non agit gratias pro datis, non est dignus dandis. Certè & nos omnem sanitatem corporis debemus Deo ferre acceptam, non minus quàm ipse Nahamanus. Sed & erga homines, quorum opera Deus vtitur in promouenda nostra salute (tàm corporali quàm æterna) gratos nos esse decet. Vide exempla, Gen.14.v.21. Ios.6.v.18. Iud.8.v.22.

QVÆRITVR hoc loco: Vtrùm Nahaman potuerit salua conscientia ingredi cùm Rege in templum Idoli? Respond. Quòd sic.

1. Quia protestatur se non religionis sed officij causa ingredi templum.

2. Extra casum confessionis hoc fit. Si autem Rex quærat, vtrum velit colere Rimmon, ibi requirit necessitas, vt edat confessionem.

3. Non

3. Non iam primum offert Regi ſuam operam, ſed priſtino officio fungitur.

4. Non conſulit illi Propheta vt deſerat vocationem, & poteſt etiam alios conuertere. Idem in ſimili caſu poteſt fieri. Valentinianus comitatur Iulianum ad ſacra. Sic & ſocii Daniel. At non ſunt hæc latius extendenda.

FINIS.

THEMA III.

In funeribus Leproſorum.

Ex Matth. 8. vel Marc. 1. aut Luc. 5.

De leproſo ſanato per Chriſtum in ciuitate.

DISPOSITIO.

Non inconueniens præſentis funeris deductioni erit tractatio hiſtoriæ quam prælegimus, de leproſo mundato in ciuitate quadam: quod quidem defuncto etiam contigit, ſed nec in ciuitate, quia extra illam mortuus, nec viuo quoque: quia placuit Domino illi non niſi per mortem largiri ſanitatem.

Poterit autem hic noſter leproſus Euangelicus non morbidos tantùm, ſed & ſanos atq; valentes erudire. Videamus igitur 1. illius miſeriam & preces pro reſtitutione. 2. Chriſti operam medicam. 3. Et ſanati gratitudinem.

I. Pars.

Chriſtum in ciuitate quadam commorantem, Luca referente, conuenit vir quidam plenus lepra. Eſt autem hic ſanus fide & credens. Ideoque proſtratus ad pedes Ieſu, ſubmiſsè rogat, Domine, agnoſco, te poſſe me ſanare. Neſcio autem an velis, & an hoc conducat animæ meæ. Si voluntas tua eſt, & mea vtilitas, reſtitues mihi ſanitatem, ſcio. Magna fides, magna etiam ars precandi.

L. Egregiè autem monſtrat nobis hic leproſus, quem Medicum quærere debeamus in omni morborum ge-

nere: etiam in deſperatiſſimis: & modum ſimul docet, quomodo illius opem implorare debeamus.

1. Non implorandum auxilium Magorum, incantatorum & ſimilium. Nam hoc eſt conſulere Diabolum, quod facit Ahaſias conſulens Baalſebub. 2. Reg. 1.

Nec confidendum in opera Medicorum, quod facit Aſa. 2. Paralip. 16. Non tamen plane reiicienda medicina. Syr. 38. Quærendus Dominus, verus Medicus. Exod. 15. Deut. 32. v. 39. Idque piis precibus faciendum. Syr. 38. v. 9. Iac. 5. v. 14.

2. Preces autem ita informandę exemplo leproſi. 1. vt nihil dubitemus de ipſius potentia. Domine tu potes. Poteſt occidere & ſanare. Deut. 32. 1. Sam. 2. Sap. 16. 2. Deinde verò ipſius voluntati hoc permittendum. Domine ſi tu vis, Fiat voluntas tua 1. Sam. 3. v. 18. Eli. 2. Sam. 15. v. 26. Dauid. In corporalibus bonis enim, quibus abſque iactura ſalutis poſſumus carere, ſemper annectenda hæc conditio, Fiat voluntas. Exemplum Chriſti. Matth. 26. v. 39. In ſpiritualibus autem & ad ſalutem neceſſariis, abſolutè petendum ſine omni conditione: vt Pſalm. 51. Munda me, laua me, redde mihi, non auferas ſpiritum. &c. Luc. 18. Eſto propitius. Luc. 17. Adauge fidem.

II. *Pars.*

Chriſtus videns miſeriam huius boni viri, Marc. 1. σπλαγχνισθεὶς mox extendit manum ſuam omnipotentem, & annuit precibus illius, Volo, inquit, mundus eſto. Et confeſtim diſceſſit ab eo lepra & mundatus eſt.

L. Videmus promptitudinem Chriſti in iuuando, ſi imploretur ipſius auxilium, ſi nihil de ipſius potentia dubitetur: ſi voluntati ipſius res omnis permittatur. Ibi mox ipſe reſpondebit, volo. Et cum manus ipſius non ſit abbreuitata iuuabit etiamnum hodiè.

Quia enim Deus ſemper audit ex fide orantes ad vtilitatem, (ſi maximè non ad voluntatem ipſorum) ideoque dicet nobis vt hîc, Volo.

Ete-

Etenim voluntatem timentium se faciet. Psalm. 145.

Si autem dixerit, Nolo, hoc est, si non annuit nostris precibus, tum id firmissimè credendum, non futurum fuisse è re nostra quod petiimus.

Et huc pertinent sententiæ illæ veterum: Sæpè negat Deus propitius, quod daturus esset iratus. Item: Plures sunt gratiæ priuatiuæ quàm positiuæ.

III. Pars.

Christus sanans leprosum prohibet ne istud diuulget ipse, sed accedat sacerdotes (penes quos erat iudicium leprosorum, ex lege Leuit. 13. & 14. & Deut. 17.) & offerat sacrificium in lege expressum: vt sic ipsi cogantur agnoscere miraculum Christi: aut si non agnoscant, sit hoc testimonium obstinatæ illorum malitiæ, qui oculis videntibus cœci esse volunt, ne cogantur gloriam dare Christo. Leprosus autem non potest se continere quin passim diuulget miraculum, & sic Christo gloriam tribuat.

LOCVS. Danda gloria Deo pro omnibus beneficiis in nos collatis. Reprehendit enim Christus ingratos mundatos nouem. Luc. 17. Maximè verò agnoscant singulare Dei beneficium, qui sunt restituti sanitati: exemplo Regis Hiskiæ. Esa. 38. v. 9. & 19. 20.

Notent hoc illi qui plerunque sanitati restituti fiunt deteriores, contra mandatum Christi Ioan. 5. v. 14.

THEMA IV.

In funere Leprosorum.

Ex Luc. 17.

Historia de decem leprosis.

DISPOSITIO.

Occurrunt nobis hoc loco decem viri miserrimi, morbo fœdo & abominabili correpti: leprosi scilicet: qui hoc vnum quærunt vt sanitati restituantur. Et certè rectè atque opportunè veniunt, vt & ipsi sanentur, & nos

erudiant de nostra infectione, vt sic etiam nobis medicinam faciat Dominus.

Licet enim nos sani simus corpore (per Dei gratiam) tamen spirituali quodam veneno infectos esse, docebit huius historiæ tractatio. Quia autem tria potissimum sunt, quæ ad recuperandam sanitaté faciunt, sc. 1. vt æger agnoscat morbum. 2. vt medicum peritum quærat. 3. vt caueat recidiuam, vbi restitutus fuerit, agite hæc tria ab his leprosis discemus.

I. Pars.

Agnoscunt hi decem leprosi suam miseriam & rauco gutture de illa declamitant. Stant a longe, quod non liceat ipsis inter cæteros viuere. Magna miseria.

Quod si verò considerauerimus, quo nos simus infecti morbo spiritualiter, fatebimur nos magis miseros, non corporis sed animę ratione, propter peccatum, quod non vno nomine cum lepra corporali potest conferri.

1. Lepra est morbus fœdus, quem omnes abominantur, & quem studiosè cauere iubet ipse Dominus, Deuter. 24. v. 8. Ita peccatum est malum abominabile coram Deo, Psal. 5. v. 5.

2. Sicut lepra transit omnes partes corporis, ita peccatum postquam ad omnes penetrauit, Rom. 5. singulorum corpus & animam inficit: vt ipse Adamus velit se subducere à conspectu Dei, Genes. 3. Stat à longè sicut hi. Iusticiæ nostræ immunda vestis, Esa. 64.

3. Et quemadmodum lepra est morbus contagiosus, ideoq; leprosi eiiciendi extra castra, Leuit. 13. 14. & ipsi etiam Miriam non parcitur, Num. 12. imò ne Regi quidem 2. Par. 26. Ita peccatum est malum contagiosum & hæreditarium à parentibus. Psal. 51. v. 8. Per vnum ad omnes, Rom. 5. v. 12. & 3. v. 25. Ideoq; fermento comparatur quod penetrat, 1. Corin. 5. & Gal. 5.

4. Tantoque grauius malum quod inutilem reddit hominem ad omnia munia obeunda. Rex Vsias regno in-

ineptus censetur, 2.Par.26. Omnia membra paulatim emoriuntur. Mortuis quàm viuis magis similes. Ita peccatum inueteratum sic corrumpit totum hominem, vt omnis cogitatio mala sit, Gen.6.8. Et tandem planè excœcat, vt non videant nec intelligant, qui mortui sunt in peccatis, Ezech.12.v.2.

5. Et quod omnium maximum est, lepra est incurabilis si inualuit, vt non nisi per mortem tollatur. Ita peccatum nullius Angeli aut hominis opera potuit tolli, nisi per mortem vnigeniti filii Dei.

Agnoscenda igitur & seriis gemitibus deploranda hęc nostra miseria, quæ ex consortio beatorum eiicit ipsum Protoplastum cum omnibus posteris. Et oportuisset nos stare è longe, si non interuenisset, qui iam in secunda parte ostendetur Medicus.

II. Pars.

Leprosi soliciti sunt de recuperanda sanitate, nec immeritò. Quia autem ab hominibus non possunt sperare vllum remedium, accurrunt ad Christũ, & illius implorãt opem. Vocant Magistrum, & rectè quidem, qui vnus & solus potest saluare. Miseriam suam explicant, & Miserere clamant. Non dubitant de potentia: quia Magister.

Non de voluntate, qui sciunt ipsum misereri pauperum. Viderunt exemplum in leproso, Luc.5. ante ipsos sanato. Et sanat etiam ipsos Christus inter eundum, &c.

Agite hunc etiam nos quæramus Medicum, qui est Magister ad saluandum, Esa.63.v.1. vt is medicinam faciat morbo spirituali.

Constat de ipsius omnipotentia, Matth.28. De voluntate etiam & promptitudine. Matth.11. Venite omnes. 1. Timoth.1. Saluos facere venit. Is potest mundare lauacro singulari, Ephes.5.v.26. Tit.3.v.5. imò sanguine, 1.Ioan.1. v.7. Act.20.v.28.

Vt autem in nobis etiam ostendat exemplum omnipotentiæ, legitimè vocandus. Docent id leprosi.

1. Primò clamandum Miserere, cum Dauide, Psal. 51. & Daniele, cap. 9. v. 18. & 19. Nihil gloriandum de nostra sanitate, hoc est, meritis operum.

2. Deinde nihil præscribendum ipsi (sicut Naaman volebat præscribere Elisæo, 2. Reg. 5. v. 11.) sed omnia ipsius voluntati & miserationibus humiliter & corde pœnitenti permittenda. Exemplo publicani, Luc. 18. Et sanabit nos, Esa. 44. v. 22. Mich. 7. v. 19. Esa. 54. v. 8. & 60. v. 10.

III. Pars.

Mundantur decem. Nouem properant ad suos, nec agnoscunt beneficium planè diuinum. Christus reprehendit ingratitudinem. Et manet illos grauis recidiua ratione animæ, vt satius fuerit nunquam fuisse mundatos corpore. Pereunt ingrati.

Vnus Samaritanus gloriam Deo dat, & benè audit, quod anima & corpore sanus sit. Fides saluum facit.

Docent nouem illi, Multos quidem implorare misericordiam Christi, & impetrare remissionem peccatorum, qui tamen incidant in recidiuam pessimam. Hi scilicet, de quibus Petrus 2. Petr. 2. v. 22. Satius viam veritatis non cognouisse, v. 21.

1. Non igitur peccandum, vt gratia abundet, Roman. 6.

2. Cautè ambulandum, Philip. 2. v. 12. Psalm. 2. v. 11. 2. Pet. 1. v. 10.

3. Non enim sufficit benè cœpisse, & in medio cursu cessare, Luc. 9. v. 62. 1. Corin. 9. v. 24.

4. Strenuè pergendum & orandum, Psalm. 51. v. 13. & 119. v. 34.

5. Sic cum Samaritano testabimur gratitudinem nostram, quæ vehementer placet Deo. Psalm. 50. v. 14. Psal. 69. v. 32.

6. Inprimis hoc notandum his, qui ex grauioribus morbis vel animæ, (vtpote tentationibus,) vel corporis sunt liberati. Hiskias, Esa. 38. v. 19. Vide Ioan. 5. v. 14.

Ma-

Magnificandus Deus cum Samaritano, & cœco, Luc. 18.v.42.Luc.8. Narra quanta tibi Deus fecerit,

FINIS.

SEQVITVR

CLASSIS VI.

CONTINENS THEMATA

TRACTANDA IN FVNERIBVS eorum, qui ſubitanea & improuiſa morte abripiuntur.

THEMA I.

Ex Pſal. 39. verſ. 6. & 7.

Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, qualis ſit, vt ſciam, quod deſiturus ſim. Ecce enim palmæ inſtar poſuiſti dies meos, &c.

DISPOSITIO.

Vix quicquam eſt, de quo ſæpius nos admonuit Deus, quàm ipſa mors. Nec tantum in libro ſcripturæ id fit: Terra es, Geneſ.3. Et mortuus eſt, Gen.5. Cinis & puluis, Gen.18.Syr.10. Sed etiam in libro naturæ, dum oſtendit nobis gramen & fœnum, flores agri, quam citò pereant, Eſa.40.v.6. 1.Pet.1.v.24.

Interim tamen vix eſt quicquam, de quo vel cogitamus minus, vel magis tamen inuiti: adeò amara eſt mortis illa recordatio, Syrac.41. Pſaltes igitur ſuo exemplo docet nos orare, ne obliuiſcamur hæc duo.

1. Quod vita noſtra ſit habitura finem.
2. Et quod citius opinione noſtra ſit deſitura.

Quomodo igitur pro huius rei diligenti meditatione orandum, & quid illa meditatio proſit, iam breuibus explicabimus.

I. Pars.

Singula Prophetæ verba ſunt accuratè ponderanda.

1. Varia solet animus humanus agitare consilia, varia sibi proponit, ac si perpetuo ipsi datum esset viuere. Die anschläg gehn offt für den Jüngsten tag hinauß. Et ideò maxima pars hominum hoc agit, vt multos corradant nummos, ad multorum annorum futuros euentus. &c.

Diues Luc. 12. reponit bona in multos annos. imò ipse etiam Hiskias fatetur, se multos sperasse annos residuos. Esa. 38. v. 10.

Has cogitationes omnes, hæc consilia omnia dissipat mors: iuxta id Psal. 146. v. 4. Contrà verò crebrior meditatio finis nostri abstrahit ab illis mundanis, & ad meliora nos impellit: ideoque orat Psaltes, Doce me finem habiturum.

2. Quod si maximè de fine & termino vitæ nostræ cogitamus, tamen imaginamur nobis, nos longè adhuc abesse ab illo termino, quem nos ponimus in extrema senectute, si prius liberis prospexerimus &c.

Alii sibiipsis terminum breuissimum tum solent præfigere, vbi non omnia ex animi sententia fluunt & ex voto succedunt. Tum enim confestim mori volũt, sicut Rachel Gen. 30. v. 1. Et Elias 1. Reg. 19. v. 4. & Hiob. 7. v. 15.

Vtrinque peccatur. Ideoque orat Psaltes, vt doceat ipsum Dominus de hoc termino, quem ipse constituit, quem præterire nemo poterit. Hiob. 14. Daß ich dauon muß / siue placeat siue non.

Loci. Faciunt hæc ad Doctrinam: vt cum sciamus hanc vitam finem habere, cogitemus de altera vita, quæ finem non habebit: vtque non omnia consilia tantùm dirigantur ad terrena, sed magis ad cœlestia: & sic non frustraneæ sint tam multæ solicitæ cogitationes, ratiocinationes, calculationes &c.

Semper alioquin aspiramus ad meliora. Magis id hoc loco faciendum. Vide 2. Cor. 5. v. 2. Hebr. 11. v. 16. Paulus vbi se dissolui optat, statim addit melioris vitæ conditionem. Phil. 1. v. 23. De hac simus soliciti.

II. Facit ad patientiam. Quia finem habitura hæc

vita,

vita, finem ſimul etiam habebunt omnes miſeriæ. Ideoq; exigui temporis moleſtias non ægrè feramus. 2. Cor. 4. v. 17. 1. Pet. 1. v. 6. Kleine zeit.

III. Quia Deus ſingulis certum vitæ terminum poſuit, non decet nos alium velle terminum pro lubitu noſtro vitæ noſtræ præfigere. Quod faciunt qui contemplantur ſydera & ſupputant menſes, vt annuncient futura, vt habet Eſaias cap. 47. v. 13. Genethliacos intelligit.

Hinc Stoica ſequitur & fatalis neceſſitas apud quosdam. At mediatè Deus agit vtplurimum.

Sed nec ante tempus cupiamus mori: nec cum adeſt finis reluctari debemus. Placeat nobis terminus qui Deo placet.

II. Pars.

Rogat Pſaltes non tantùm vt ſæpè admoneatur de fine, ſed etiam vt finem propè eſſe diſcat. Breuiſſimam enim vitam, & inſtar palmæ eſſe, ait. Pauci cogitant quàm breuis, caduca & euanida ſit hæc vita. Putant homines ſecuri vitam 60. aut plurium annorum, (quæ tamen paucis contingit) eſſe admodum diuturnam. At palmæ inſtar eſt. Huc pertinent ſimilitudines illæ, vbi vita comparatur fumo, bullæ, vapori, gramini, floribus, torrenti &c. Vide appendicem 6. Claſſis in Manuali pag. 510. Anni in excellentia ſunt 80. & mille coram Deo, ſicut vna dies. Pſal. 90. 2. Pet. 3.

Locvs. Quid proſit huius rei diligens meditatio, ipſe Pſaltes expreſſit Pſal. 90. v. 12. vt ſc. ambulemus corde ſapienti. Et Syr. 7. v. 40. Memorare. &c.

Semper differunt ſecuri pœnitentiam, de die in diem. Quia non cogitant inſtare finem.

Cras, Cras dicunt. At hæc eſt corui vox: Ipſa res eſt quæ multos occidit cum dicunt Cras, Cras, & ſubitò oſtium clauditur: ait Auguſtinus, De verb. Dom. in Matth. ſermon. 16. Tom. 10. pag. 48. Contra Syr. 18. v. 22. Eccleſ. 12. Memento creatoris in iuuentute tua.

Vigilate, Nescitis quando, Marc. 13. v. 33. Væ seruo negligenti, Matth. 24. v. 48.

Philippus quotidiè moneri voluit, quod mortalis sit. Nonnulli biberunt ex cranio hominis mortui. Ægyptii in conuiuiis circumtulerunt effigiem hominis mortui.

Nos sæpius monet pulsus campanarum, & quotidiana experientia. Hodie tibi, Syr. 38. v. 23.

Notent hoc securi: præsertim illud, Qualem te inuenio, talem te iudico. Et Eccles. 11. v. 3.

FINIS.

THEMA II. CLASSIS VI.

Ex Psalm. 90. v. 7. & 8.

Consumimur in ira tua, & in indignatione tua abolemur.

Ponis iniquitates nostras coram te, occulta delicta in lucem vultus tui.

DISPOSITIO.

Ingens esse discrimen inter diuinam & humanam Philosophiam, vel ex hoc vno Psalmo 90. apparet, in quo vitę humanæ breuitas & miseria nobis accuratissimè depinguntur. Licet enim & humana Philosophia de iisdem magnas possit proferre querelas, & has calamitates non minus acerbè deploret, tamen causas earum nobis aperire non potest, vnde proueniant. At Spiritus sanctus nobis has proponit verbis paucis prælectis ex hoc ipso Psalmo, & superioribus statim attexit.

Quoniam verò duas potissimum ait esse causas breuitatis & instabilitatis vitæ humanæ, de illis ordinè dicemus, & quid istæ nos monere debeant, subiiciemus.

I. Causa.

Principalem causam mortis Psaltes refert esse iram Dei iustissimam & vehementissimam. In ira tua consumimur.

Est

Est enim ira Dei ignis consumens. Cui Dominus irascitur, ille non potest consistere ante faciem eius, Hebr.12. v.29. Idem mox aliis verbis repetit, vt solet spiritus plerumque hoc facere in Psalmis, amplificationis & exaggerationis causa.

Et in indignatione tua abolemur. Quod tam citò abripimur ex hac vita, & planè in nihilum redigimur, putrefacti & consumpti à vermibus abolemur, ex indignatione Domini fit. Idem repetitur infra in hoc Psalmo vers.9. In ira tua transeunt dies nostri. Et tandem v.11. Quis nouit vim iræ tuæ?

Cui enim indignatur Dominus, hic mox absorbetur, & in nihilum redigitur.

Testantur exempla, Mundi originalis, vastatio Sodomorum, captiuitas Assyriaca & Babylonica.

Iratus Dominus Exod.32. perdidit Israëlitas gladio (vide vers.28.) & singulari plaga ad sepulchra concupiscentiæ, Num.11.v.33. Et in factione Corah, Num.16. Serpentibus ignitis, Num.21. & passim alibi.

II. *Causa.*

At quæ causa iræ & indignationis Domini, quod vitam abbreuiat hominibus? Et estné indignatio Dei iusta? Maximè. Sequitur enim: Iniquitates nostras ponis coram te.

Est itaq; peccatum causa istius indignationis diuinæ, & sic causa subordinata, mortis atq; omnium calamitatum.

Quando enim nostra peccata in conspectum ipsius veniunt, (sicut ante oculos ipsi sunt omnia) tum non potest non irasci & indignari. Est enim inimicus peccatorum, Psal.5.v.5.

Quia itaque indies cumulantur peccata, idcò mox finem facit peccandi, & morte absumit.

Huc illa ipsa exempla, quæ supra allegata sunt, repeti possunt, & explicanda peccata, causa istius indignationis diuinæ.

At

At non ea tantùm peccata, quæ incurrunt in oculos nostros, vt sunt atrocia scelera, Deus in conspectum suum ponit, sed etiam occulta delicta in lucem producit ante se, quæ nos vel non iudicamus esse peccata, vel non sentimus. Quale inprimis est Originale illud peccatum, quod ab Adamo transiit in omnes. Rom. 5.

De quo grauiter Paulus conqueritur Rom. 7. Et. Psal. 51. vers. 8

LOCI.

I. Cum morte abripiuntur homines, præsertim si improuisa & subitanea morte intereunt, solemus inuestigare causas mortis, easque vel in diæta, vel in astrorum positu, & influentiis cœlestibus, vel in fortunæ aduersæ casibus, vel fatali ac Stoica necessitate &c. quærimus.

Was mag er gessen oder getruncken haben: Er hat nit gut glück / Ein bösen Aspect gehabt. &c. Sed audi. Ira Dei, quam peccatis nostris in nos concitamus, consumit & abolet nos ante tempus.

Primùm enim ita conuenit inter Deum & Protoplastum, Quacunque die peccaueris, morte morieris. Gen. 3. Nec potest Deus salua iusticia sua hanc reuocare sententiam.

Errant itaque qui causam mortis vel Stoico fato, vel cœli constitutioni, vel temperamento hominis, vel cæcæ fortunæ tribuunt. In nobis enim illa quærenda. Vide Leuit. 26. & Deut. 28. quæ causa mortis. Et hæc etiam est causa omnium aliarum calamitatum, & morborum quoque qui sunt mortis nuncii. Vide præter loca allegata etiam Syr. 38. v. 15. Et Psal. 107. v. 17. 18.

Agnoscamus ergo vim iræ diuinæ, & caueamus peccata, & seria pœnitentia conuertamur ad Dominum, & sic prolongari poterunt dies vitæ nostræ. Exod. 20. v. 12. & 23. v. 26. Deut. 30. v. 16. & 20. Prou. 3. v. 2. & 16. Quemadmodum Iehiskiæ adduntur anni 15. Esai. 38. Quod si id non fiat, habet Deus suas causas, de quibus

videre

videre est 2. Par. 24. v. 28. Sap. 4. v. 10. & 14. & properat ad meliorem vitam Esa. 56. in fine. De impiis autem illud valet Psalm. 55. v. 24. Et Hiere. 17. v. 11. Hiob. 21. v. 21.

II. Videmus etiam occulta peccata in conspectum Dei venire, & producentur illa quoque in extremo iudicio, Christo affirmante. Matth. 10. v. 26.

Itaque non dicamus vt illi, Nemo videt. Esa. 29. v. 15. Psal. 94. v. 7. Syr. 23. v. 26.

III. Facilè ex hoc loco intelligimus quare decrescat ætas hominum, cum olim fuerint tam longæui: quia scilicet peccata crescunt, ea verò Deus ferre non potest: ideo mox finem facit viuendi

THEMA III. CLASSIS VI.

Ex Psalm. 90. v. 12.

Doce nos numerum dierum nostrorum, vt ambulemus corde sapienti.

DISPOSITIO.

Non laudabilis tantùm consuetudo & honesta defunctorum memoria, sed & necessitas atq; vtilitas nostra requirit, vt frequẽtes habeantur conciones funebres. Ideoque nos Salomon ex domo conuiuij ablegat ad domum luctus, vt in illa finem cunctorum hominum ad animum nostrum reuocemus. Eccl. 7. v. 3. Idem quoq; volunt hæc verba Psalmi excellentissima, quibus docet Propheta:

1. Quàm necessaria sit crebra mortis meditatio.
2. Quàm vtilis sit eadem.

I. Pars.

Meditationem mortis crebriorem omnino esse necessariam, ex eo patet, quòd Propheta Deum ardentissimè orat, vt edoceat ipsum hac de re, & vt frequenter hoc animo ipsius infigat.

Primùm autem vult Propheta, vt sæpius admoneatur de morte, & quòd sit mortalis.

Dein-

Deinde numerum dierum certum iam esse in libro Domini annotatum, Psalm.139.v.16. & terminum hunc præteriri non posse, Hiob.14. atq; viuendi tam citò finem adesse, de his Psaltes cupit edoceri à Deo.

Dicat aliquis, cur petit à Deo doceri, cum id omnibus constet? Quis enim tam sit stupidus, qui hæc nesciat?

Respondeo. Tantò grauius est quod scimus, & interim de his parum cogitamus.

Sicut scimus Deum odisse peccata: & tamen dum singulis pene momentis peccamus, non de hoc cogitamus. Ideoq; seruus sciens voluntatem, Luc.12. Idem etiam hoc loco notandum.

Facit enim huius vitæ blanditia & rerum terrenarum continua tractatio, & longioris ætatis propria imaginatio, vt vel nunquam vel rarò de morte cogitemus. Est enim carni & sanguini amara mortis meditatio, Syrac.41. præsertim vbi est affluentia bonorum & terrena felicitas.

Ideoq; necesse est vt admoneamur, quia inuitos subit illa cogitatio.

Testatur ipsa diuina sapientia, necesse esse nos his de rebus admoneri: ideoque variis modis id nobis inculcare studet Spiritus sanctus.

1. Verbo & sacris oraculis. Gen.3. Terra es. Antiquum fœdus, Syr.14.v.18. Omnibus constitutum, Heb.9.

2. Variis creaturis. Gramine, Floribus, fœno & cæteris. Esa.40.v.6. Psal.90.v.5. 1.Pet.1.

3. Exemplis eorum qui longæui, (Gen.5. v.5. & seq.) fortes, vt Samson, (Iud.14.vers.6.) sapientes, vt Salomon, 2.Reg.3.v.12. formosi, vt Absalon, (2. Sam.14.) pii, vt Noha, Moses, Dauid, Daniel, Iosia, fuerunt, & tamen mortui sunt omnes.

4. Quotidiana experientia aliorum vicinorum, &c. Et variis casibus mortis repentinæ, Syr.38.v.23. hodiè tibi.

5. Morbis in proprio corpore, qui sunt mortis nuncij. Atque variis modis aliis. Testantur hæc, necesse esse, vt infigatur animo mortis meditatio.

Quia

Quia tamen caro tantùm inhiat huic vitæ & mortem odit, fugit, ideoque etiam meditationem illius intermittit, Psaltes exemplum suum imitandum proponit, vt pij orent ad Dominum, ne vnquam elabatur animo mortis memoria.

Vsus huius loci inter alios hic erit, ne ita trepidemus, vbi hora mortis aduenerit. Piis enim nihil præter exspectationem euenit, cum id semper fuerint meditati. Tela præuisa minus feriunt. Veteres dixerunt, Quis sis, quis fueris, quis eris, sempet mediteris. Soliti etiam fuerunt cantare, **Erden trägstu/Erden drittstu/ zur erden wirstu.** Picturas semper ante oculos habuerunt, vel imaginem mortis, vel horologium, vel similia alia, plerumque cum hac vel simili inscriptione: Respice finem. Et sunt hæc sanè laudanda, si etiam animis id inscribatur.

II. Pars.

At, inquis, quorsum necessaria mortis illa meditatio? Numquid non satis citò de illa cogitatur, cum instat hora mortis? Quid opus nos tristioribus illis cogitationibus torqueri? Possemus magis iucunda interim tractare, quæ animum oblectarent, & exhilararent? Respondet Psaltes, ideò necessariam mortis crebram meditationem, quia illa sit vtilissima. Solemus autem commodum spectare vtplurimum in omnibus. Ad quid igitur vtilis? Vt ambulemus corde sapienti: vt prudenter agamus in omni vita nostra. Non sapientiam coram hominibus intelligit, quæ in impios interdum cadit, vt in Ahitophelem. 2. Sam. 16. Et Herodes vulpes est, sciens vti foro. Luc. 13. At intelligit Psaltes sapientiam coram Deo, cuius initium est timor Domini. Prou. 1. Syr. 1.

1. Docebit igitur mortis meditatio cautè ambulare, quia post mortem sequetur iudicium. Heb. 9. v. 27. Et id vult sapiens Syr. 7. Memorare nouissima & non peccabis in æternum.

Eccl. 12. v. vlt. Fac quod lubet, at cogita, &c. Exemplis res fiet planior.

Ana-

Auarus cogitans illud, Luc. 12. Hac nocte auferetur anima tua, prudentius aget. Et perpendet illud Nudus, Iob.1.v.21. Eccl.5.v.14. 1.Tim.6.v.7.

Superbus de morte cogitans, ad animum reuocabit illud Syr.10.v.9. Gen.18.v.27.

Epulo de morte cogitans, ob oculos sibi statuet exempla Nabalis, 1.Sam.25.v.38. & Epulonis, de quo Luc.16. Mortuus. Et cum esset in inferno.

Inuidus cogitabit id, Matth.5. Dum in via es, reconciliare. Sic de cæteris. Vtile igitur id, Memento mori.

2. Deinde mortis meditatio faciet ad patientiam, (quæ etiam est sapientia coram Deo, & hominibus, Prouerb.19.v.11.) Cum sciamus, finem malorum tum instare. Etenim quia dies sunt mali, optimum est, quod sunt pauci, Gen.47.

Maximè autem hoc recreabit, quod mors piis est transitus ad vitam, Ioan.5.

Stulti igitur, imò insani sunt, qui non volunt ferre, vt coram ipsis sermones instituantur de morte: & vel ad pulsum campanæ, cum signum funeris datur, exhorrescunt. Nunquam illi sapienter agunt.

Thema IV. Classis VI.

Prouerb. 27. vers. 1.

Ne glorieris in crastinum, nesciens quid superuentura pariat dies.

DISPOSITIO.

Breuis hæc est, at insignis & Salomone digna sententia: qua Rex sapientissimus mortales, vtplurimum sibi futuros euentus felicissimos promittētes, hortatur, ne glorientur de futuris, quia incerta sit hominum fortuna omni tempore. Multum autem prodesse poterit hæc sententiola paulò accuratius expensa: ideoq; primum verba excutiemus, deinde vsum illorum subiiciemus.

Para-

Paraphrasis textus.

Noli, inquit Salomon, gloriari de craſtino. Primum omnes homines alloquitur: non cum aliquibus loquitur, quos hæc non deceat gloriatio, cum cæteris non pari ratione vitio verti poſſit. Sed omnibus, tam in dignitate & authoritate conſtitutis, quàm viliſſimis concionatur hoc loco. Imò potius illis quàm his: quia plura agitant illi conſilia.

Deinde neminem, cuiuſcunque ſit conditionis, vult gloriari de craſtino. Gloriari autem de craſtino, eſt iactare, & ſuperbè de his vel apud ſe gloriari vel apud alios declamitare, quæ homo proponit ſibi, venturis temporibus efficienda: ſiue magna ſint ſiue parua.

Exemplum talis iactantiæ refert Iacobus cap. 4. v. 13. Cras ibimus in ciuitatē & lucrum ibi faciemus. Et addit, exultatis in ſuperbiis veſtris, at talis exultatio mala eſt. Deterior autem eſt iſta gloriatio, ſi propoſuimus apud animum noſtrum aliquid mali, & de his ſuperbè gloriamur: ſicut Ahab gloriatur, ſi in pace reuerſurus ſit ex bello Syriaco, tum ſe mendacij velle arguere Prophetam qui illi ſemper infelicia prædixerit hactenus. 1. Reg. 22. v. 27.

Rationem autem addit Salomon, quare non gloriari debeat quiſquam de craſtino. Quia ſcilicet neſciat, quid hodie ipſi ſit euenturum. Varij enim ſunt caſus humani, & magna atque improuiſa ſæpè rerum viciſſitudo. Neſcimus enim quid ſerus v ſper vehat. Multa cadunt inter calicem ſupremaque la ra. Noſtrates dicunt: Es laufft viel zwiſchen Kugel vnd Ziel.

Ahabus prius ſagitta ictus perit, quàm reuertatur ad Micheam Prophetam, &c. Vbi ſupra v. 34.

LOCI.

I. Docent hæc Salomonis verba, nunquam nos debere obliuiſci fragilitatis & inconſtantiæ vitæ humanæ, quæ tot eſt obnoxia periculis, vt lingua effari ſingula non poſſit.

Etenim quot tectum habet tegulas, tot minitatur transeuntibus mortes. Potest te vel in via extra domum occidere canis rabidus, bos cornupeta, equus indomitus, homo obuiam factus ebrius, &c. In ædibus non ab araneis, imò ne à muscis quidem tutus esse poteris. Nihil de ruinis ædium, terræ motibus, incendiis, bellis, seditionibus, poculis venenatis dicemus. Dicũt nostrates, **Es kan einer wohl vber ein Ganß den Halß abfallen.**

Cùm Hadrianus Pontifex fortè cum suis expatiatus refrigerandi gratia Anagniæ aquam ex fonte hausisset, musca in os illius inuolãs gutturi ita adhæsit, vt cum nullã Medicorum arte eximi posset, miserè suffocatus interiret. Fabius Senator hausto pilo cum lacte suffocatur. Anacreon Teius poëta, dum aliquando liberius Baccho indulgeret, acino vuæ passæ strangulatus est.

Ideoq; semper nos decet vigilare, & paratos esse cum lampadibus, Matth.25.v.4. Quia nescimus, quando venturus est Dominus, & nos auocaturus, Matth.24.

1. Peccant itaque qui vel tantillum proponunt sine Dei voluntate. Vide Iac.4.v.15. Et Psal.146.v.4.

2. Peccant quibus nulla vnquam mortis recordatio in mentem venit: & qui se non prius morituros credunt, quàm vbiopes, multasq; diuitias corraserint: aut magnos honores consequuti fuerint. Contra vide triste illud exemplum, Luc 12.v.20. Vide etiam Syr.11.v.19.

3. Peccant qui prosperis successibus elati perpetuam sibi pollicentur felicitatem: incerti quid hodie sit de ipsis futurum. Ideò veteres: Diciq; beatus ante obitum nemo supremaque funera debet. Et qui diues pauper fit. Citò, Ante vesperam. Syr.18.v.25. Fortuna vitrea est, &c. Vide Syr.11.v.27.

4. Peccant etiam procrastinatores, vitæ emendationem post multos demum annos promittentes; cùm nesciant, an hodie sit moriendum, Syr.18. v.22.

II. Admonitionem ex iisdem verbis Salomonis petere debent, quicunq; aliquid mali proponunt: Sub quocunq; id fiat prætextu.

Vt

Vt ſunt, qui minitantur aliis internecionem poſt multos annos: qui vel ſeipſos vlciſci, vel poſteris quoque ſuis id demandare volunt. Dicunt nonnulli, Wann mir deine Schuch gerecht werden/ ſo wil ich mich einmahl rechen/ ꝛc. Et neſciunt an hodie ſint victuri. Contra Matth. 5. ver. 25. Minatur Rex Aſſyrius dira Regi Iuda & ciuibus, at neſcit ſe tam citò periturum, Eſa. 37. v. 7. Inſignis hiſtoria eſt de Benhadado, 1. Reg. 20. Et notanda illa ſententia Regis Achabi, quantumuis impij Ibidem, verſ. 11.

Non canendum ἐπινίκιον ante victoriam. Es heiſt ſonſt die Haut verkaufft ehe der Beer geſtochen iſt.

III. Conſolationem etiam pij capere ex his ipſis verbis poſſunt, ne terreantur minis aduerſariorum. Fortaſſis prius peribunt quàm noceant, ſicut Achabus & Sanheribus, de quibus paulò ante.

A Deo pendeamus, in cuius manu ſunt ſortes noſtræ. Illi omnia commendanda. Et ſicut de craſtino non gloriari, ita nec de eodem ſoliciti eſſe debemus, Matth. 6. v. 34. vltrà quam vocatio noſtra requirit.

FINIS.

THEMA V. CLASSIS VI.

Eccleſiaſt. 9. verſ. 12.

Neſcit homo finem ſuum, ſed vt piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur: ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplò ſuperuenerit.

DISPOSITIO.

Salomon author libri, qui Eccleſiaſtes dicitur, in illò varias generis humani miſerias recēſet paſſim, per totum ferè libellum, & inter alias hanc non minimam iudicat, quòd neſcia eſt mens hominum fati ſortiſque futuræ: & proinde homo interdum ſubitò variis malis circumuentus neſcit modum, quomodo ſeſe in illis gerere debeat.

Vt itaque tela præuiſa minus nos feriant, duabus ſimilitudinibus hanc miſeriam nobis depingit. Nos ſingula Regis ſapientiſſimi verba primum excutiemus, & deinde ad vſum noſtrum accommodabimus.

Textus explicatio.

Neſcit homo tempus ſuum. Per vocabulum (tempus) primum intelligitur dies ſupremus, & nouiſſima hominis hora ſeu tempus nouiſſimum. Hoc ſenſu dicitur Mar. 13.v.33. Neſcitis quando tempus ſit. Et 1. Sam. 26.v.10. Venerit dies eius.

Deinde per tempus intelligitur ſtatus rerum in tempore. Sic hîc per tempus hominis intelliguntur varij caſus hominis aduerſi. Hinc Epheſ. 5. v. 16. Tempora mala ſunt. Et Luc. 19.v.43. Venient dies in te. Germ. Es wirdt die Zeit vber dich kommen.

Siue itaq; hoc loco intelligamus tempus hominis de hora mortis, ſiue de temporibus aduerſis, de vtroque pronunciat Salomon, Neſcit homo tempus ſuum. Venit enim mors citius opinione noſtra: ſic quoque caſus aduerſi. Cùm dicitur pax, repentè adeſt interitus. 1. Theſſ. 5.

Illuſtrat autem inſtitutum duabus ſimilitudinibus aptiſſimis.

1. Sicut auiculę dum quęrunt cibum, laqueo obruuntur & capiuntur: ita Chriſtus etiam Luc. 21. verſ. 35. affirmat, ſicut laqueum ſuperuenturum nouiſſimum diem. Id etiam de nouiſſimo die hominis intelligi poteſt.

2. Sicut piſces dum auidè vorare eſcam volunt, hamo latenti attrahuntur: Ita homines vel improuiſa morte vel caſibus inopinatis obruuntur, dum nihil tale metuunt, aut cogitant.

Tempus autem malum vocat, quia tale eſt hominum opinione.

Et hæc quidem quæ dicta ſunt piis pariter & impiis accidunt: at diuerſo fine. Piis enim licet videatur malum tempus, bonum tamen eſt, quia omnia in bonum cedunt.

cedunt. Rom. 8. De impiis alia est ratio: vt mox sequetur.

LOCI.

I. Hæc quæ diximus ad studium pietatis debent impellere, vt vitemus securitatem carnalem, quæ innata ferè omnibus est, ita vt necesse sit illam huiusmodi sententiis & similitudinibus pellere.

Omnia enim sunt incerta, & omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

Ideò semper vigilandum. Matth. 24. 25. 26. 1. Cor. 16. 1. Pet. 4. & 5. Securitas perdidit Sodomam & vicinos, Gen. 19. Chore, Dathan, Abiram. Num. 16.

Et plerumque impiorum casus sunt inopinati. Sissera. Iud. 4. Athalia. 2. Reg. 11. v. 16. Iesabel. 2. Reg. 9. Baalitæ. 2. Reg. 10. v. 25. & 1. Reg. 18. v. 40. Philistæi oppressi à Samsone. Iud. 16. v. 30. Non desunt exempla eorum, qui dum cibum caperent, exanimati sunt.

Nec eorum qui in latrina perierunt.

Quod si impiis accidant talia, væ illorum animæ. Quia sicut ceciderit arbor, iacebit. Eccl. 11. v. 3. De piis alia est ratio. Quia illi vigilarunt cum virginibus prudentibus. Matth. 25. vers. 6. Et rectè Hieronymi exemplum imitantur pij quibus semper in auribus sonare videtur vox Domini, Surgite mortui, venite ad iudicium. De his itaque non sinistrè iudicandum. Licet enim videantur capti hamo noxio in tempore malo, hominum tamen hæc est opinio. At scriptura aliter de his iudicat, quod scilicet festinet Deus liberare illos ex hoc mundo peruerso. Sap. 4. v. 14. Esa. 56. in fine.

Cæteri verò quoties vel aues vel pisces capi viderint, meminerint huius dicti Salomonis, & nunquam sint securi: nec dicant pax, pax. 1. Thess. 5. v. 3.

Fur in nocte. 2. Pet. 3. Apoc. 3. 16. 1. Thess. 5.

II. Pij semper præmeditata habere debent & mortem & omnis generis calamitates, vt nihil accidat inopinatò. Nihil noui obtingit illis. 1. Pet. 4. v. 12. Hiob in vtrumque paratus est. Hiob. 2. v. 10.

III. Nemo efferatur animo rebus ſecundis, quia tam crebræ & diſpares ſunt rerum viciſſitudines. Poſſet huc referri hiſtoria Regis Ægyptiorum Seſoſtris, qui vectus fuit curru, quem 4. Reges victi traxerunt. Cum autem vnus ex illis ſubinde reſpiciens rotam intuitus eſſet, interroganti Seſoſtri cur toties reſpiceret, reſpõdit: Conſiderans ea, quæ ſumma fuerunt in rota, mox ima fieri, cogito de mutatione fortunæ celerrima. Hac cogitatione Seſoſtris mitior factus Reges liberauit.

Quem igitur fortuna facit inſolentiorem, ſemper cogitet de hamo & laqueo Salomonis hoc loco.

FINIS.

THEMA VI. CLASSIS VI.

Eſa. 38.

A die vſque ad noctem conſummabis me. Poſui vſque ad mane: quaſi Leo ſic contriuit omnia oſſa mea: à die vſque ad noctem conſummabis me.

DISPOSITIO.

Verba quæ prælegimus pars ſunt illius ſcripturæ (ſic enim appellatur ab Eſaia) Ezechiæ Regis Iuda, quam cõfecit cum ægrotaſſet & conualuiſſet de infirmitate ſua. Deſcribit autem optimus Rex in illa ſcriptura, ſiue Cantico Euchariſtico, quæ fuerint ipſius cogitationes, cum triſte illud mortis nũcium accepiſſet ab Eſaia, Morieris, & non viues: & gratias ſimul agit Deo non tantum ob impetratam vitæ prolongationem, ſed omnium maximè pro remiſſione peccatorum, de qua multum erat ſolicitus, v.17.

His autem paucis verbis, quæ prælegimus, conqueritur de fine vitæ celerrimo, & quod præter exſpectationem de repente ita ſint omnes illius vires attritæ, vt nulla vis vigorque viuendi ſuperfuerit. Loquitur enim tanquam moriturus propediem: hoc enim ipſi iam erat denuntiatum. Nos verba paucula primum examinabimus, deinde quid iſthæc nos moneant addituri.

Para-

Paraphrasis Textus.

Vehementer Rex noster conqueritur in hoc suo Cantico, quòd tam citò viuendi finis adsit. Suprà enim versu primo Cantici innuit, quòd multos adhuc sperauerit annos vitæ residuos. At vitam illius abrumpi sicut filum à texente, & sicut tabernaculum pastorum conuolui, dolet. Atque his subiungit verba prælecta: Ante vesperam diei finiri vitam ipsius: idque bis reperit. Ego, inquit, cogitabam in corde meo, & hunc posui terminum: ô vtinam liceat tibi, vel tantum vsque manè aut in crastinum viuere. At metus erat, ne illa ipsa die ante vesperam finis vitæ adueniret.

Et quare non potuerit longiorem huius lucis vsuram sperare, addit: Quia sicut Leo contriuit omnia ossa mea: Sic confregit Deus simul, vno quasi momento, omnes vires meas, ac si Leo in me irruisset & confregisset me.

Erat autem ista ægritudo à Domino, vt sic conciderent ipsius vires.

Etenim nec aduersa valetudine diuturniori nec annis aut senio confectus erat: sed corpore adhuc vegeto & valenti: cum annum ætatis 40. nondum esset ingressus. Ideoque cum in florē ætatis moriendum sibi audit, non mirum quod de breuitate vitæ conqueritur. Angebat quoq; sine dubio & hoc piissimum Regem, quod hæredem masculum nondum habebat, Regni successorem. Mortuo enim ipso, Manasse 12. annorum puer est. Inde euincitur, ipsum biennio post hunc casum demum fuisse natum.

Taceo quod metuit suo Regno, Ecclesiæ & Politiæ Iudaicæ.

LOCI.

I. Videmus etiam sanctis Dei viris mortem interdum obrepsisse improuisam: & quod illis tum fuerit graue mori: si residuum annorum exspectarunt cum Hiskia. Et hoc inprimis accidit illis, qui adhuc sunt iuuenes, de quibus alij dicere solent: Man solt den Todt hinder sie

 fliehen.

fliehen. At quia nec iuuentus, vel flos ætatis, quicquam potest contra vim mortis: ideoque in tempore de morte cogitandum, ne postea incautos obruat, & inuitos cogat; Eccles.12. Memento creatoris in iuuentute tua. Sic etiam, Memento mori in iuuentute tua. So viel Kälberheut als Küeheut. Iosias, Alexander, Iuuenis in Nain. Et Leo ille ante vesperam omnes vires frãgere potest. Non enim annos respicit Dominus, sed qui pius est, satis est senex Deo, Sapien.4.v.13. Contrà etiam, qui impius, nõ dimidiabit dies, Psal.55.v.24. So seyn wir alle Tag alt genug zu sterben. Nec cuiquam firmum est in omnibus temporalibus rebus præsidium contra mortem. Non regnum aut diuitiæ mortis vim depellere possunt. Alioquin Alexander non fuisset mortuus. Non pulchritudo Absalonis, vel Dauidis. Non sapientia Salomonis. Non iuuentus Iosiæ, & pietas. Ante vesperam succidi potest arbor. Omnis caro fœnum, Esa.40. Præmeditata itaque diu mors facit, ne tàm inexspectatus & nouus videatur accedere hospes. Cum via sit omnis carnis, nihil nobis accidit noui. De his sæpè cogitandum, præsertim iunioribus.

Nemo itaq; vanis cogitationibus indulgeat: de quibus Psal.146.v.4. Nec in crastinum sis solicitus, Matth.6. Cogita, Ante vesperam finiri potest vita. Ergo cum Deo redi in gratiam, vera fide, Rom.5.v.1. Et dispone domui tuæ in tempore. Animam commenda Deo manè & vesperi.

II. Sicut cætera, de quibus diximus, omnia non possunt nos munire contra vim mortis: ita nec corpus robustum & validum. Etenim si in nos irruat Leo ille conterens, de quo Hiskias hîc, tum omnes iacent prostratæ vires. Moritur etiam Samson robustus, & Gigantes illi, 2.Sam.23. Vana itaque spes multorum in corpore valido. Dicunt irrisores: Ich hab noch ein harten Kopff. Ich stirb noch nicht. Mox concidit flos agri, Psal.90.v.6. Leo contriuit.

III. Videmus quæ sint solicitæ ægrotorum cogitationes, vbi suspensi tenentur à manè ad vesperam, & vicissim;

cissim; vt hîc & Iob 7.v.4. & seq. Pij autem resignant terminum vitæ in manum Dei, in qua sunt sortes nostræ, Psal.31. v.16.

FINIS.

Thema VII. Classis VI.

Matth. 24. Et Luc. 12.

Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, si sciisset paterfamilias, qua hora fur venturus fuisset, vigilasset vtique, & non siuisset perfodi domum suam. Ideò & vos estote parati, quia qua hora non putatis ea filius hominis venturus est.

DISPOSITIO.

Hæc verba quidem Saluator de extremo aduentu suo ad iudicium locutus est: at de cuiusque etiam hominis nouissima die possunt & debent intelligi: ideoque etiam in funeribus non incommodè tractantur, præsertim in casu subitaneæ mortis. Etenim teste Augustino [Epistola 80. ad Hesychium Tom.2.pag. 226.] in quo quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies. Quoniam qualis in die ista quisque moritur, talis in illo die iudicabitur.

Videamus itaque 1. quàm incerta sit hora nouissimi diei. 2. Et quare nobis Dominus illam voluerit esse incertam & incognitam.

I. *Pars.*

Certissimum fore aduentum Christi ad iudicium in Nouissimo die, de hoc nemini Christiano dubium esse potest. Quia hic est articulus fidei nostræ, extructus ex verbis ipsius Christi Matth.25. qui est veritas.

At tempus omninò incertum esse, idem & hoc loco & alibi disertè docet. Nescitis qua hora venturus sit Dominus.

nus. Simili rem illustrat: sicut paterfamilias nescit quando fur venturus sit, & perforaturus domum suam. Et repetit idem: Veniet ea hora qua non putabitis venturum.

Docet Christus vanas esse hominum coniecturas de tempore aduentus Christi ad iudicium, cùm nihil certi habeamus. Alij constituunt annos sex mille, vt Burgensis. Improbat illam opinionem August. Super Psalm. 89. Augustinus super Psalm. 6. Tom. 8. pag. 21. sic ait. Aduentus computatis annis ab Adam post septem millia annorum futurus creditur. Hæ quidem sunt coniecturæ humanæ, sed prorsus incertæ & fallaces. Ideoque addit ibidem: Neminem sibi oportere arrogare scientiam illius temporis computatione aliqua annorum. At studiosè Deus occultauit terminum, vt nec annum, nec Mensem, nec diem aut horam sciamus. (Augustinus quidem sperat Christum venturum die Dominico. Sermon. 154. De temp. Tom. 10. pag. 673.)

Et ne Angeli quidem in cœlis sciunt tempus. Matth. 24. Et pater reseruauit suæ potestati. Actor. 1. Cumque ferè alias semper posuerit certum terminum, vtpote Mundo Originali annos 120. Genes. 6. v. 3. Liberationi ex Ægypto 400. annos, Gen. 15. vers. 16. Captiuitati Babylonicæ 70. annos Ierem. 25. v. 11. Primo aduentui Christi in carnem 70. hebdomades: Dan. 9. v. 24. tamen hoc de Nouissimo die nullibi factum legitur.

Ex quo apparet quàm stulti, imò quàm sint impij, nonnulli ex nostris, qui contra expressam Christi mentem Actor. 1. vers. 7. inuestigare conantur tempus iudicij extremi. Quorum alij ex ridicula quadam literarum compositione, & numerorum calculatione, alij ex Naometria, alij ex aliis propriis imaginationibus id facere tentant.

Quia verò non minor est incertitudo cuiusque hominis nouissimi diei, ideoq; pari impietate laborant hi, qui vel ex Chiromantia, vel ex astrorum positu, vel aliis diuinationibus fabulosis vitę terminum inquirunt. Cum sortes nostræ in manu Domini sint, Psalm. 31. vers. 16.

&ipse

& ipſe longitudo dierum noſtrorum, Deut. 30. qui omnes dies in libro ſuo annotauit antequam naſceremur, Pſal. 139. verſ. 16.

Nemo itaque vel ſeipſum decipiat, aut per alios ſe decipi ſinat.

Quo loco illa etiam notanda, quæ Eſa. 47. verſ. 13. habentur.

II. *Pars.*

At quare Deus nobis occultauit diem nouiſſimum? Numquid non fuiſſet ſatius reuelare nobis terminum certum, vt ſic poſſemus nos præparare? Reſp. Nouit Dominus cor hominis, ideoque etiam hoc nouit, quod ſi ſciremus certum terminum, nunquam in tempore acturi fuiſſemus pœnitentiam, ſed ſemper procraſtinatores manſuri. Ideoque vt ſemper vigilemus, occultauit nobis terminum. Sicut paterfamilias quia neſcit quando fur ſit venturus, ideoq; non vna tantum nocte ſed ſemper cuſtodire domum & excubias agere debet. Propterea hortatur tam ſolicitè, Vigilate quia neſcitis. Parati eſtote.

DOCEMVR quàm ſit neceſſe vt ſemper vigilet cor noſtrum ad Dominum, ſi maximè corpus dormiat. Hinc toties repetitur, Vigilate. Marc. 13. 14. Mat. 25. 1. Pet. 5. vt ſc. omni tempore ſimus parati ad nuptias. Mat. 25. v. 6. Luc. 12.

Quod ſi iam ſumus ſecuri, vbi terminum ignoramus, quid putas futurum fuiſſe, ſi de certo termino nobis conſtaret. Certè reieciſſemus omnia ad finem & ita cumulaſſemus peccata, vt nunquam potuiſſemus reuerti. Gratiæ itaque agendæ Deo, quod abſcondit nobis tempus, noſtræ ſalutis cauſa, vt in timore ambulemus.

Idque noſtro tempore tantò magis eſt neceſſarium, quod, licet tempus exactè non ſciamus, tamen finem imminere ſcimus certiſſimè. Si enim Petrus, Finis omnium rerum imminet, 1. Pet. 4. Et Ioannes, Nouiſſima hora eſt, 1. Ioan. 2. ſuis temporibus dixerunt, quid nobis cogitandum?

Et

Et hoc quoque de nouissima die vitæ nostræ est intelligendum. Quia nescimus horam mortis, ideò nunquam stertendum, nunquam securitati aut peccatis indulgendum, ne incauti vel minus parati opprimamur. Si sciremus post multos demum annos nobis moriendum, non mirum nos securos esse, at quia nescimus, quid hodie sit futurum, mirum nos esse securos.

Semper illud cogitandum Eccles. 11. v. 3. Et quotidiana exempla præter illa scripturæ exempla ad animum reuocanda, quæ docent, quomodo sæpè ex improuiso mors abripiat. Præparemus nos vera pœnitentia.

FINIS.

THEMA VIII. CLASSIS VI.

Matth. 25. v. 1. ad 14.

Parabola de decem virginibus.

DISPOSITIO.

Elegans admodum est hæc Parabola, qua Christus de mystico connubio cœlestis sponsi & Ecclesiæ nos docet. Et simul monet, quid faciendum, vt cum sponso ad æterna gaudia intromittamur, sumpta similitudine de virginibus decem.

Duo potissimum nobis erunt notanda.

1. Virginum præparatio ad nuptias.
2. Sponsi aduentus, & dispar virginum conditio.

I. *Pars.*

Desponsauit sibi filius Dei Ecclesiam, Ephes. 5. Psal. 45. Matth. 22.

Nuptiarum solennitas summa, & perfecta hilaritas erit in nouissimo die.

Interim verò nuptiales omnia vult præparare, vt obuiam euntes sponso possint mox ad ipsius aduentum ad nuptias intromitti.

Procedunt itaq; sponso obuiam decem virgines. Quinque prudentes, & quinq; fatuæ. Pru-

Prudentes assumunt secum lampades, vt si sponsus intempesta nocte veniat, ipsæ nihilominus possint ipsum sequi, prælucente lampade, & in tenebris non impingant.

Lampades verò non vacuas ferunt, sed oleo instructas, vt non deficiat lucis splendor.

Stolidæ autem virgines lampades quidem assumunt, sed oleum non habent. Ideoque vacuæ lampades nihil prosunt postea.

1. Vbi notandum, per decem virgines intelligi totum cœtum vocatorum, & eorum, qui obuiam procedunt, hoc est, qui Christiani volunt videri. Nam de his tantum sermo est. Cæteri enim gentiles & Iudæi planè non curant sponsum.

2. Prudentes virgines sunt, qui veram habent & salutarem cognitionem rerum cœlestium ex verbo Dei, Ioan. 17.

3. Fatuæ sunt, qui verbum quidem & ipsi audiuerunt, sed Diabolus rapuit semen ex cordibus, Luc. 8. vt obliuiscantur eorum, quæ sunt maximè necessaria ad salutem.

4. Lampades oleo instructæ & ardentes sunt vera fides in cordibus hominum, quæ lucet instar flammulæ ardentis. Sic iubet Christus, Matth. 5. Luceat lux vestra.

5. Lampades oleo carentes sunt fides mortua, de qua Iacob. 2. v. 17. quæ nullum splendorem habet, & vera fides non est dicenda.

Sed quid est illud, quod dicitur, Tardante sponso obdormiuisse prudentes simul & fatuas? Hoc scilicet intelligitur; In hac vita dum exspectatur aduentus Christi sponsi, neq; pios etiam semper ea qua debebant fidei atque operum alacritate seruire Deo, sed interdum à peccatis, tanquam à somno obrui. De infirmitatibus intelligitur, quæ fidei lucem non prorsus extinguunt.

Fatuæ verò, etiamsi sciant, sibi oleum deesse, tamen stertunt: hoc est, securi dum peccatis indormiunt, planè obliuiscuntur sponsi sui. In diem viuunt. Deus est venter, Phil. 3.

[Scio

[Scio alios aliter exponere hanc parabolam, mihi verò hæc etiam expositio à vero scopo nihil videtur aberrare: in quo Theologi omnes conueniunt.]

DOCTRINA. Docemur, hoc agendum; vt inueniamur in numero quinq; virginum prudentum, & non lampades tantum habeamus, hoc est, non externam tantum speciem pietatis, 2. Tim. 3. v. 5. sed oleo fidei saluificæ simus instructi. Istud verò oleum non nisi ex auditu verbi Dei comparatur, Rom. 10. v. 17. eodemq; & vsu sacramentorum sustentatur & fouetur: vt licet interdum sopor (humanarum infirmitatum) animum occupet, tamen homo pius mox expergefiat vera pœnitentia, & contra conscientiam non peccet, fidem (flammulam ardentem) non extinguat.

Et hic piis precibus opus. Psalm. 51. v. 13. & 14. Atque tum valet illa consolatio Esaiæ 42. v. 3. Non extinguet.

II. *Pars.*

Dum dormiunt (hoc est, quando dicunt, pax, pax, 1. Thess. 5.) virgines omnes, subitò, & media nocte:

1. Venit sponsus. Excitatur clamor, Egrediuntur virgines prudentes cum lampadibus ardentibus ad excipiendum ipsum. Et assumuntur ad nuptias celebrandas.

Ostenditur aduentus Christi inopinatus. Vbi qui parati inuenientur, ad æterna gaudia admittentur.

2. Porrò fatuæ cum oleum non habeant, nondum sunt expeditæ. Cupientes mutuo accipere, audiunt, quod non sufficiat vtrisque. Dum autem abeunt empturæ, ianuæ clauduntur.

Sera enim erit tum pœnitentia eorum, vbi Christus inuenerit imparatos, vel in hora mortis nouissima, vel mundi nouissima. Et de suo oleo, non de alieno, instruat lampadem, qui vult ingredi cum sponso. Sua fide viuet iustus, Hab. 2. Nihil aliorum proderunt opera.

3. Pulsantibus fatuis respondet sponsus: Non noui vos. Sicq; excluduntur à nuptiis. Imparatum enim inue-

niet

niet dies ille, quem imparatum inuenerit suæ vitæ vltimus dies: ait August. Ep.80. ad Hesych.

DOCTRINAM huius loci ipse Christus subministrat; Vigilate. Nescitis enim diem aut horam, qua venturus est filius hominis. Siue enim nos inueniat mundi, siue vitæ, nouissimus dies, certè sicut arbor casura est, ita iacebit, Eccles. 11.

Cum itaq; tam incerta sit hora mortis, vigilandum omni tempore corde ad Dominum. Lampades sint instructæ, ardentes. Tantum enim illi cum sponso ingredientur, qui erunt parati.

Nemo seipsum decipiat. Non omnis qui dicit Domine, Matth. 7. Non noui vos, dicetur.

Non procrastinanda pœnitentia, Syr. 18. Non in misericordiam Dei peccandum, Quærite Dominum dum inueniri potest, Esa. 55. Ianuis clausis nemo intromittetur amplius. Clausa autem est omnibus impœnitentibus, securis.

FINIS.

THEMA IX. CLASSIS VI.

Marci 13.

Cauete, vigilate, orate. Nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo, &c. vsque ad finem capitis.

DISPOSITIO.

Hoc loco Christus vna concione simul & semel de Nouissimo die mundi & vitæ humanæ loquitur: vel de die nouissimo generali & speciali. Quod n. erit mundo dies extremus, hoc est homini illa dies, quæ tibi supremum tempus in orbe fuit. Huc pertinent illa dicta Augustini, quæ in præcedentibus Dispositionibus sunt annotata.

Vtrumq; certò venturum Christus affirmat, terminum autem vtriusque nemini reuelat.

Dicemus autem 1. De incertitudine nouissimi diei & mortis nostræ,

2. Qua-

2. Quare Deus horam illam voluerit nos ignorare.
3. Quid agendum, vt omni tempore nouissima dies opportunè adueniat.

I. Pars.

Omnia alioquin habent suum tempus Eccles. 3. Et quidem certum atque præfinitum tempus pleraque habent, quod sciri potest.

Astrologus potest calculare horam Eclipsis. Mercator scit nundinas. Seruus terminum suum. Prægnans scit tempus partus.

Imò ciconia nouit suum tempus. Ierem. 8.

At tempus extremi diei nemo hominum nouit, imò ne angeli quidem in cœlis. Matth. 23. Marc. 13. Ratio. Quia hoc pater reseruauit suæ potestati. Act. 1. v. 7.

Eadem est ratio de hora mortis. Ad vtrumque pertinent verba Christi: Nescitis quando tempus. Nescitis quando venturus sit Dominus, an circa galli cantum, an mane, an vesperi, an media nocte. Eccles. 9. Nescit homo tempus.

Et plerumq; inexspectata est hora mortis. Venit sicut fur. Et improuisa sæpius abripit, sicut laqueus.

Casus sunt varii & dubii, piis & impiis. Exempla. Eli. Filii Iob. Fossores Siloah. Ananias & Sapphyra. Ammon. Ioab. Herodes. Et præter hæc quotidiana experientia.

VSVS.

Tamen pleriq; sunt securi & dicunt Pax, pax. 1. Thess. 5.

Alii dum curiosè terminum inquirunt, vel ex astrorum positu, vel aliis rationibus, semetipsos turpissimè decipiunt. Vel timent vbi non est timor, cum à signis cœli nihil debeamus metuere, Ierem. 10. v. 2. vel planè sunt securi & incauti obruuntur, promittentes sibiipsis longæuitatem.

II. Pars.

At quare non reuelauit terminum nouissimi diei, vel tamen

tamen mortis horam, vt possemus nos præparare in tempore? Videtur Deus hac ratione nobiscum non agere paternè? aut stultè agere? Resp. Stulticia Dei sapientior est, 1. Corin. 1. v. 25.

1. Et bonitatis Dei hoc est, quòd occultat tempus, ne procrastinemus pœnitentiam, & cumulemus peccata peccatis.

Haymo: Ideò Deus voluit latere vltimum diem, vt dum ignoratur vnus, obseruentur omnes.

Sic semper vult nos in timore & tremore operari salutem, Psal. 2. v. 11. & nouissimorum recordari, vt abstineamus à peccatis, Syrac. 7. v. 40. Huc pertinet similitudo Christi de patrefamilias, qui propterea dissimulat tempus aduentus, vt omni hora faciant singuli officium.

Alioquin de die in diem reiicerent operas vocationis. Et satis est, scire nos quod tempus breue sit, 1. Cor. 7. Si enim longè sit dies iudicij, tamen vniuscuiusque hominis dies vltimus longè esse non potest, quia breuis est vita. August. De verb. Dom. in Matth. Sermon. 16.

2. Deinde occultauit Deus horam mortis, ne omni hora trepidaremus, si certus esset præfixus terminus. Est enim metus mortis ipsa morte grauior. Et naturaliter omnes horrent mortem: quia à Diabolo introducta. Sapient. 2. v. 24. Ideò satis esse iudicat, scire quod sit tempus moriendi, Eccles. 3.

De hoc sæpius doceri cupit Psaltes, Psal. 39. & 90.

III. Pars.

Si opportunè aduenit vel mundi vel vitæ hora nouissima, parum refert quandocunq; veniat. Docet ergo quid faciendum, vt omni tempore opportunus sit aduentus Christi, & tria requirit:

1. Videte: siue cauete, βλέπετε. Quid videndum? Figuráne cœli tantùm iudicanda? Matth. 16. Non. Sed cauendum, ne corda grauentur, Luc. 21. v. 34. cauendum à Pseudoprophetis, Matth. 7.

Videndum ne aberremus à via arcta, Matth.7.v.13.

Videndum ne quis palmam interuertat, Coloss.2.v.18. Prælucet autem lucerna verbi Psalm.119. quæ in caligine huius mundi lucet, 2.Pet.1.v.19. Et non ambulandum in tenebris, Ioan.8.v.12.

II. Vigilate, ἀγρυπνεῖτε. Hoc repetit in similitudine illa, vbi paterfamilias iubet ianitorem vigilare. Et repetitur tertia vice, Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. Ne scilic. dormientes opprimat aduentus Domini. Vigilandum Magistratui. Oculi vigiles à Domino. Prouer.20. v.12. Prouideant Ecclesiæ & Reip. Vigilandum Ministris Ecclesiæ super animabus, Hebr.13.v.17. & super gregem, Act.20.v.28. Et omnibus, 1.Cor.15.v.34. Euigilate iustè ne peccetis. Dies illuxit. Filij lucis sumus. Arma lucis induamus, Ephes.5. 1.Thess.5. Rom.13.

III. Orate, προσεύχεσθε. Et debet quidem nostra προσευχὴ esse ἐκτενής. Act.12.v.5.

Quid orandum? 1. Pro remissione peccatorum, Psal.32. v.7. Et Psal.51.v.3.& 4. Et Ps.143.v.2. 2. Pro fidei augmento, Luc.17.v.5. Marc.9.v.24. 3. Pro auxilio diuino, Psal.22. v.12. & 35.v.2. Et 27.v.9. Et 38.v.22. Et 71.v.9.& 18.

4. Pro spiritus sancti inhabitatione, Psal.51.v.14.

5. Pro felici fine vitæ. Domine suscipe spiritum. Psal. 31.v.6. Luc.23.v.46. Act.7.v.59. &c.

THEMA X. CLASSIS VI.

Marc.14. v.38.

Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus promptus est, at caro infirma.

DISPOSITIO.

Solemus verba hominum piorum in extremo mortis agone accuratius obseruare, & memoriæ altius infigere: quia plerumq; sunt tincta sensu, & singularem quandam habent emphasin. Erunt itaque hæc verba Christi ad discipulos, in grauissima illa lucta mortis, & inter sangui-

neum ſudorem in monte Oliueti prolata, diligentiſſimè penſitanda: Quibus ipſos de carnis infirmitate in tentationibus admonet, & hortatur ad preces atque ad vigilantiam.

[Notabunt Theologiæ Studioſi (coram ruſticis enim hæc non ſunt tractanda) Auguſtinum in illa fuiſſe opinione, Chriſtum de ſeipſo hęc dixiſſe, & de ſua carne pronuntiaſſe, quod ſit infirma. Lib. de ſalutaribus documentis.c.64. Tom.4. pag.771. At diuerſum ab ipſo non tantum noſtrates Theologi, ſed ipſi etiam Pontificij ſtatuunt. Et ad quos pertinet id, Orate, ne intretis in tentationem (quod certè de Chriſto intelligi non poteſt) ad illos etiam pertinet, Eſt caro infirma. De Chriſto igitur accipi non debet. Poteſt itaque ipſo Auguſtino teſte (De peccat. Orig. lib.2. cap.29. cont. Pelag. & cœleſt. in aliqua quæſtione, homo dubitare vel errare ſalua fide. Hæc hactenus. Nec ſine cauſa.]

Hæc Chriſti paucula quidem, ſed prægnantia admodum verba, tractanda ſuſcipiemus.

1. Senſum primò inueſtigabimus.
2. Deinde locos ſubiiciemus.

Paraphraſis Textus.

Pollicitis valdè diuites fuerant Apoſtoli, & maximè quidem Petrus. Cum enim Chriſtus prædixiſſet, fore vt omnes ab ipſo deficiant. Ibi præſumptuosè Chriſto pollicentur magnam conſtantiam, etiam in mortis præſentiſſimo periculo. Iam verò cum Chriſtus in monte Oliueti cum morte & peccatorum noſtrorum mole grauiſſimè colluctatur, & inſtat hora, qua captiuus tradendus erat poteſtati hoſtium, diſcipuli omnes trepidant, Et hi, quos ſecum eſſe in illo agone voluit, tam ſunt ex conſternatione quadam ſingulari (Luc.22.v.45.) ſomno grauati & quaſi ſepulti, vt ſecunda vice excitati vix poſſint vigilare, nec Chriſto ad mortem vſque perturbato quicquam afferre ſolatii.

Admonet autem ipſos imminentis periculi, cùm ſciat ipſos paſſuros defectionem. Et oſtendit, Spiritus quidem veſter promptus eſt, quo conſtantiam mecum moriendi eſtis polliciti. At ego ſcio veſtram carnem infirmiorem eſſe, quam quæ grauem illam luctam poſſit ſuſtinere. Vbi enim caro veſtra ſenſerit vim & crudelitatem hoſtium, qui in propinquo ſunt, certè non ſubſtinebit, ſed cor in pedes decidet.

Itaque non ſtertendum iam, tempore hoc periculoſiſſimo: quin potius orandum vobis eſſet, ne in grauem illam incideretis tentationem, (quam ego iam præuidi & prædixi) vbi me deſerto & in manibus hoſtium relicto, omnes fugam capietis, partim etiam planè abnegabitis. De hoc vobis eſſet cogitandum, & ardenter orandum, quia iam ex Prophetia Zachariæ cap.13.v.7. prædixi id futurum. At ſurdis hæc auribus audiunt, nec prius verbis Saluatoris fidem habent quam euentus veritatem illorum comprobauerit. Mox autem ſeſe in pedes conijciunt. Tanta carnis illorum eſt infirmitas, quam Chriſtus ipſis his verbis ob oculos poſuit.

Vbi idem repetendum quod cap. præced. Mar. 13 dixerat, Quod vobis dico, omnibus dico.

LOCI.

I. Videmus magnam vim eſſe Tentationum, cùm Deus permittit Satanæ, vt nos aggrediatur. (Deus enim tentator ad malum non eſt. Iac. 1.) Tentat enim cribrare nos, vt Apoſtolos, Luc.22. Tentat irritum facere in nobis verbum Dei. 1. Theſſ. 3. v.5. Hiob exemplo eſſe poteſt.

Tentat variis peccatis, vt auellat à Deo. Sic tentauit Adamum & Euam.

Eſtque hoc ipſius Epitheton, Tentator. Matth.4.

Requiritur itaq; primum (Chriſto monente hoc loco) vt vigilemus & caueamus, ne Satan nos ſeducat. 1. Cor.7. v.5. Idem eſt quod Petrus hortatur ad ſobrietatem, ne Satan leo rugiens deuoret. 1. Pet.5.

Incautos enim facilè Satan decipit.

II. Dein-

II. Deinde videmus magnam esse carnis infirmitatem in tentationibus. Licet enim spiritus (hoc est, quatenus homo renatus) promptus sit, tamen in grauioribus tẽtationibus sæpè succumbit spiritus, & superatur à carne.

Sic Dauid in tentationem inducitur a Satana, vt numeret populum. 1. Paral. 22.

Sic & Hiskias tentatus 2. Par. 32. v. 31. succumbit.

Nemo itaque quicquam sibiipsi tribuat, cum Petro. Matth. 26. v. 33. De hoc 1. Cor. 10. Non nisi humana vos tentatio cepit. Qui stat videat. &c.

Requiritur ergo secundo loco (Christo docente hîc) vt oremus frequenter, ne Satanæ nos permittat Dominus. Hinc iussit orare, Ne nos inducas in tentationem: hoc est, ne à Diabolo nos iuduci patiatur ad perniciem nostram.

Et quia Satan præsertim in hoc occupatus est, vt morituris nobis palmam interuertat (Colos. 2. v. 18.) omni tempore studendum sobrietati, & orandum ardenter manè & vesperi, ne Satanæ concedat Dominus potestatem tentandi vltra vires. Vigilantibus, & orantibus valet id 1. Corin. 10. Fidelis Deus, Securis non item.

FINIS.

THEMA XI. CLASSIS VI.

Luc. 12. v. 35.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ accensæ, & vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis, &c. vsque ad vers. cap. 39.

DISPOSITIO.

Admodum solicitè Christus, pluribus locis, Christianos hortatur, vt semper sint parati, ad aduentum Domini. Siue autem aduentum intelligat ad iudicium, siue aduentum ad euocandum hominem ex hac vita, perinde

est. nam sicut in extrema die vitę morietur, ita in extrema mundi die iudicabitur.

Estque hora mortis cuique dies nouissima.

Hanc verò ob causam Christus saluator noster toties repetit suas admonitiones, vt carni innatum istum veternum & securitatem excutiat. Vtque ista hæreant diutius, similitudinibus appositissimis subinde rem proponit. Talis etiam est præsens, de Seruis exspectantibus reditum Domini à nuptiis: & quod sit illis præmium repositum. Nos primùm parabolam excutiemus, atque ad institutum Christi accommodabimus. Deinde addemus doctrinam, seu vsum huius parabolæ.

Expositio Parabolæ.

1. Peregrè profectus ad nuptias vir magnus & illustris, post se relinquit famulos, custodes domus.

2. Serui interim solicitè exspectant ipsius aduentum: vt vel media nocte aduentanti obuiam procedant & ædes aperiant.

3. Vigilant itaque præcincti lumbis. Sie ziehen sich nicht auß. Non vino somnoque sepulti iacent.

4. Lucernas atque lampades habent ardentes, vt possint faces præferre Domino, si noctu veniat.

5. Neque tantum ad primam vsque vigiliam sic præstolantur aduentum heri, sed & ad secundam & tertiam vigiliam parati sunt.

6. At graue est sic semper vigilare, in multam noctem? Respondet Christus. Beati serui illi. Quia non laudem tantùm, sed amplissima quoque inde ferent præmia. Discumbere faciet illos Dominus in mensa sua, & ministrabit eis.

Accommodatio.

1. Christum Deus fecit Dominum nostrum. Act. 2. v. 36. Phil. 2. v. 11.

Is post ascensum in cœlis ad nuptias, h. e. ad cœlestia gaudia transiuit.

2. Chri-

2. Christiani serui ipsius sciunt ipsum sic rediturum sicut discessit. Matth. 26. v. 64. Act. 1. v. 11.

Quia autem incertus aduentus, vult nos semper exspectare ipsum, quandocunque veniat siue ad iudicium, siue vt nos ex his terris auocet. Nescitis quando tempus. Mat. 24. Mar. 13. Parati simus vt pulsanti mox aperiamus. (Er klopfft auch an durch Kranckheit vnd Tod.)

3. Vigilandum itaq; omnibus. Non indormiendum peccatis, ne inueniat Dominus imparatos & securos.

Hoc saepè audimus, Matth. 24. 25. Mar. 13. 14. 1. Pet. 5.

4. Luceat lucerna, hoc est, alenda vera fides in cordibus, quae est instar flammulae, vt non tum primum necesse sit fidem discere, quod idem esset, ac si veniente Domino, candelam mutuare vellent serui à vicinis.

5. Idq; in prima & secunda atq; tertia vigilia faciendum: hoc est, in omnibus aetatibus. Iuuentus est prima, virilis aetas secunda, senectus autem tertia vigilia. Nescimus enim in qua aetate Dominus pulsaturus sit fores.

6. Et quamuis videatur graue, sic semper studere pietati, sobrietati, & numquam indulgere genio: Beati tamē qui sic inueniūtur. Iam enim Christus se praecinxit ad ministrandum illis, cùm formam serui assumpsit. Phil. 2. v. 7. Et collocabit illos ad mensam suam in coelis, vt edant & bibant in regno ipsius. Luc. 22. v. 30. caeteri imparati eiicientur foras in tenebras. Matth. 25. v. 30.

LOCI.

Possent hoc loco plures tractari Doctrinae, De sedulitate quae decet famulos, &c. Sed hae ad institutum praesens minus pertinent.

Hoc considerandum nobis ex hac parabola:

1. Quamuis nesciamus, quando venturus & pulsaturus fores nostras, & dicturus, Dispone domui, Morieris & non viues. Esa. 38. tamen scimus, ipsum in propinquo esse, omni tempore.

Est enim breuis vita nostra, si maximè longè absit dies Domini.

2. Decet itaque nos ſemper vigilare, orare, Marc.14. vt non viuamus ſicut hi, qui pactum cum morte feciſſe videntur, Eſa.28.v.15. Sed antiquum pactum eſt, Morieris, Syr.14.

3. Ardeant noſtræ lucernæ. Multi enim ſunt ſimiles fatuis virginibus oleo deſtitutis, Matth.25. Non eſt in illis vera fides: quia negligunt verbum Dei. Vt autem nunquam extinguatur lucerna, frequenter infundamus oleum verbi & ſacramentorum. Et non extinguet linum etiam fumigans, Eſa.42.

4. Accincti ſint lumbi, vt habeamus bonam ſemper conſcientiam, & caueamus à peccatis, quæ licet non poſſimus deponere, cingere tamen debemus ne regnent, Rom.6.v.12. 1.Cor.9. δουλαγωγῶ τὸ σῶμα.

5. Et omnibus vigiliis, hoc eſt, ætatibus, hoc dictum eſto. Iuuenibus tàm quàm ſenibus. Memento creatoris, Eccleſ.12.v.1. Ioſias puer quærebat Dominum, 2.Paral. 34.v.3.

6. Qui ita parati ſunt, non metuant pulſum Domini, quouis tempore. Beati, Apoc.14.v.13.

Et qui hîc ſumus ſerui fideles, ibi erimus Domini. Patienter igitur ferendi labores. Qui in minimo fidelis, Matth.25.v.23. Luc.19.v.17. Cupiamus etiam diſſolui, Philip. 1. & manumitti.

FINIS.

THEMA XII. CLASSIS VI.

Luc.21. verſ.34.

Cauete, ne corda veſtra grauentur crapula & ebrietate, &c. vſque ad v. 37.

DISPOSITIO.

Paucis verbis multa vult docere Chriſtus. Primùm enim de nouiſſimo die nos inſtruit, quod ſit venturus ſubitò.

Dein-

Deinde quid tum de hominibus futurum innuit, vno quaſi verbo.

Tertiò. Quomodo nos præparare debeamus, docet. De his ordine dicemus: quia vtilis erit hæc admonitio, non tantùm vt præparemus nos ad nouiſſimum iudicij diem, ſed etiam ad vitæ nouiſſimum diem.

I. Pars.

De die illa loquitur. Emphaſin habent verba paucula. Non enim multis diſputat, qualis ſit futura dies. Satis eſt dicere, illa dies, quam ſcilic. omnes intelligunt fore diem Domini, 2. Petr. 3. v. 10. magnum & terribilem, Malach. 4. v. 5. vbi omnia deſtruentur opera per ignem, 2. Pet. 3.

De hac die pronunciat, quod venturus ſit ſubitò, & inopinatò. Et illuſtrat hoc ſimili: de illaqueatis auibus, dum eſcam vorare cupiunt, & nullum metuunt periculum.

Idipſum aliis ſimilitudinibus expreſſit ſcriptura. Sicut fur de nocte, Matth. 24. 1. Theſſ. 5. 2. Pet. 3. Apocal. 3. & 16. Sicut dolores parturientis, 1. Theſſ. 5. v. 3.

Eadem eſt ratio de nouiſſima die, vbi nobis erit moriendum. Sicut piſces hamo. Eccleſ. 9. v. 12. Mirum ergò nos non ſæpius cogitare de morte: Pſaltes orat, Doce nos Domine numerum dierum, Pſal. 39. & 90. Scit enim, carnem nihil minus quàm de hora mortis cogitare, cum illa recordatio ſit amara, Syr. 41.

Potius quærimus reſiduum annorum, Eſa. 38. verſ. 10. Et nemo tam ſenex, qui non putet ſe adhuc annum viuere poſſe.

Ideoque tanta eſt hominum & tam pernicioſa ſecuritas, vt non aliter viuant, ac ſi pactum feciſſent cum morte, Eſa. 28. v. 15.

Quotidiana exempla diuerſum nos docere poſſunt.

Quam autem ſit pernitioſa illa ſecuritas, docebit hoc, quod ſequitur.

II. Pars.

Si nouiſſimus dies tantùm faceret finem omnium re-

rum, & nihil præterea nobis exſpectandum, poſſemus vtique in diem viuere.

At Chriſtus innuit, tum ſtandum coram filio hominis. Et ſanè qui digni erunt ſtare ante ipſum, cum his non malè agetur. At qui indigni reperientur, malè ſtabunt. Das wird jnen ein harter Stand seyn.

De hac ſtatione ſæpè cogitandum, Chariſſimi. Hoc verò nihil eſt aliud, quàm id quod Paulus 2. Corin. 5. habet, Omnes manifeſtari oportet. Reddetur ibi vnicuique ſecundum opera ſua. Et indigni ſanè multi iudicabuntur, qui ſtent ante filium hominis. Ideoque dicetur illis, Abite. Matth. 25. verſ. 41. Non eſtis digni qui videatis faciem meam. Hi ſcilicet (vt ex ſequentibus patet) indigni cenſentur, qui ſunt auari, & proinde etiam immiſericordes erga pauperes, quod Chriſtus ipſis eſt exprobraturus. Matth. 25. verſ. 45. Item, ebrioſi: & quorumcunque corda ſunt grauata peccatis contra conſcientiam. Sic & hi, qui non vigilarunt & orarunt, ſtabunt ſicut paleæ à facie venti. Pſal. 1. v. 4.

Vt igitur digni habeamur, in tempore de his rebus cogitemus. Et agnoſcentes illud, Pſal. 130. v. 3. Domine quis ſtabit? Et Hiob. 9. v. 3. ad mille non vnum &c. quæramus aduocatum ſimul & propitiatorem, 1. Ioan. 2. v. 1. & 2. qui & intercedat, Rom. 8. v. 34. Eſa. 53. & λύτρον pro nobis ſoluat, & dignos faciat conſortio. Coloſ. 1. v. 12. Niſi enim is dignos faciat, perpetuo erimus indigni.

III. Pars.

Sed & nos ipſi ſic etiam parati eſſe debemus quouis tempore, ne incautos obruat dies Domini ſubitus. Ideo quid faciendum Chriſtus præſcripſit.

1. Cauete. A quibus? 1. Ab ebrietate. 2. Ab auaritia & immodica cura victus. 3. Et ab omnibus quæ poſſunt grauare cor: vt ſunt omnia peccata.

2. Vigilate omni tempore. Non ſitis ſecuri, ſed cum Deo reconciliamini in tempore vera pœnitentia. 2. Cor. 5. v. 20.

3. Ora-

3. Orate. Deprecantes ſc. culpam, & rogantes remiſſionem peccatorum, cum omnibus ſanctis. Pſalm. 32. v. 7. Orate vt digni efficiamini per meritum Chriſti ſtare ante filium hominis: & poſſitis effugere pœnas.

Et hæc, Chariſſimi, altè animis noſtris infigenda. Siue enim dies mundi, ſiue vitæ, extrema ſuper nos veniat, parati eſſe debemus. Nam qualis quiſque in die illa moritur, talis in die illa iudicabitur.

Non itaque peccandum in miſericordiam Dei.

1. Sed potius cauendum à peccatis & maximè talibus, quæ grauant cor. Vt ſunt ebrietas quæ corpus & animam grauare ſolet: in qua eſt ἀσωτία. Epheſ. 5. v. 18. Facit homines ineptos. Loſe leut. Prou. 20. v. 1. Imò cor planè aufert, ſicut & ſcortatio. Hoſ. 4. v. 11.

Ita etiam auarita radix malorum eſt. 1. Tim. 6. Et laqueis Diaboli irretitur auarus, 1. Tim. 6. v. 9. vt cor non poſſit eleuare ad Dominum. Sed & alia etiam peccata grauant cor. Explica latius.

2. Vigilandum. Nam qualem te inuenerit, iudicabit. Sicut ceciderit arbor. Eccl. 11. v. 3.

3. Orandum. Propitius eſto mihi peccatori. Luc. 18. Non inducas. Vide Diſpoſitionem Them. 9. in fine.

THEMA XIII. CLASSIS VI.

2. Pet. 3. v. 10.

Veniet autem dies Domini ſicut fur in nocte, quo cœli cum ſtridore tranſibunt, &c. vſque ad verſum 15.

DISPOSITIO.

Quantò magis neceſſarium eſt, de aduentu Nouiſſimi diei ſæpè multumq; cogitare: tantò maiori ſtudio Satan hoc agit, vt illius meditationem vel penitus ex animis noſtris euellat, vel tamen nos ſecuros reddat, vt terminum longiſſimum conſtituamus, & diem iudicij poſt multa demum ſecula aduenturum putemus. Et hoc Satanæ ſtudium iuuant illuſores iſti, de quibus nos Petrus hoc

hoc ipſo capite monet: vtque non cum ipſis ſentiamus hortatur. Simul etiam verbis prælectis hæc tria docet.

1. Inopinatò aduenturum diem nouiſſimum.

2. Et cœlum tum atque terram tranſitura.

3. Quid hominibus hæc exſpectantibus faciendum, vt reperiantur parati.

I. Pars.

Licet rideant & illudant ſecuri, tamen certò eſt venturus dies Nouiſſimus. Hunc vocat diem Domini: quia Dominus ad iudicium venturus, vt confitemur in ſymbolo. De quo tot extant ſcripturæ teſtimonia apertiſſima, in veteri & nouo Teſtamento.

Eſa.65.66.Dan.7.12. Matth.24.25.1.Theſſ.4.5.

Venturus autem eſt inopinatò. Eadem Chriſtus confirmat: horâ quâ non venturum putatis. Matth.24. Similitudine rem illuſtrat, quam etiam à Chriſto (ibidem) mutuauit. Sicut fur venit, non clara luce, nec cum adhuc vigilant homines & lucernas accenſas habent, ſed media nocte, cùm dormiunt, & nihil tale exſpectant. Sæpè hac ſimilitudine vtitur ſcriptura, vt Matth. 24. Apoc.3.& 16.& 1. Theſſ.5.

L. Caueamus ne reperiamur inter illuſores, quorum ſanè multi ſunt, extremis his temporibus, iuxta Petri prædictionem. Et qui non verbis hoc profitentur, illi tamen ſic viuunt, vt palam ipſo opere teſtentur, ſe non credere iudicium extremum. At noſtris ſemper vox illa in auribus ſonare debet, Ad iudicium. De quo Hebr.9.v. 27. Eccl. 12.v.14.2. Cor.5.v.10.

Eadem quoque meditatio nos ſemper de mortis hora monere debebit: quæ in hac vita cuique eſt dies nouiſſima, iuxta quam iudicabitur, & mox iudici ſiſtetur, vt experiatur quomodo vixerit Syr. 11. verſ. 29. Huc pertinent Auguſtini dicta inſignia, ſuprà ſæpius repetita. Et cætera etiam quæ in præcedente & aliis multis Diſpoſit. ſunt annotata.

II. Pars.

II. Pars.

Aduentum diei nouissimi finem cœli & terræ factum, iam secundo loco Petrus docet.

1. Cœli cum fragore ingenti præteribunt.
2. Elementa æstu soluentur.
3. Terra cum omnibus quæ in illa sunt operibus exuretur.

Et repetit idem denuò certitudinis causa. Idque in hoc capite supra vers. 7. etiam habetur, igni reseruata cœlum & terram.

Idque ex Esa. 66. v. 16. videtur desumptum, vbi dicitur Dominus iudicaturus per ignem. Et Esa. 51. vers. 6. Cœli vt fumus liquescent.

Addit autem, Nouum cœlum & nouam terram esse nobis exspectanda, in quibus non peccatum (vt in his terris) sed iusticia habitabit.

Et hoc quidem exspectamus iuxta promissionem Domini factam Esa. 65. v. 17. & 66. 22.

[Nota. Vtrum cœlum & terra peritura sint igni secundum substantiam, an tantùm secundum qualitates vel accidentia, de hoc coram rudi plebecula non est disputandum. Satis est scire certò (ex verbis Christi Luc. 21. v. 33.) cœlum & terram transitura.] Cætera curiosè inquirenda non sunt. Melius est dubitare de occultis, quàm litigare de incertis. August. de Genes. ad literam. lib. 8. c. 5.

L. Stultè agunt qui his rebus terrenis sic inhiant, vt interim cœlestia negligant. Contra Matth. 6. v. 19. 1. Tim. 6. v. 6. 18. atque 19.

Quorsum autem opus tam splendida parare ædificia, & magnam vim auri atque argenti & supellectilem pretiosam corradere, cùm hæc omnia sint igni peritura? Quærantur itaque cœlestia nunquam peritura. Matth. 6. v. 33. Solatium hinc pauperes: Doctrinam verò diuites habent.

III. Pars.

III. Pars.

Quid faciendum, vt transeuntibus cœlo & terra, nos tamen consistamus cum gaudio. Et hoc Petrus docet.

1. Expectare & precibus accelerare debemus aduentum Domini: rogantes, Veni Domine Iesu. Ap. 20.

2. Vt autem digni simus stare ante ipsum, oportet nos in sanctis conuersationibus ac pietate exspectare. Et id repetitur. Date operam vt immaculati & incontaminati ab illo reperiamini, in pace, scilicet conscientiæ, quæ est fructus Spiritus. Gal. 5.

DISCIMVS. Piis non extimescendum diem nouissimum. Imò læti extollere debēt capita, quia instat redemptio, Christo dicēte Luc. 21. v. 28. Et tum videbimus retributionem impiorum, de qua Psal. 91. v. 8. Ier. 20. v. 12. Sap. 5. v. 1. Orandum semper, Adueniat regnum tuum.

Interim in sancta conuersatione pij & immaculati patienter exspectent liberationem, pro qua omnis creatura nobiscum συστενάζει Rom. 8. v. 22. Hab. 2. v. 3. Psal. 27. v. 13. & 14. Psal. 62. v. 9.

At hoc agendum, ne inueniat Dominus pollutos variis peccatis. Forás enim illi mittentur. Apoc. 22. vers. 15. Nouum cœlum enim & Noua terra nouos habitatores requirunt, innouatos in iusticia Christi. 1. Cor. 1. v. 30. Rom 5. v. 1. Demus operam vt simus mundati sanguine Christi, 1. Cor. 6. v. 11. & 1. Ioan. 1. v. 7. vt candidi inueniamur. Esa. 1. v. 18. absq; abominatione. Apoc. 21. v. 27.

FINIS.

THEMA XIV. CLASSIS VI.

Iacob. 4. vers. 13.

Agite nunc, qui dicitis, hodie & cras eamus in ciuitatem hanc, & faciamus ibi annum vnum, & mercemur, & lucrum faciamus, qui ignoratis, quid futurum sit postero die.

Et

Et cætera quæ sequuntur vsque ad vers. 16. Seclusa illa parenthesi de vapore, quæ peculiariter tractatur infra in appendice huius classis, sub Num. 25.

DISPOSITIO.

De vanis hominum consiliis & cogitationibus. (germ. Anschläge) multum scriptura differit. Sap. 9. v. 14. Cogitationes mortalium fallaces, & incertę prouidentiæ nostrę. Quamuis enim homo varia proponit, Dominus tamen omnia pro suo arbitrio disponit. Ideoque etiam D. Iacobus hoc loco vana hominum quorundam consilia dissuadet, & vt nos omninò Deo subiiciamus hortatur.

Et primum quidem hominum sermones per elegantem prosopopœiam citat, illosque sermones insolentiores retundit, &c.

Deinde addit quomodo sint corrigendi. Hæc duo videamus.

I. *Pars.*

Proponit Iacobus hominum consilia & sermones, maximè quidem accommodatos ad mores istius temporis, vbi auaritia & sceleratus amor habendi inualescebat.

Dicitis, hodie vel cras proficiscemur in hanc vel illam ciuitatem: ibi subsistemus aliquandiu, & vel integrum ibi annum commorabimur. Quid acturi? Negotiabimur aliquo genere mercaturæ, & lucrum faciemus haud exiguum. Sic apud vos iam est constitutum. At quam stulta sint hæc consilia, quàm insolentes sermones, quàm vanæ gloriationes, ipsi cogitate. Constituistis aliquid facere post vnius anni curriculũ, & nescitis an hodie sitis superuicturi. Vultis cras abire, & forsitan hodie moriendũ erit.

Cic. de senect. Quis est tam stultus (quamuis sit adolescens) cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum.

Dicat aliquis: Et quis non possit annum viuere? Nemo, Cicerone teste, tam est senex, qui se annum non putet posse viuere? De senectute. Es stirbt einer nicht so gleich/ dicunt nonnulli. Audi, inquit Iacobus, quî possis tibi-

tibi promittere annum, & vel craſtinum : cum nihil ſit vita veſtra? Quid enim eſt vita? Vapor exigui temporis, mox euaneſcens : ita vt ne vna quidem hora de vita certi eſſe poſſitis.

L. Videmus (primùm quidem generaliter) Deó diſplicere noſtra conſilia, & propoſita, quibus diem mortis in multos annos reiicimus, & interim pro lubitu noſtro varia proponimus, quaſi verò Deus cogatur eò vſq; differre mortis tempus. Wir machen all vnsere Anschläge für den jüngsten Tag hinauß. Ideoq; Deus communiter noſtra illa conſilia diſſipat, & diſturbat inopinato mortis interuentu. De quo egregiè Pſalm. 145. Exibit Spiritus hominis, & perierunt omnes cogitationes illius.

Quin igitur potius omnes actiones noſtras ſic inſtituimus, tanquam cras morituri: & de his cogitamus, quæ ad ſalutem æternam faciunt. Agnoſcamus tempus viſitationis, Luc. 19. v. 44. Nunc dies ſalutis, 2. Cor. 6. Quærite Dominum, dum inueniri poteſt, Eſa. 55. v. 6. Comparandum oleum antequam claudatur ianua, Matth. 25. v. 11. Hodie, hodie ſi audieris, Pſal. 96. Heb. 3. v. 7. & 15. At de his nemo ferè ſolicitus eſt, aut pauci tamen. Ideoque multi inueniuntur imparati. His graue eſt mori, quia multos ſperarunt annos reſiduos, Eſa. 38. v. 10. Et conſilia ſua in multas annorum decades iam ſtruxerunt, ſed fruſtra.

In ſpecie verò reprehenduntur hi, qui vtile ſolicitis computant articulis, & variis artibus ſtudent corradere nummos, & lucrum facere, agitantes conſilia quantū lucri poſt annum vnum & plures ſint facturi, de morte & animę cura parum ſoliciti. His autem dicetur illud, Stulte. Luc. 12. v. 20. Quid reſpondebunt? Quomodo ſtabūt morituri, qui cum Deo non redierunt in gratiam? Numquid ipſos liberabunt nummi: Neutiquam. Prou. 11. v. 4.

Quid prodeſt lucrari mundum, Matth. 16. v. 26. Et quid dabis pro redemptione animæ. Ibid. Pſal. 49. v. 9. Igitur quære theſauros, Matth. 6. verſ. 19. & primùm regnum Dei, verſ. 33.

II. Pars.

II. Pars.

Secundo loco Iacobus aliam formulam loquendi pręſcribit, ſi Dominus voluerit & vitam conceſſerit, hoc vel illud faciemus: Sic nos voluntati diuinæ per omnia ſubiiciamus, & ab illa toti pendeamus, in omnibus conſiliis noſtris.

L. Egregiam doctrinam hic locus præbet, vt nihil vnquam ſtatuamus aut proponamus, ſimpliciter & abſolutè, ſed ſemper cum hac ſuppoſita conditione, Si Deus voluerit, ſi ipſe vitam & vires clementer conceſſerit, ſi ipſi hoc placuerit. Hoc eſt quod Chriſtus iuſſit orare, Fiat voluntas tua. Et ipſe ſic orauit: Non mea ſed tua voluntas fiat. Luc. 22. v. 42.

Dauid abiens in exilium ait, Si placuero Domino reducet. 2. Sam. 15. v. 25. Non, inquit, reuertar huc, & hoc vel illud faciam.

Quin imò Angelus Domini hac formula loquendi (quæ hominibus, iuxta Iacobi regulam, vſitata eſſe debet) vtitur: Vita comite reuertar, & Sara habebit filium. Gen. 18. v. 10.

Debent autem hæ voces non tantùm ex conſuetudine loquendi nobis eſſe vſitatæ, ſed cor hoc loqui debet, ex vera erga Deum humilitate.

Hæc enim ſeriò cogitans nihil ſtatuet, quod Deo diſplicere poſſit.

Deinde videmus licere quidem negotiari, lucrum facere, ſed ita ſicut Deo placuerit. Abſit iniuſticia & iniquitas illa, de qua Amos 8. v. 5. Prou. 20. v. 23. Deut. 25. v. 13. 14.

THEMA XV. CLASSIS VI.

Apoc. 3. verſ. 3.

Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te.

DISPOSITIO.

Hæc ſunt verba Chriſti Saluatoris, quæ Ioannes Apo-

ſtolus audit in viſione, & iubetur ſcribere Angelo, hoc eſt, Miniſtro Eccleſiæ quæ erat Sardis. [Sardes autem fuit olim ſedes Regia Crœſi Regis Lydorum, & poſtea præſidum Perſicorum, alioquin celebre emporium, vbi omnes famulæ leguntur fuiſſe meretriculæ, & magnus populi luxus, ſicut in illis locis fieri ſolet. Ideoque tandem propter peccata fuit deleta.] Hortatur autem ipſum Ioannes, ex ore Chriſti ad vigilantiam. Quia verò hæc admonitio non tantùm ad ipſum, ſed etiam ad omnes omninò homines pertinet, ideoq; hæc paucula verba examinabimus, & quid illa nos etiam erudire poſſint, videbimus.

Paraphraſis Textus.

Reprehenditur Paſtor Sardenſis, quòd hactenus non rectè operatus fuerit coram Deo. Ideoque reſipiſce, inquit Iohannes. Et additur, in ſuperioribus, eſto vigilans. Vult ſaluator, vt in tempore corrigat id, quod hactenus neglexit, ne antequam pœnitentiam egerit, à Deo auocetur. Sequitur enim, ſi non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur; & obruam te in ſecuritate tua.

Nec procraſtinanda pœnitentia, quia neſcis qua hora venturus ſim & te auocaturus. Sicut neſcit paterfamiliàs qua hora (imò nec quo menſe aut die) venturus ſit fur. Ideoq; ſi non omni tempore vigilat & domum cuſtodit, magnũ illi à furibus imminet periculum (ſolent enim fures captare occaſiones, & tum domum perfodiunt cùm dormiunt domeſtici.)

Ita niſi tu vigilaueris & ſecuritati valedixeris, de improuiſo te abripiam, & facies iacturam animæ tuæ. Ergo vigila, ora, caue à peccatis omni tempore.

LOCI.

I. Vſitata hac ſimilitudine de fure, qui de improuiſo domum perfodit, Spiritus ſanctus hoc loco (vt & 1. Theſſ. 5. v. 2. & 2. Pet. 3. & Apoc. 16.) voluit nobis excutere veternum iſtum ſecuritatis, vbi homines peccatis ita indormiunt, vt de morte & iudicio extremo nihil planè cogi-

cogitent. Hinc fit, vt inueniantur imparati, cùm illis est moriendum, & similes quinque fatuis virginibus Matth. 25. Sicque excluduntur à regno cœlesti. Ibidem. v. 12. Sicut enim ceciderit arbor, ita iacebit. Eccles. 11. Et quem dormientem (id est, securum & peccatis deditum) seruum inuenerit Dominus, eum dissecabit. Matth. 24. vbi eadem similitudine de fure Christus idem docet.

Ad vigilantiam itaque toties hortatur, Matth. 24. & 25. Mar. 13. & 14. Luc. 21.

Et idem Apostoli vrgent. 1. Cor. 16. v. 13. Eph. 6. v. 18. Col. 4. v. 4. 1. Pet. 4. & 5.

Non autem hoc vult, vt nunquam somnum capiamus: (Quod enim caret alterna requie durabile non est) sed vt cor vigilet ad Dominum, & nunquam sit securum, sed quandocunque cogitauerit se Deum offendisse (cogitabit autem de hoc omni tempore Psal. 51. v. 5.) hoc agat, vt absque mora cum Deo redeat in gratiam, per seriam pœnitentiam. Id hoc loco etiam requirit Ioannes, Resipisce. Atque non prius in dulcem declines lumina somnum, omnia quàm præteriti diei peccata apud Deum seriò deprecatus fueris. Si enim te in peccatis dormientem inuenerit hora vitæ suprema, iacturam facies animæ. Quoties igitur te componis ad quietem, cogita de hoc fure, qui de improuisò veniet. Quod si remissionem peccatorum (pro qua vna tecum omnes sancti orant Psal. 32. v. 7.) fueris consequutus, beatus eris, Ibid. v. 1. 2. & tum non dulcis tantùm erit quies, sed ipsa mors somnus erit: sicut vocatur Ioan. 11. 1. Thess. 4. Marc. 5. De his autem sermo est, qui in Domino (cum quo in gratiam redierunt per fidem, Roman. 5. v. 1.) moriuntur. Apoc. 14.

II. Videmus etiam, quòd vigilantibus & pœnitentibus aduentus Domini vel ad iudicium, vel in morte, (si maximè id de improuiso fiat) non sit damnosus, ideoq; non debet esse terribilis. Quin imò illi hoc vnicè optant. Veni citò Domine. Apoc. 22. in fine. Sciunt tum instare redemptionem. Et optant, Nunc dimittis. Luc. 2.

Cupio dissolui, Phil. 1. Quia semper sunt parati, Matth. 25. vers. 10.

Thema XVI. Classis VI.

Apoc. 16. v. 15.

Ecce venio vt fur. Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.

DISPOSITIO.

In his verbis primum continetur vaticinium, de subito & inopinato aduentu Christi ad iudicium. Deinde verò additur, quid faciendum hominibus, qui in illo aduentu voluerint sic inueniri, vt beati possint pronunciari.

De his duabus partibus iam erit dicendum.

I. Pars.

Ecce venio sicut fur. Verba sunt Christi, sicut etiam in præcedenti Themate. Et mutuata ex ore Christi, Matth. 24. Demonstratur hoc simili inopinatus Christi aduentus ad iudicium, in nouissimo die, vt supra dictum suo loco.

Breuitatis causa remitto lectorem ad Dispositiones præcedentium Thematum, inprimis VII. XIII. & XV.

Inde etiam Loci peti poterunt, huc pertinentes. Quia materia planè est eadem.

II. Pars.

Quia verò inopinatus venit dies Domini, væ illis qui imparati inueniuntur. Illos enim dissecabit, Matth. 24. Itaque videndum vt digni inueniamur, Luc. 21. Quid ergò faciendum?

1. Vigilandum. Beatus qui vigilat. Idem plane Luc. 12. Beatus seruus, quem Dominus inuenerit vigilantem.

Hinc extrui potest locus idem, qui in præcedentis Thematis dispositione numero primus est, si incipiatur à paragrapho, Ad vigilantiam, &c.

Eadem suprà etiam inueniuntur ferè in Disposit. Themat.

mat. VII. parte 2. & VIII. parte 2. & IX. parte 3. & aliis etiam.

2. Vestiti inueniantur, & vestes custodiant: ne nudi reperiantur, & videatur turpitudo illorum.

Non de vestibus corporis loquitur, sed de spiritualibus. Vsitata enim hæc similitudo est scripturæ passim in veteri & nouo Testamento: Et sicut spiritualis est nuditas illa, de qua Apoc. 3. v. 17. ita spirituales etiam requirit vestes. Requiritur itaque illa vestis nuptialis, de qua ipse Christus Matth. 22. quæ est iusticia Christi: & induitur fide. Credenti enim imputatur iusticia Christi. Illa tegit nostram turpitudinem, peccatorum scilicet, ne veniant in conspectum Dei.

Locvs. Sæpè sumus soliciti de vestibus, non tantùm ne nudi, sed ne vel sordidi & incompti appareamus in cœtu hominum. Et hac in parte plurimi excedunt modum.

At de his vestibus, quibus tecti comparere possimus coram cœtu omnium Angelorum & Electorum, imò coram facie ipsius sanctissimæ Trinitatis, nemo ferè est solicitus.

Causa est, quia nuditatem nostram non agnoscimus. Tàm autem nudi corpore non nascimur, quàm sumus nudi animæ ratione, à natura. Caremus enim omni iusticia & gloria, Rom. 3. v. 23. Apocal. 3. v. 17. Ezech. 16. vers. 7. Sicut autem turpe est, post lapsum incedere nudato corpore, ideoque sese abscondunt Protoplasti. Genes. 3. v. 8. ita turpissimum est, coram Deo apparere sine omni iusticia & sanitate, &c. Hinc Paulus hortatur 2. Corinth. 5. ne nudi inueniamur. Nostram enim turpitudinem auersatur Deus. Et non habens vestem nuptialem, eiicitur in tenebras, Matth. 22.

Primum itaque curandum, vt habeamus vestes. De his magis simus soliciti, quàm de externo vestitu, quem Deus non curat, imò auersatur luxum. Esa. 3. vers. 16. Sed non tegent nos illa perizomata, Genes. 3. vers. 7. nec etiam

iam vestis illa immunda propriæ iusticiæ, Esa.64.v.6. Deo placet. Vestes enim candidas requirit, Apocal.3. v.4.& 18. Zach.3.v.4.& 5.& nuptiales, Matth.22. Esa.61.v.10. Hæc est iusticia Christi, qua tecti coram Deo possumus comparere. Hinc Rom.13.v.14. Induite Dominum Iesum.

1. Induitur illa vestis primum in Baptismo. Quicunque baptizati estis, Christum induistis, Galat.3.v.27.

2. Deinde est etiam custodienda, ne polluatur peccatis. Sic enim hîc, Beatus qui custodit, &c. Et si polluta fuerit, curandum, vt mox iterum sicut nix dealbetur. De quo Esa.1.v.18.

APPENDIX.
CLASSIS VI.
CONTINENS SIMILITVDINES, EXEMPLA, METAPHORAS,

Comparationes, quibus scriptura sacra, in illustranda & depingenda miseria, fugacitate & breuitate vitæ humanæ, passim vti solet.

NOTANDVM.

Notabit Lector, nos porrò in hac appendice, breuitatis causa, ne nimium excresceret libellus, concordantia scripturæ dicta, quæ eiusdem planè argumenti sunt, licet diuersis locis legantur, vna dispositione absoluisse, ne idem toties recurreret, quod lectori molestum esse posset.

APPENDICIS CLASSIS VI.
THEMA I. II. & III.

Psal.39.v.7.
Psal.144.v.4.
Esa.40.v.17.

Homo & vita hominis NIHIL.

DIS-

DISPOSITIO.

Vix quicquam in his terris iudicatur esse pretiosius ipsa hominis vita. Hinc solemus nobilem vitam vocare, (Das Leben ist Edel/) & vitam omnibus aliis anteponere. Sic nihil pluris æstimat quisquam quàm seipsum. Hominem enim cæteris omnibus creaturis præstantiorem, nullo pretio æstimari posse putamus. At longè secus in verbis prælectis iudicat Spiritus sanctus, qui vitam hominis NIHIL, & ipsum hominem NIHIL esse disertè affirmat. Ne itaque nos ipsos & vitam pluris æstimemus quàm par est, agite, Quare homo & vita hominis nihil esse dicatur, & quid nobis ex hac vilissima æstimatione discendum proponatur paucis.

VIDEAMVS.

Primum sciendum, cum Propheta hominem nihili faciendum asserit, non id intelligi vel de vno aliquo homine prorsus inutili, aut de pluribus talibus: quos nos ipsi etiam homines nihili, &c. Sed de toto genere humano, & celebratissimis etiam hominibus loquitur. Sicut Esa. cap. 40. Omnes gentes nihil vocat. Et Psal. 39. Omnes homines. Quomodo autem homo dicetur NIHIL, qui est creatura Dei præstantissima, anima rationali donatus, & primum ad imaginem Dei conditus, per mortem filij Dei redemptus, & ad vitam æternam electus?

Primum itaque sciendum, quod de homine hic sit sermo, qualis est in se & per se, & vno verbo, quatenus post lapsum deformatus peccato tantum est caro & sanguis. Gratia quidem Dei est quicquid est, (1. Cor. 15.) per se verò nihil est nisi massa carnis damnatæ. Licet itaque magnus sit coram hominibus, coram Deo nihil est.

Secundò, nihil esse in scriptura intelligitur, pro, non magni pretij aut valoris esse, & opponitur huic, aliquid esse, id est, aliquid magnum esse. Patet hic sensus ex Gal. 6. v. 3. Si quis existimat se aliquid esse cum nihil sit.

Tertiò. Quare & quomodo dicatur esse NIHIL, vi-

detur nobis omnium rectissimè explicare Esaias, addens, Nihil sunt omnes gētes (v.17.) coram eo, hoc est, comparati cum Deo, planè sunt nihil omnes homines. Nulla enim finiti ad infinitum potest esse comparatio. Comprobat id Daniel, 4.v.32. Siue dicas, ante ipsum, hoc est, coram facie Dei omnipotentis, æterni, creatoris, &c. nihil sunt homines, nisi puluis exiguus, vt præclarè hoc Esaias illustrat cap.40.

Ideoque is etiam in nihilum facilè potest redigere. Vide Esa.30.v.28. & Ezech.26. v.vlt. de Tyro.

1. Eadem ratione vita nostra nihil est, Coram te ait Psalm 39.v.7. Quia coram Deo mille anni sunt sicut dies, quæ præteriit, & non est amplius, Psal.90.v.4.

2. Et quia in nihilum redigit vitam, verè nihil est omnis hominum gloria, actio, &c. Esa.41. v.24.

Ideoque vmbra dicitur, quæ nihil est nisi vanitas.

3. Quia quod pretiosum est in tota vita nostra, nihil habet præter laborem & dolorem, Psalm.90. v.10. ideò verè NIHIL est. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, Eccl.1.v.2.

DOCTRINÆ. I. Quia nihil est homo, cur superbit terra & cinis? Syr.10. v.9. Cur tam est superciliosus? Decipit seipsum, Gal.6.v.3. qui putat se aliquid esse, cum nihil sit.

Humilitatem itaque discat ex hoc loco. Paulus de se: Nihil sum, 2. Cor.12.v.11. Abraham Gen.18.vers. 27. de se, Puluis & cinis sum.

II. Insignis Dei bonitas & φιλανθρωπία inde patet, quod propter hominem, qui NIHIL est, ipse solus omnipotens & æternus tàm fuit ab æterno solicitus, vt crearetur, redimeretur, saluaretur, &c. Grata mente id agnoscendum: & magnum inde capiendum solatium, quod curam nostri non sit abiecturus. Gratus agnoscit hoc Dauid, Psal.144. Quid est homo, quod reputas eum?

III. Impium est obloqui velle Deo, cum coram ipso nihil simus. Quis es qui ex aduerso respondes? Roman.9.

Num-

Numquid dicet lutum figulo? Esa.29.v.16. & 45.v.9. & 10. v.15. Hoc faciunt omnes qui murmurant contra ipsum.

IV. Cum verè nihil sit vita nostra, stulti sunt qui eam tam pretiosam æstimant, vt nolint illam relinquere, etiam cum Dominus ipsos ad meliorem vitam cupit perducere. Stultum est, non velle relinquere tugurium pro palatio æterno, in quo non dolor. Vide 2. Cor. 5. v. 1.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VI.

THEM. IV. V. VI. VII. VIII. IX. &X.

Hiob. 8. v. 9.
Hiob. 14. v. 2.
Psal. 102. v. 12.
Psal. 109. v. 23.
Psal. 144. v. 4.
Eccles. 7. v. 1.
1. Paral. 30. v. 15.

His locis omnibus (vt & aliis quibusdam) dicitur vita hominis transire sicut VMBRA.

DISPOSITIO.

Charissimi, ex occasione textus præsentis de vmbra sumus vobis dicturi. At nõ existimabitis, nos de rebus futilibus & inanibus ad vos verba facturos, sicut alioquin in prouerbium abiit, vt de rebus vanis & futilib. verba faciẽtes dicantur disputare de vmbra asini. (huius prouerbij ridiculam originem vide in Chiliadibus Adagiorũ Erasmi.) At nos de vmbra, quam Spiritus in scripturis sępius nobis inculcauit, dicemus, quia certũ est, plurimum doctrinæ, admonitionis & consolationis sub illa vmbra latere.

Etenim vitam hominis, quæ alioquin nobis res maxima & præstantissima, nobilissima & pretiosissima esse

videtur, Spiritus ſanctus plurimis, (vt diximus) & decem ad minimum locis, comparat vmbræ. Quare autem & Quomodo vita hominis vmbræ ſimilis dicatur, & quid hac ſimilitudine nos erudire voluerit, audiemus.

I. Pars.

Primam rationem comparationis oſtendit Hiob cap. 14. Sicut vmbra fugit (ſiue euaneſcit) ſic homo etiam natus de muliere. Idem Pſalm 144. verſ. 4. ſicut vmbra tranſit, ita dies hominis. Idem Eccleſ. 7. verſ. 1. Quid enim fugacius vmbra? Ita homo interdum vix natus obit, ſubitoq; tanquam vmbra diſparet, vt omnis illius memoria pereat. Quid ſunt dies hominis collati cum æternitate? Vbi mille anni ſicut dies quæ præteriit. Pſal. 90. Quæ igitur proportio decem, viginti aut etiam 60. annorum? Et infans recens natus, mox verò extinctus, vix poteſt dici vno momento vixiſſe. Vide Sap. 2. v. 5. & 5. v. 9.

Deinde ſicut vmbra cum iam longiſſima apparet, mox diſparet declinante & occidente ſole. Et ſicut vmbra ſerotina aſſiduè fit maior, & inclinante die tenebris propinquior: ita homo dum creſcit annis, ætate, prudentia, &c. ſemper vergit ad occaſum, & tandem cum videtur perfectiſſimus, ſubitò diſparet & per mortem abripitur. Huc reſpicitur Iob. 8. Pſal. 109.

Tertio. Sicut vmbra non poteſt comprehendi & teneri, vel affigi vt cogatur ſubſiſtere, dum ſole occidente euaneſcit, (hinc Syr. 34. v. 2. pro ſtulto habetur, qui vmbram apprehendere vult) quia eſt imago rei, non res: ita vita hominis nulla hominum arte aut induſtria poteſt præſeruari à morte, vbi hora conſtituta aduenerit, quæ ipſum ad occaſum perducit. Et ſicut vniuerſus orbis coniunctis viribus vmbram euaneſcentem non poteſt detinere, ita nec hominem moriturum. De hoc Pſal. 102. & 1. Par. 30. v. 15. kein auffhalten iſt da.

II. Pars.

I. Docet autem hæc ſimilitudo vmbræ, primum

quàm

quàm misera, caduca, fragilis & euanida sit hæc nostra vita, quam adeò impensè diligimus, ac si illa perpetua esset, nec de morte cogitamus prius, quàm vmbra illa euanescere incipit.

Cum tamen scriptura hac & similibus vtatur comparationibus, de vmbra, somnio, fœno & floribus &c. ne nobis diuturniorem vitam temerè (vt solemus) promittamus. Inde enim securitas illa nascitur. Esa. 28. v. 15. & procrastinatio. Syr. 18. v. 22.

Et cum inopinatò vmbra vitæ humanæ euanescit, multi certè incauti obruuntur.

Quoties igitur cernimus vmbram, quæ corpus comitatur, toties de vitæ instabilitate cogitemus, & optemus potius gratam illam vmbram, quam desiderat & præstolatur mercenarius. Iob. 7. v. 2. Hæc est quies illa, de qua Esa. 56. in fine. & Apoc. 14. v. 13.

II. Admonitionem etiam secum fert hæc vmbræ meditatio, de qua ipse Psalmus 144. v. 3. nos docet, ne ingrati obliuiscamur insignem illam Dei φιλανθρωπίαν, qui tàm paternè solicitus est de vmbra & puluere. De hoc etiam in præcedenti Dispos. dictum. Vide Psal. 103. v. 14.

III. Consolationem hinc petere licet aduersus hostes & inimicos, Tyrannos, & alios quoscunque: ne nimium ab illis metuamus. Quid enim sunt nisi vmbra euanescens, si maximè Reges sint? De Tyranno persequutore Iuliano Athanasius dixit: Nubecula est, citò transibit. Ita tu cogita, vmbra est, citò euanescet.

Quid igitur times, quid trepidas? Vmbra pueros quidem terret, eam verò cordati homines non timent, &c.

APPENDICIS CLASSIS VI.

THEMA XI. & XII.

Hiob. 7. vers. 6.
Psal. 78. v. 39.

His locis vita hominis comparatur VENTO.

DIS-

DISPOSITIO.

Iuxta antiquum prouerbium, Nauita de ventis, de tauris narrat arator: Enumerat miles vulnera, paſtor oues. At licet nos neque maris aut ventorum, neque etiam nauigationis habeamus cognitionem, tamen ex occaſione verborum, quæ vobis prælegimus, de vento ſumus dicturi, neque verò (quod ſperamus) cum amicis Hiobi, Iob. 6. v. 26. in ventum verba proferemus. De eo namque dicemus, quod vita hominis à ſpiritu ſancto vento comparatur. Huius rei audiemus rationes, & doctrinas inde principaliores extruemus.

I. *Pars.*

Si ſecundum varia ſignificata venti, quæ vel habet per ſe, vel ratione adiunctarum vocum, velimus ventum cum vita & actionibus humanis comparare, in procliui iſtud eſſet facere. Paucula tantum & huic loco conuenientia delibabimus.

1. Ventus eſt ſpiritus, atque à Deo eſt, qui producit ipſum ex locis occultis. Ierem. 10. v. 13. & Ier. 51. v. 16. Is vocat ventum quando vult, Amos 4. v. 13. Ion. 1. v. 4. & 4. v. 8. Ita quoque ſpiritus hominis, vel vita hominis, à Deo eſt: qui vocat quæ non ſunt, vt ſint, Roman. 4. v. 17. & format in abſcondito terræ Pſal. 139. verſ. 15. & dicit, Reuertimini filii hominum. Pſalm. 90. v. 3. Eccleſ. 12. Deus dedit ſpiritum. Inſpirat ſpiraculum vitæ. Gen. 2. v. 7. Et per ſpiritum viuificat oſſa arida. Ezech. 37. v. 9.

2. Ventus in ſcripturis etiam pro rebus vaniſſimis accipitur, quæ nihil ſunt.

Eſa. 41. in fine: Idola, ventus & vanitas. Eſa. 57. verſ. 13. Iterum coniunguntur ventus & vanitas. Sic Oſe. 8. v. 7. ſeminant ventum. Et Oſe. 12. v. 1. paſcuntur ex vento. Ier. 22. verſ. 22. Ventus paſcit tuos paſtores.

Ita vita hominis propter perpetuas miſerias nihil eſt niſi vanitas vanitatum. Eccleſ. 1. verſ. 2. Hinc vmbræ & rebus viliſſimis comparatur, putredini, vapori, fumo &c.

Hæc

Hæc omnia habet appendix Claſſis V I. in Manuali. Vide tibi.

3. Hanc autem potiſſimum ob cauſam vitam hominis vento comparat ſcriptura, quam ipſe Pſalmus 78. verſ. 39. addit, ventus tranſiens & non reuertens. Nam ſicut ventus auditur quidem, & ſentitur, & videtur interdum omnia ſuo impetu velle proſternere: tamen mox tranſit, vt nemo ſciat vnde veniat & quo vadat Ioan. 3. v. 8. Ita licet homines interdum in vita ſua cum pompa & quaſi cum impetu quodam res magnas videantur moliri (Iſt ein groß weſen vnd groß geſchart vmb ſie) tamen mox, & vno quaſi momento tranſeunt in locum ſuum, vnde non reuertuntur, (Iob. 10. verſ. 21.) in hoc mundo ſcilicet. Sicut tenuis aura mox euaneſcunt. Ideo Iob. 7. v. 7. Non reuertetur &c. Exigui enim temporis ſpatio ita computreſcunt & in nihilum rediguntur, vt nemo amplius agnoſcere poſſit ipſorum veſtigia.

Fehrt dahin geſchwind wie der Wind.

4. Huc pertinet illud etiam quod ſicut ventus tranſiens detineri aut comprehendi & ſiſti non poteſt [iuxta id Prou. 27. v. 16. Syr. 34. v. 2.] ita vita hominis nulla vi, aut arte humana poteſt prorogari aut detineri, cũ hic ventus tranſit ad ſepulchrum. Idem quoq; ſuprà præc. Diſpoſ. in ſimilitudine de vmbra tractauimus. Eadem hîc eſt ratio.

II. Pars.

LOCVS I. Semper in his ſimilitudinibus omnibus recurrit idem locus, qui iam eſt ſuprà annotatus, quod videlicet nullum nobis ſit firmum contra mortem præſidium: Sed inopinata illa ſæpè abripiat obuium quemque. Nec poſſit homo reſiſtere aut moras nectere.

1. Ideoque ſemper inueniamur parati. 2. nec procraſtinemus pœnitentiam. 3. nec diuturnam nobis ipſis polliceamur vitam. 4. nec vanis cogitationibus & propoſitis noſmetipſos decipiamus, Quia cum exit ſpiritus vanæ ſunt omnes cogitationes hominum. Pſal. 146. verſ. 4.

Nec

Nec existimemus aut nobis persuadeamus nos similes vento cuncta prosternenti, Syr.22. v.21. hoc est, non insolenter, temere aut arroganter & iniustè quicquam agamus: quia tantum sumus spiritus aut leuis aura, transiens & non reuertens.

II. Quia sumus nunquam reuersuri in has terras, iuxta id Iob.7.v.7. & Psal.78. v.39. Primò omnium simus soliciti, vt cuncta exsequamur & perficiamus, quæ ad salutem nostram pertinent, antequam hinc transeamus. Cogita, non reuertemur huc, Iob.16.v.22. Ergo, &c. Sed & domui nostræ in tempore præcipiendum, Esa.38. v.1. antequam ventus transeat.

III. Calamitates non ægrè feramus, quia ventus verit Ier.4.v.11. & siccat, Ose.13.v.16. & dissipat, Sap.5. v.24. & congelat aquas, Syr.43.v.22. & mouentur ligna syluarum à facie venti, Esa.7. semperque inconstans est. Ita omnis vita nostra talis est. Cogita, Wind thut jhm nit anderst/ & in hoc sit tibi solatium, qui cum aduenerit, faciet vt custodiatur vnusquisq; sicut à vento. Esa.32. v.2. & colliget electos à quatuor ventis, Matth. 24.v.31.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VI.
THEMA XIII. & XIV.
Hiob.13. v.vlt.

Quasi cadauer putrefactum consumendus sum.
Quasi vestimentum quod comeditur à tinea.

NOTA.

Quia duæ similitudines vna sententiola comprehenduntur, vna etiam Dispositione, sic tamen absoluemus: vt qui voluerit, in duas conciunculas possit partiri: & singula similia singulariter tractare: quod & in sequentibus quibusdam forsitan fiet, ne libellus iusto maior sit.

DIS-

DISPOSITIO.

Abſurdum forſitan & turpe videbitur nonnullis, coram auditoribus honeſtis in Eccleſia ſermonem inſtituere, de re parum alioquin naribus & oculis grata, cadauere ſcilicet putrefacto, cuius obtutum & fœtorem vix ferre poſſumus. Atqui apud vos auditores chariſſimi, metus eſſe non debet, ne vel aſpectus vel odor huius, de quo dicturi ſumus, cadaueris, nares veſtras aut oculos offendat: quin imò ſi attentis auribus hæc audiueritis, gratum inde odorem Doctrinæ, admonitionis & conſolationis capere poteritis.

Nos primum verba Hiobis examinabimus. Deinde locum vnum & alterum addemus.

I. *Similitudo. Expoſitio Textus.*

De ſe & corpore ſuo dicit Hiobus, quod ſicut cadauer putrefactum conſumatur, & in nihilum redigatur. Notatu digna eſt hæc Hiobis querela, non minus vera quàm miſerabilis.

Etenim qui viuus vel ipſo aſpectu potuit exhilarare faciem noſtram, (vt fit in elegantibus puerulis aut puellis) is vbi animam exhalauit exigui temporis interuallo ita fœtere incipit, vt nares offendat fœtor, vt oculos auertamus, nec vltrà poſſimus aſpicere, &c. In terram defoſſus intra quatriduum ita fœtet, vt chariſſimi fratris Lazari fœtorem nolit ferre ſoror, Ioan. 11.

Nec eſt (Auguſtino teſte) quiſquam hominum, qui vel vna nocte in ſepulchro accubare velit huic, quem oculis chariorem habuit viuum, ſiue coniunx, ſiue filiolus, ſiue frater fuerit olim iucundiſſimus.

Vbi verò à vermibus corroditur, & omnis caro conſumitur, quam triſte exhibet ſpectaculum, vt agnoſci amplius non poſſit forma.

Oſſibus tandem quoque conſumptis, in terram, imò in nihilum ita redigitur, vt ne veſtigium vllum humani corporis appareat.

Quin

Quin ipſe teſtatur Auguſtinus, ſe vidiſſe ſerpentes è corpore humano natos.

Atq; quod eſt omnium maxime miſerabile, ratione corruptionis, inter cadauer hominis & beſtiæ nullum eſt diſcrimen. Vtrumque ſic corrumpitur & in nihilum tandem redigitur.

LOCI.

Non fuerit hæc meditatio apud Chriſtianos vana, & inanis, ſed plurimum afferet vtilitatis, ſi velint attendere.

I. Docet hæc meditatio corruptionis noſtræ, inueſtigare cauſam illius, quare adeò ſimus poſt mortem etiam miſeri, ratione corporis. Cauſa eſt peccatum, quod ſicut mortem, ita etiam corruptionem inuexit. Agnoſcamus itaque & deteſtemur peccatum, cuius cauſá, ſanctus Hiobus capite 17. v. 14. corruptionem vocat patrem, & vermes fratres atque ſorores. Vide etiam Hiob. 4. v. 18. & 19.

II. Iuxtà tamen hanc etiam conſolationem addamus, quod hæc corruptio non poſſit nocere piis, qui ſic in puluere terræ conſumpti dormiunt Dan. 12. v. 2. ſed quod ſequutura ſit innouatio per eum, qui non vidit corruptionem Pſalm. 16. v. 10. Act. 2. v. 27. ſed ſepulchra ſanctificauit, & corpora putrefacta renouabit, glorioſo corpori ſuo conformia reddet. Phil. 3. v. 21. itaque propter illam corruptionem, mortem & ſepulchrum non exhorreſcamus. Semen non viuificatur niſi prius moriatur. Et quod ſeminatur in φθορᾷ, reſurget in ἀφθαρσίᾳ. Vide 1. Corrinth. 15. v. 36. & 43.

III. Quid ſuperbit cadauer putreſcens? Quid ſerico & holoſerico contegis cadauer fœtidum? Cogita quis ſis futurus? Et depone ſupercilium. Syr. 10. Quid ſuperbis terra & cinis, imo cadauer putridum?

Et hæc communis eſt ſors Regum & pauperum mendicorum. Hiob. 21. v. 26. Simul dormient. &c.

IV. Non tam delicatè tractanda caro, quę futura eſt eſca vermiū. Quorſum enim opus tantis delitiis paſcere ver-

vermes? Carnis curam agere licet Rom. 13. v. 14. Sed non ad concupiſcentiam. Deus non ſit venter. Phil. 3. verſ. 19. Natura paucis contenta eſt.

II. Similitudo. Expoſitio textus.

Veſtis à tineis conſumpta alioquin abiicitur & extra ciuitatis mœnia in locum fœdum deportatur. At Iobus in conſpectum noſtrum producit veſtem illam laceram & à tineis conſumendam, ſuum videlicet corpus mortale. Illud enim comparat veſti conſumptæ. Nec incommodè, ex his rationibus.

1. Sicut veſtis noua, belle confecta, ſuam habet non tantùm elegantiam ſed & vtilitatem, vt tegat nuditatem noſtram, & corpus contra frigus & æſtum defendat. &c. at progreſſu temporis fit lacera & à tineis ita conſumitur, vt nec tegere amplius, nec ornare poſſit corpus: Ita homo aliquantiſper videtur & vtilis & iucundus aliis: at cum creſcentibus annis marceſcit atque tandem moritur, planè inutilis fit & à vermibus corrumpitur.

2. Sicut veſtis dum recens eſt confecta, geſtatur in corpore (Man prangt mit) vbi verò à tineis conſumpta eſt, abiicitur: Ita hominem dum vitam habet magnificimus: at vbi anima hominis à corpore ſeparata eſt vermes illum arrodunt, & propterea mox ille in terram defoſſus abſconditur & è conſpectu hominum ſubducitur.

3. Sicut autem alia veſtis citius à tineis arroditur, àlia tardius: ita hominum alii citius, alii tardius per mortem abripiuntur.

4. Tandem verò veſtis quæcunque conſumitur: nec tineæ parcunt magis veſti principis quàm ruſtici, (Imò contrarium ſæpius euenit.) Ita mors nemini parcit. Via omnis carnis. 1. Reg. 2. Ioſ. 23.

LOCI.

1. Fragilitatis noſtræ nos admonet hic locus, dum homo non comparatur ferreo thoraci, quem ſclopeto frangere & perfodere neceſſe ſit: ſed veſti facilimè con-

ſumendæ, vel à tinea. Hoc ideò fit, ne promittamus nobis multos annos, nec ſecuri ſimus & procraſtinatores. Wir ſind nicht ſtahl vnd eiſen. Quoties veſtem induis, cogita te ſic eſſe aliquando conſumendum. Memento mori: & caue à peccatis, Syr.7. v.40.

II. In veſtitu non ſuperbiendum. Quia quod tegit & ornat atq; quod tegitur & ornatur, conſumitur, Syr.10. Ne extollaris in veſtibus. Vide etiam Eſa.3. v. 16. & ſeqq. veſtes ſunt ſigna peccati, & inopiæ, Gen.3.v.7.& 21.

III. De tinea, quæ nos & omnia noſtra aliquando corroſura eſt, ſæpè cogitandum, ſc. de morte & vermibus, Iob.4.v.19.& 17.v.14. Eſa.14.v.11. & 50.v.9. & 51.v.8. Itaque non ſuperbiamus, ſed quæramus quod tinea non corrumpit, Luc.12.v.33.

F I N I S.

Appendicis Classis VI.

Thema XV.

Hiob.7.v.7.

Dies mei velocius tranſierunt, quam nauicula textoris, (vel, radius textorius) & conſumpti ſunt ſine mora.

DISPOSITIO.

Hiobus noſter, cum à Satana, permittente Deo, vlcere maligno, à planta pedis vſque ad verticem capitis, percuſſus, & ſua quidem opinione morti vicinus eſſet, ſæpè multumq; in omnibus ferè capitibus, quibus ipſe loquitur, querelas grauiſſimas effundit, quibus breuitatem & fugacitatem vitę tranſactæ deplorat. Et ſolet plerumque variis ſimilitudinibus vti, quibus rem iſtam quaſi depingit. Qualis eſt illa de vmbra euaneſcente, cap.8. de cadauere putreſcente, cap. 13. de veſtimentis à tinea conſumptis, Ibid. De curſoribus, nauibus, aquila volante, cap.9. &c. Talis eſt etiam præſens illa de nauicula textoris.

Quia autem tales ſimilitudines plerumque ſingularem

rem aliquam habent Emphasin, nos hæc verba Hiobis excutiemus, & quid nos moneant paucis ostendemus.

Paraphrasis Textus.

Velociter, inquit Hiobus, transierunt dies mei, scilicet annis præteritis, quibus sensit diuinam benedictionem, & circumuallata fuit domus ipsius, vt Satan refert, & ægre fert. Iob.1.v.10.

Fuit enim felicissimus, diues, & in authoritate constitutus, quod patet ex cap. 29. &, vt plerique sentiunt, Rex aut persona illustris.

Repetit idem: Comsumpti vel absumpti sunt dies vitæ anteactæ sine mora. Ach wie geschwind ist die zeit herumb gelauffen. Ehe ich mich vmb gesehen / ist die zeit hin gewesen.

Idem simili illustrat. Quemadmodum qui textoriam exercent, radium quo subtegmen stamini immittunt, velocissimè ab vna extremitate ad alteram agitare solent, idque sine mora, vt volare quasi videatur iste radius textorius, de manu dextra ad sinistram, & vicissim: ita dies mei transierunt, vt auolasse videantur: sicut Psalm. 90. vers. 10. legitur. Hiskias etiam delectatur similitudine è textrina mutuata: Sicut filum à texente, sic abrumpo vitam meam. Esa. 38.v.12.

Sed & aliam huius comparationis rationem habet Lyra, sic super hunc locum scribens: Comparatur vita humana telæ.

1. Quia sicut texitur addendo fila filis, sic humana vita deducitur addendo dies diebus.

2. Et sicut perfecta tela succiditur à texente, sic humana vita à Deo, de vita præsenti: Hactenus ille. Qui delectatur hisce similitudinibus, potest pluribus hanc telam pertexere, & plures rationes comparationis inuenire. Hæc iam sufficiant.

LOCI.

I. Videmus quàm verum sit illud, Dulcia præcipiti

buntur tempora cursu. Volare (Psalm. 90.) videntur anni quibus datur suauiter viuere.

Contra verò vbi variis premimur aduersitatibus, ibi vnus mensis videtur æquare aut superare spacium integri anni. Vide Iob. 7. habui menses vacuos & multas noctes laboriosas. Hie ist die zeit zu lang: Dort zu kurtz.

Iacobus Patriarcha septem annos pro septem diebus habet, quia iucundam transigit vitam, dum impensè amat Rachelem. Gen. 29. v. 20.

At vbi socerum inimicum habet, & affines ipsum oderunt, tum vnus annus septem annorum priorum spatium superare videtur.

Et sic semper habet homo de quo conqueri possit. Vel nimis citò abeunt anni felices: vel nimis diu durant anni afflictionis.

Quid faciendum igitur? Hiobis consilium cap. 2. vers. 10. erit optimum, cui si obtemperauerimus, dicemus, Si bona suscepimus, mala cur nō sustineamus? Mann muß sein mit einander vmbwechßlen. Nostrates dicunt: Es seyn nicht lauter Ostertag: Man muß den Charfreytag auch fur gut annemen.

Et ne quid nobis præter exspectationem eueniret, de hoc dudum monuit Salomon Ecclesiast. 7. v. 11.

Ne dicas, Quare priora tempora fuerunt meliora præsentibus? Insipienter hoc quæris. Et cap. eod. v. 15. eleganter admodum ait: In die bona fruere bonis, & malā quoq; diem sustine, sicut enim hanc, sic & illam fecit Dominus.

Item Syr. 18. v. 25. Memento paupertatis in tempore abundantiæ. &c. Et vicissim cogita: Nube solet pulsa candidus ire dies.

Sic fiet vt rebus secundis non simus insolentes: In aduersis non abiiciamus animum. Et vno verbo: Timor Domini in prosperis, spes in aduersis, nos nunquam à pietatis tramite patietur aberrare.

II. Locus de fugacitate & breuitate vitæ humanæ iam sæpius est annotatus, qui hîc recurrit.

III. Si

III. Si quis fortè hanc Iobis sententiolam in funere alicuius Textoris velit explicare, posset non incommodè tractare hunc locum, Quod Deo etiam placeant istæ operæ manuariæ. Probatur ex Exod. 35. v. 35. &c.

Appendicis Classis VI.

Thema XVI. XVII. & XVIII.

Hiob. 9. vers. 25. & 26.

1. Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt & non viderunt bonum.

2. Pertransierunt quasi naues desiderabiles, vel celoces.

3. Sicut aquila volans ad escam.

DISPOSITIO.

Sicut Hiobus noster supra cap. 7. conquestus est, quod multas numerauerit noctes laboriosas, & menses habuerit molestos plurimos, eo scilicet tempore, quo à Satana fuit flagellatus & repletus doloribus, vt habet textus: ita vicissim dum recordatur dierum præteritorum, quibus in magna felicitate vixit, rursus conqueritur de breuitate istius temporis. Die guten Tag sind jhm zu kurtz / vnd die bösen zu lang worden. Et sicut in descriptione temporis calamitosissimi vsus est variis similitudinibus, de militia, mercenariis, &c. ita in descriptione velocissimi decursus prosperitatis suæ, similitudinibus variis vtitur passim.

Et hoc quidem loco tribus similitudinibus hanc rem proponit. Nos singulas ordinè tractabimus.

I. De cursore.

Dies mei velociores fuerunt cursore. Loquitur de vita anteacta, quam in magna felicitate transegit, cumulatus à Deo variis bonis.

At quid dulcedinis (inquis) fuit in diebus illis, cum

tàm citò præterierint, vt vix vno momento durasse videantur? Simili hoc illustrat.

Sicut cursor, hemerodromus, &c. citò festinat ad ciuitatem, ad quam missus est, ita cito pede labitur tempus prosperum, & festinamus ad mortem, ad quam contendimus sine subsistentia, vt etiãsi aliquid boni occurreret, non vacaret id rectè intueri vel salutare: sed mox transeundum est sine mora.

Addit, Fugerunt à me. Sie liessen sich nicht auffhalten. Et tàm velociter abierunt, vt non videar quicquam vidisse boni: properarunt dies mei, ad hoc malum, quod iam sentio.

Loci. Varia docere potest hæc de cursore similitudo.

I. Quia hæc vita nihil est aliud, nisi ad metam mortis properantissima festinatio, ideò nec rebus secundis efferamur animo, nec aduersis desperemus. Quia qualescunque sint dies nostri, citò transibunt. De his vide supra Dispos. præced. Locum Salomonis Eccles. 7. & Syr. 18.

II. Sicut cursor non patitur se detineri dum est in itinere, nec implicat se quorumcunque aliorum negotiis, sed strenuè pergit ad locum præfinitum: ita non nimium simus de his soliciti, quæ sunt huius mundi, sed pergamus ad patriam.

De his Phil. 3. v. 13. & 14. Hebr. 11. & 13. v. 14.

III. Cursor varias cogitur experiri tempestates, sed tamen pergit vt exsequatur quod in mandatis habet, &c. Ita & nos nihil moueamur his calamitatibus terrenis, sed strenuè pergamus, & patienter exspectemus illam liberationem, de qua Rom. 8. v. 21. De hoc cursu Paulus 2. Tim. 4. Cursum consummaui, fidem seruaui, &c.

Reposita est mihi corona. Ein gut Bottenlohn soll vns werden.

II. *De nauibus transeuntibus.*

Pertransierunt dies mei sicut naues celoces. Jagschiff. Vel sicut naues apportantes res pretiosas.

Alia

Alia ſimilitudo eſt, qua Hiobus oſtendit, quàm præcipiti curſu tempora olim dulcia fuerint elapſa.

Sicut enim tàm citò tranſeunt naues in vaſto mari vẽtis impulſæ, vt in momento non amplius vllum prioris loci extet veſtigium, Prou.30.v.19. ſic velociter tranſeunt tempora ſecunda, vt nubila cum venerint, priorum non recordemur amplius.

Poterit hæc etiam ſimilitudo varia monere.

I. Tanta eſt carnis humanæ infirmitas, & corruptio, vt, licet multo tempore fruamur diuinis beneficiis, tamẽ tempore afflictionis ſic aduerſus Deum murmuremus, ac ſi is vix vno momento benignè feciſſet. Wir werffen jme gleich den ſack für die Thür. Agnoſcenda hæc peruerſitas, & compeſcenda dictis illis, Hiob.1.v.10. Si bona ſuſcepimus, &c. Et Eccleſiaſt.7.v.15. Etiam malum diem ſuſtine. Et ſimilibus aliis.

II. Alia etiam docebit ſimilitudo de nauibus tranſeuntibus. Qui in mari nauigant, illi deſiderant portum: & qui domi ſunt, nauigantium reditum cum deſiderio exſpectant. Ita qui nauigamus in mari huius mundi, deſiderio teneamur vitæ æternæ, quæ vera eſt patria, vbi noſtrum πολίτευμα. Phil.3. De hoc 2.Cor.5.v.2.

Sed & angeli in cœlis cum deſiderio exſpectãt, vt compleatur numerus electorum. Gaudent enim de his Luc.15.

III. Sicut qui in mari nauigant variis ſunt obnoxij periculis & tempeſtatibus: De his vide Pſal.107.v.26. Exemplum vide Actor.26.v.20. Ibi orare diſcunt etiam mali iuxta Prouerbium. Sic nobis euenit in hoc mundo, qui eſt mare malorum.

Orandum itaq; pro liberatione, ſicut illi Pſal.107.v.28. Sic iubet Chriſtus. Libera nos à malo. Stulti ergo qui non cupiunt liberari & mori, vbi Deo ita viſum eſt. Contra quam Phil.1.v.23. & Luc.2.v.29. Hi non agnoſcunt periculum, & tantò facilius pereunt.

III. De aquila volante.

Sicut aquila præpeti ad eſcam volatu contendit, ita

dies mei felices transierunt, & ad mortem properarunt velocissimè. Est enim volatus aquilæ velocissimus. Hinc illæ similitudines crebræ in scriptura de aquilis. Deut. 28. v.49. 2.Sam.1.v.23. Ier.4.v.13. Habac.1.v.8. Videntur etiam dies nostri auolare, Psal.90.v.10.

Docet I. hæc similitudo, vt nihil procrastinemus, quia tàm citò finis viuendi adest. Non enim possumus quicquam differre in annos, quos speramus residuos, de quibus Iehiskia, Esa.38.v.10. In tempore itaq; prouideamus animæ nostrę, & quæramus iusticiam regni Dei, Matth.6. v. 33. Sed & circa familiam nostram omnia ritè disponamus, Esa.38. v.1. ne morte præuenti, relinquamus materiam litis posteris.

II. Sicut aquila sursum tendit (hinc via illius in cœlo esse dicitur, Prou.30. v.19.) & oculos contra solis radios dirigit: Ita Christiani superna quærant, Coloss.3. v. 2. & cœlestia. Solem iusticiæ, Mal.4. aspiciant. In sublime nidum collocat aquila, Obad. v.4. ita & nos quæramus in cœlo patriam & πολίτευμα, Phil.3.v.14. & 20.

III. Vbi cadauer ibi aquilę, Christo teste, Matth.24. Ita nos ad Christum, qui pro nobis factus est execratio, Galat.3. magno studio feramur, &c.

Appendicis Classis VI.

Thema XIX. XX. & XXI.

Psal. 90. vers. 5. & 6.

1. *Sinis illos decurrere instar torrentis.*
2. *Sunt quasi somnium manè.*
3. *Et sunt instar graminis quod mutatur: quòd manè efflorescit & mutatur, vesperi succiditur & arescit.*

DISPOSITIO.

Psalmus nonagesimus, qui Mosi viro Dei inscribitur, continet magnam & deuotam querelam de miseria, breuitate

uitate & fugacitate vitæ humanæ, eamque Propheta septem similitudinibus illustrat, desumptis à rebus prorsus caducis, euanidis, instabilibus & vanissimis: comparat enim vitæ decursum, 1. diei elapsæ, 2. vigiliæ nocturnæ v. 4. 3. fabulæ. v.9. 4. volatui. v.10. Tres præterea similitudines prælecto versu quinto continentur, 1. de torrente, 2. de somnio. 3. De gramine.

[Singulas sigillatim tractabimus, vt qui voluerit ex singulis singulas possit extruere conciunculas, sicut & in præcedentibus id obseruauimus]

I. *De torrente decurrente.*

1. Sicut torrens tumidus ex nimbo & aquis pluuialibus, magno cum strepitu decurrit & celeriter abripitur: Ita homines qui iam viuere & strepere (hoc est, in hoc mundo sese oblectare & aliis negotium facessere) cœperunt, mox abripiuntur per mortem. Et ipsa mors vicissim illis est instar torrentis. Sicut enim torrens rapax obuia quæque secum fert atque abripit, ita mors abripit omnes sine discrimine.

2. Quanto autem maiori cum impetu decurrit torrens, tanto citius aqua delabitur. Je grösser der Strudel/ je ehe er verlaufft. Ita quanto maior est hominum potentia, conatus, tanto finitur citius. Exemplum. Iulius Cæsar fahet ein groß Gereusch an. At spatio biennij abripitur 23. vulneribus in senatu confossus. Alexander Magnus. Et cæteri. Nebucadnezar. Pharao, &c.

L. I. Docet hic locus inter cætera, Non tinendos homines impios, quantumuis magnam præ se ferant potentiam, &c. Citò enim transibunt & decurrent instar torrentis. Quid faciat mihi homo? Psal. 56. v. 12. Exibit Spiritus. Psal. 146. v. 4. Athanasius pulsus in exilium à Tyranno Iuliano dicebat: Nubecula est, citò transibit. Nostrates dicunt, Es ist nur ein Vbergänglein. Et sanè possent illi torrentes nos abripere nisi Deus in nobis. Sic dicat Israel. Ps. 124. v. 2. & 4. At si Deus pro nobis. Rom. 8. v. 31.

L. II. Nemo moliatur grandia, nec promittat sibi successum si audeat maiora viribus. Cogitet de torrente qui strepitum quidem excitat, sed mox siccatur. Sic Dominus solet talibus dissipare consilia. Psal. 2. v. 5. Esa. 8. v. 9. & 10. Non enim est consilium contra Dominum. Prou. 21. v. 30. Nec inuito illo quicquam proficies.

II. *Somnium.*

Vita nostra comparatur etiam somnio. Somnio autem quid potest esse vanius? Talis tota vita nostra.

1. Sicut enim per somnium homo sibi interdum videtur assidere mensæ & splendidè viuere, aut possidere vel inuenire aurum & argentum, &c. At vbi euigilauerit esurit atque eget. Esa. 29. v. 8.

Sic qui videtur in his terris splendidè viuere, mox nudus egredi cogitur. Nihil enim in his terris Beatum. Exemplum diuitum in promptu est, de quibus Luc. 12. & 16. Item Nabalis 1. Sam. 25. v. 36. & 38.

2. Et sicut qui somniauit somnium vbi euigilauerit sæpè planè istius est nescius, sicut Nebucadnezar. Dan. 2. Ita vbi mortuus fuerit homo, sublata est illius memoria. Ist eben als wann vns von jhme getraumet hätte/ vnd er were nie da gewesen. Præsertim vero impiis hoc accidit. Hiob. 20. v. 8. Psal. 73. v. 20.

Loci. I. Recurrit hic idem locus, qui primus est in priori similitudine de torrente. Sic enim Dominus docet per Esaiam cap. 29. v. 7. Idem vult Psal. 37. v. 36.

II. Quia tota vita nostra est instar continui somnij, non timeamus mala, neque efferamur lætis: quia tantum somnia sunt. Stulti obseruant somnia. Syr. 34. v. 1. Ita stulti pollicentur sibi felicitatem multam & diuturnam: & falluntur tanquam per somnia. Syr. 34. vers. 7. Contrà somnia mala terrent quidem Iob. 7. & Syr. 34. v. 5. Sed tamen nihil sunt, nisi imago sine re. Sic omnes calamitates licet videantur graues, tamen piis non nocent, nec perdere possunt, quia momentaneæ 2. Cor. 4. v. 17. & quasi somnium transibunt.

III. Gra-

III Gramen arescens.

Gramen dum in campo nascitur non elegantiam tantum habet, sed dum efflorescit viuere putatur. At quamprimum succiditur, arescit æstu solis. Et spacio trium horarum planè mutatur, vt habet Textus, & in fœnum conuertitur. Ita homo viuens vno quasi momento marcescit, vel lethali morbo correptus, vel per mortem abreptus. Exempla. Alexander Magnus. Belsazer Monarcha Persicus. Mors enim est instar falcis fœnariæ, quæ demetere solet flores iuuentutis, fortitudinem virilem & prudentiam senilem, &c.

Locvs. Nemo quærat præsidium contra mortem, nec confidat vel in viribus corporis, ætate, diuitiis, pulchritudine, robore, &c. Gramen est, non ferrum, non chalybs, non saxum, non æs, &c. Flos agri, vel herba, vt sæpius hoc inculcatur. Psal. 37. Esa. 40. 1. Pet. 1. Iacob. 1. v. 11. Exempla. Asahel velocissimus. Samson fortissimus. Absalon pulcherrimus. Salomon sapientissimus, ditissimus, felicissimus. Methusalah vetustissimus, Moses ratione virium corporis integerrimus. Ist alles vmbgehauwen/ verdorret.

Loci Generales, Qvi Tribvs Hisce similitudinibus accommodari possunt.

I. Docemur, Stultè agere eos, qui sibi in his terris vitam vel diuturnam vel perpetuam pollicentur: cum tanta sit fragilitas & instabilitas huius vitæ.

Semper itaque dum funus comitamur, id cogitemus, Syr. 38. Heri mihi, hodie tibi. Et inquiramus vitam meliorem. 2. Cor. 5. Heb. 11. 13.

II. Frustrà multis curis nobismetipsis sumus molesti, dum studemus multas opes corradere, cum illas mox relicturi & nudi egressuri simus. Ecc. 4. 5. 1. Tim. 6. Psal. 39.

III. Malè rebus suis consulunt procrastinatores, qui non cogitant citò exeundum. Ideo non inueniuntur parati. Excludentur iuxta Parabolas. Matth. 24. & 25.

AP-

Appendicis Classis VI.

Thema XXII.

Psalm. 90. vers. 9.

Consumimus annos nostros vt confabulationem.

DISPOSITIO.

Inter cæteras similitudines, quibus breuitatem vitæ humanæ Moses vir Dei hoc Psalmo depingit, etiam hanc habet, quod decursum annorum nostrorum comparat fabulationi.

Quamuis autem videri possit, ex illius fabulationis meditatione non plus ad nos vtilitatis rediturum, quam ex vaniloqua aut inani fabula: Attamen quia non est dubium, quin varia nos docere voluerit Spiritus sanctus hoc ipso vocabulo, ideoque iam primùm rationem comparationis inuestigabimus: Deinde etiam subiiciemus vsum huius loci.

I. Pars.

Primum notandum non comparari decursum vitę nostræ sermoni puro, concinno, graui, prolixo, vel orationi suaui, conditæ, liberali, admirabili, politæ, quæ conspersa sit verborum sententiarumque floribus, iuxta Ciceronem. Sed comparatur vita nostra fabulationi, aut colloquio breuissimo. Einem Geschwätz. Nec dicitur pars aliqua vitæ similis confabulationi, sed annos nostros, inquit, consumimus vt confabulationem. Tota vita perpetua est quasi fabula.

1. Etenim sicut cessante colloquio verba euanescunt, ita & nos vbi aliquantulum viximus, tandem plane euanescimus. Man weiß bald nit mehr wovon man erst geredt hat. Et sicut alias volat irreuocabile verbũ: ita hic volat irreuocabilis annus. Sic Magnus ille Alexander hodiè cum omnibus suis rebus gestis inter homines nihil aliud, nisi fabula quædam inanis est. Es ist dahin.

2. Sicut sæpè instituuntur confabulationes illæ, non

ob res

ob res magnas, ſed fallendi temporis cauſa: (hinc comes facundus in itinere pro vehiculo eſſe dicitur) ita dum viuimus anni noſtri ſic prætereunt, inter varia negotia, vt perueniamus ad metam mortis, antequam id ſentiamus. Sicut enim in via duo amici inter ſe mutuò colloquentes multarum horarum iter emenſi, vix videntur vnum milliare confeciſſe, & ita inter confabulandum (neſcij quaſi itineris) deueniunt ad locum præfinitum: ſic tempora labuntur, tacitiſque ſeneſcimus annis, & fugiunt fræno non remorante dies.

3. Sicut colloquium aut confabulatio interdum interuenientibus aliis ſubitò abrumpitur; ita morborum & mortis interuentu ſæpè vno momento abrumpitur vita, ſicut filum à texente. Eſa. 38. Et præſens certam vix habet hora fidem.

4. Et ſicut plerumque in talibus confabulationibus triſtia miſcentur lætis: ita fit in omni vita noſtra. Semper extrema gaudij luctus occupat. Prou. 14. v. 13.

5. Tandem ſicut in talibus confabulationibus plerumque plura audiuntur & proferuntur futilia, vana, obſcœna, iocoſa, aut tamen inutilia, quàm (vt Paulus requirit Epheſ. 4. & 5.) quæ ad ædificationem bona & gratioſa atq; vtilia ſunt: ita in omni vita noſtra plura reperiuntur mala quàm bona opera. Et ſic ſæpè inutiliter conſumimus annos noſtros. Plura addi poſſũt. Hæc iam ſufficiant.

II. Pars.

Audiuimus rationem comparationis, quare vita noſtra ſimilis eſſe dicatur confabulationi.

Hæc iam ad vſum accommodanda erunt.

I. Docet hic locus de breuitate vitæ humanæ, quæ finitur citò, & ſæpius ex improuiſo ſicut confabulatio aliqua.

De hoc ſatis ſuprà: quia ſubindè recurrit hic locus in omnibus eiuſmodi ſimilitudinibus.

II. Tolerabilior eſſet vitæ breuitas, ſi non huic adeſſet

esset tanta infelicitas, vanitas & afflictio spiritus, vt non possis in illa confabulatione quicquam proferre, quod non pariat tristitiam. Quod pretiosum labor est & dolor, Psal.90.v.10. Vtque perpetua narratur in vita fabula, ita cōtinua etiam institui querela potest, in omni vita hominis, de nostra miseria, in omnibus ętatibus. Infantilis ętas planè est vagitu, eiulatu, & infirmitatibus repleta. Puerilis & iuuenilis ætas mille mortibus & periculis obnoxia. Virilis ætas præter laborem & dolorem nihil habet. Senilis redit ad principium, & infirmitatibus atq; morte tandem finitur tota vita. Mirum itaq; multos nondum pertæsos huius vitæ aliam appetere, & meliorem: cum alioquin ingrata confabulatio de casibus tristioribus mox afferat tædium, vt audire amplius nolimus. Imò odio habemus congerronem tantum mala & tristia referentem, sicut Ahab suum Prophetam, qui nunquam illi bonum nuntiare poterat, 1.Reg.22.v.8. At hanc vitam, miseram confabulationem homines stulti sic amant, vt plerumq; videatur surdis planè narrari hæc (de vitæ miseria) fabula, quia mundum hunc inuiti relinquunt.

III. L. Non tanti facienda vita & omnes conatus aut actiones hominis, quia tantum sunt fabula quædam inanis coram Deo. Et sicut loquutio licet multum habeat flatus & ampullarum, tamen in tenues abit auras, vt nihil supersit, sic omnes nostræ actiones inaniter consumuntur, & tandem euanescunt. Itaque tractandum verbum Dei, quod manet in æternum, Psal.119. Luc.21.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VI. THEMA XXIII.

Psal. 102. v. 4.

Consumpti sunt, vt fumus, dies mei.

DISPOSITIO.

Occasionem nobis prębent verba Psalmi prælecta, (ad de-

deductionem funeris præsentis) aliquid dicendi de fumo. Neq; verò est quod metuatis, ne hic fumus oculos vestros offendat, quib. alioquin (teste Salomone Prou.10. & communi experientia) ingratus est. Quin imò si aures pateant & fumus hic ad cor penetret, certum est, gratum vos inde percepturos odorem. Etenim inscriptio Psalmi docet, contineri in illo precationem afflicti, qui suas preces & querelas effundit coram Domino. Is inter cætera de miseria & fugacitate huius vitæ conqueritur, sumpta similitudine illa de fumo. Nos itaq; primum rationem comparationis inuestigabimus. Deinde subiiciemus doctrinas.

I. Pars.

Transierunt dies mei sicut fumus.

Fumus aptissimam præbet similitudinem, qua decursus annorum nostrorum depingi potest.

1. Sicut enim in fumo nihil est solidi, sed mera aëris inanitas: ita in omni vita nostra nihil est perfecti, firmi ac solidi. Est enim à prima origine & natiuitate vanitas vanitatum. Eccl.1. Infirmitas & imbecillitas.

2. Iuxta verò sicut fumus licet planè nihil sit solidi, grauissimè tamen offendit oculos, fuliginem parit, parietes denigrat, multamq; in domo molestiam exhibet: ita hæc vita misera homini viuenti, quamdiu hanc domum ruinosam inhabitat, (de qua Iob.4.vers.19. 2. Corinth. 5. vers.1.) mare molestiarum & dolorum est. Etenim quod pretiosum labor & dolor, Psalm.90. Et Syrach.40. Elend jämmerlich Ding.

3. Sicut autem fumus ascendit in altum, & quando in sublime venit, vno momento dissipatur à vento, vt non remaneat vllum de ipso vestigium, sed penitus euanescat: ita homo natus cum peruenit ad aliquot annos, & cum iam videtur esse in hoc mundo conspicuus, subito per mortem abripitur, disparet, & planè euanescit, & ipso post exiguam moram in puluerem redacto, nullum apparet humani corporis vestigium.

Et

Et hinc Sap. 2. v. 2. Spiritus noster fumo comparatur, quia vbi defecerit, actum est de vita hominis.

II. Pars.

I. Hæc quæ diximus de fumo, varia nos debent monere. Et primum quidem de breuitate & fugacitate vitæ humanæ erudimur, vt intelligamus quam facilè euerti possit hominis vita: sicut fumus transit dissipatus à vento, Iob. 34. v. 20. De his sæpius suprà.

II. Docentur tamen pij hac etiam similitudine, quia dies huius vitæ transeunt, sicut fumus, vt appetant & inquirant vitam meliorem. Et sicut fumus alta petit, ita illi non adhæreant his terrenis, sed superna quęrant & cœlestia, Coloss. 3. v. 2. Et contendant ad eum qui præsentiam suam patefecit haud semel per fumum: quod de Deo habetur Gen. 15. v. 17. Exod. 19. v. 18. Esa. 6. v. 4. Apoc. 15. v. 8.

III. Non graue sit nobis si dies vt fumus transeant, quia etiam cœli, opificium illud Dei excellentissimum, vt fumus liquescent, secundum id Esaiæ 51. v. 6. At nouos cœlos & nouam terram exspectamus, Esa. 65. 2. Pet. 4.

Consolatio hæc est. Sed pro piis tantum. De impiis enim alia est ratio, vt iam sequitur.

IV. Licet hoc cõmune sit piis & impiis, quod dies illorum transeunt sicut fumus, singulariter tamẽ minatur scriptura impiis, quod illi tristi fumo iræ Dei sint consumendi, cũ piis hic fumus quasi suffitus bonus sit, qui ipsos deducit in conspectum Dei, sicut olim incensum adolebatur Domino, & gratũ illi præbebat suffitum. Illis enim mors est transitus ad vitam, teste Christo, Ioan. 5. v. 24. Et Dominus super illos excitabit fumũ & splendorem ignis gratiosum, Es. 4. v. 5. hoc est, proteget ipsos ab omni malò.

De impiis verò Psal. 37. Quemadmodum fumus deficient. Psal. 68. v. 3. Dispelles eos sicut fumum. Spes impij vt fumus transit. Sap. 5. v. 15. Quia impietas illorum coram Dèo ascendit vt fumus. Esa. 9. v. 18. Ideoque minatur Esa. 65. v. 5. Fumus erunt in furore meo.

Ose.

Ose.13.v.3. sicut fumus dissipabuntur. Nahum. 2. v. 13. Succendam vsque ad fumum. Internecionem & exitium significat. At, quod horribilissimum est, tandem proiicientur in eum locum, vbi fumus tormenti eorum ascendit in secula seculorum, Apoc.9.14.& 19.

Appendicis Classis VI. Thema XXIV.

Iac. 4. vers. 14.

Quæ est vita vestra? Vapor est, qui ad exiguum tempus apparet, & deinde euanescit.

DISPOSITIO.

Vix quicquam est, quod scriptura frequentius inculcat, quàm breuitatem vitæ humanæ: idq; non verbis tantùm vulgaribus, sed plurimis etiam appositissimis similitudinibus facit. Quia scit Spiritus sanctus, tantam esse corruptionem ingenij humani, vt ad ea etiam quæ lucem nō fugere possunt, claudat oculos. Iuxta quoq; intelligit quàm pernitiosa sit illa hominum securitas, ideoq; nihil intentatum reliquit, vt quibuscunque possit rationibus miseriam & instabilitatem huius vitæ ob oculos statuat.

Idq; etiam præsens locus docet, vbi vita nostra comparatur vapori. Ratio etiam cōparationis ab ipso Apostolo annectitur, vt facilior sit explicatio. Verba itaq; Apostoli primum excutiemus. Deinde quid isthæc nos moneant, audiemus.

Textus explicatio.

Quid est vita vestra? Singularem vim habet interrogatio, vbi Apostolus prouocat ad conscientiam & iudicium auditorum: & sermonem dirigit ad homines superbos & præsumptuosos, qui sibi mirè placent, & varia consilia agitant de rebus futuris. Respondet autem Apostolus ad interrogationem: Vapor est, & nihil præterea.

Est autem vapor, qui vel ex aquis & materia humenti,

vel ex caliditate & humiditate in terra, vel ex leui flamma oritur, & extollitur. Licet autem videatur aliquid esse, reuera tamen nihil est, nihilq; habet soliditatis, sed inanis aër est, vel calidus, vel humidus.

Quare autem vapori comparet vitam nostram, ipse ostendit: Quia sicut vapor ad exiguum tempus apparet, & deinde prorsus euanescit, ita etiam vita nostra post exiguum tempus euanescit. Et sicut nemo tenere aut affigere vaporem potest, ne euanescat: ita vitam hominis nemo potest sustentare, vbi Spiritus Domini illum vaporem dispulerit.

LOCI.

I. Docet Iacobus, insolentis & superbi animi indicium esse, si homines mortales & euanidi sibiipsis vitam longiorem & diuturnam polliceantur, & multa post aliquot annos conficienda proponant: cum nesciant, quid illâ futurum sit de ipsis vesperâ. Itaque operæ pretium est, sæpè multumq; cogitare, quod vita nostra nihil sit nisi vapor inanis & euanescens. Nemo sibi crastinum potest promittere. Et præsens certam vix habet hora fidem. Hoc negligunt securi, & propterea deprehenduntur minus parati, magno cum suo malo. Quia sic iudicabuntur, vt fuerint inuenti, iuxta id Eccles. 11. vers. 3.

Ideoq; precatur Psaltes, Domine doce nos, Psal. 39. v. 6. & 90. v. 12. vt ambulemus corde sapienti, Ibid. Qua quidem in parte Dominus officium facit sedulò, admonens in scripturis per varias similitudines, fumi, Psalm. 102. somnij, Psal. 90. v. 5. herbarum, Psal. 37. v. 2. & 90. v. 5. & 103. v. 15. & Esa. 40. 1. Pet. 1. v. 24. Et infinita alia.

Idem etiam docent, quæ Psal. 39. v. 8. de imagine & simulachro, & Psal. 9. v. 9. habentur. Pauci hæc meditantur dignè. Signum id est corruptionis nostræ.

II. Peccant, qui tantoperè diligunt vaporationem ferè nunquam aliàs gratam, id est, vitam caducam & miseram, vt Deo potius valedicere, quam mundum hunc re-

lin-

linquere velint. Quales multi sunt, similes diuiti, Luc.12. qui tantum de hac vita solicitus, de altera minimè. Die liessen Gott sein Himmel/wann er sie nur leben ließ. Stulti homines nesciunt, hanc vitam tantùm esse vaporem.

III. Peccant, qui timent homines (vaporem euanidum) magis quàm Deum, qui est ignis consumens, Exod. 24. Vide Matth.10.v.28.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VI.

THEMA XXV. & XXVI.

Psal.102.v.12.

Psal.103.v.15.& 16.

His locis vita hominis comparatur gramini & floribus agri.

DISPOSITIO.

Saluator noster Christus Matth.6.mandat, vt consideremus gramen & flores agri: & sic quidem illa nos vult intueri, vt ab iis erudiamur. Dum itaq; Psalmus hic nobis gramen & flores agri proponit, certè erudire nos vult de re omnium maximè necessaria scitu, vitæ scilic. humanæ miseria & fugacitate. Ideoq; has similitudines excutere diligentius operæ erit pretium. Dicemus autem 1. de gramine. 2. Deinde etiam de floribus.

I. *De gramine.*

1. Primum constat, gramen non iucunditatem tantum afferre oculis, dum virent campi, sed & singulare esse Dei donum, & ab ipso singulari prouidentia produci. Patet id ex multis scripturæ locis. Deut.11.v.15. Psalm.104. v.14. Psal.147.v.8. Ideoque colligi gramen vult Salomon, Prou.27. Et inter pœnas numeratur graminis læsio. Psal. 105.v.35. Apoc.8. & 9.

Ita hominis procreatio, & quod vitam habet, singulare

est & planè diuinum opus. Iob.10.12. Psal.139. Nec miraculo caret. Psal.eod. v. 14. Et iucunditatem magnam habent pueri tenelli, qui sicut gramē in campo florent atq; vigent. Hinc illud, In plateis ludent pueruli. Zach. 8. v. 5.

2. At sicut gramen dum maximè viret, à messore succisum flaccescit & marcescit: ita homo interdum in flore (ætatis,) interdum in herba, id est, cum nondum ad iustam peruenit ætatem, succiditur à morte, vt vno momento quasi arescat. Sicut hoc Psalm.103. Esa.40. Iacob.1. v.10. describitur.

Estque vel morbus aliquis grauior, vel etiam tristicia, æstus adurens & exsiccans. Psal.102.v.5.

3. Quamuis autem communis sit sors piorum & impiorum quo ad hæc, de quibus diximus: tamen in hoc differunt, quod pij sunt gramen quod colligitur & reponitur in horreo, & in pretio habetur propter vtilitatem: impij verò sunt illud gramen in tectis (fœnum tectorum Psalmus 129. vocat) quod ira Dei succiditur, vt ex Esa.37.v.27. & 2. Reg. 19.v.26. Esa.42.v.15. & Psal.37.v.2. & Iob.8. v. 12. patet. Atque illud est in clibanum abiiciendum. Matth. 6. Luc.12.

I. Locus. Quotiescunque vel in campum virentem egredimur, vel in gramine recubamus (sicut illi qui à Christo cibantur. Matth. 14. Mar. 6. Iohan. 6.) de vitæ nostræ miseria & instabilitate cogitemus. De his sæpius hactenus.

II. Quia verò impij etiam interdum sicut gramen efflorescunt, Psal. 92. v. 8. non superbiant propter illam felicitatem: quia mox succidet illos ira Domini. Psal,37.v.2. Pij verò ipsorum felicitate nihil moueantur. Ibid. v.1. & 7. sed dent operam vt ipsi ferant bonum & Deo gratum fructum & colligātur in horreum Domini. Matth.13. vers.30. & efflorescant denuo. 1. Cor. 15.v.36. in magna gloria v. 43. Vide Esa. 26.v.19. Ros campi virentis.

Plura vide supra De Gramine ex Psal. 90. In Disposit. Thematis XXI. in hac appendice VI. Classis.

II. De-

II. De floribus agri.

Floribus comparatur hominis vita non incommodè.

1. Quid enim floribus agri iucundius, quippe à Deo sic vestitis plus quàm Salomon. Mat. 6. v. 29. Aspectus iucundissimus. Syr. 50.v.8. Odor suauissimus. Syr.40.v.18.vt reficiat hominē. Cant.2.v.5. In vere sic efflorescit. Cant.2. v.12. Hinc serta conficiuntur & capiti imponuntur. Sap 2.

Ita quid iucundius homine, qui in flore ætatis sic viget, sic viret, vt bona de ipso spes sit, quod gratus, quod charus, quod vtilis Ecclesiæ, vel Reipublicæ sit futurus. Et sicut flos in delitiis habetur.

2. At vbi flosculus vel à messore succiditur, vel decerpitur, & manibus teritur, vel vento vrente percutitur, vno quasi momento omnem & iucunditatem & suauitatem amittit, & mox abiicitur. Ita homo leui correptus morbo marcescit, & interdum vno momento concidit, & mox ita fœtet, vt ex oculis atque aspectu hominum remouendus, & in terram abiiciendus sit. Neque tam gratus atq; suauis est matri puer tenellus, vt postquam mortuus est, vel vna post nocte cum illo dormire optet.

I. Locvs. Vide miseriam tuam, ô homo, qui iam videris tibi flosculus gratissimus omnibus. Nec potes tibi crastinum promittere. (Quia nascentes morimur finisq; ab origine pendet.) Quid igitur superbis, vel in forma corporis, vel ingenij dotibus? Cras forsitan ita fœtebis, vt omnes te sint abominaturi, & auersuri oculos. O vanitas.

II. Tu verò quisquis es qui in homine confidis, cogita quam stultum sit confidere in flosculo perituro. Itaque consideranda quæ Psal. 146. vers. 4. & 118. v. 8. & Ier. 17. vers. 5. extant.

III. Stultum etiam est in terris sibi promittere vitam perpetuam vel diuturnam. Flos agri facilè perit. Cogita ergo de hoc, quoties flosculum inspicis. Si hoc fieret multi non essent adeò securi. Syr. 7. Memorare nouissima.

APPENDICIS CLASSIS VI.

THEMA XXVII. & XXVIII.

Esa.40.v.6.ad 9.
Et 1.Pet.1. v.24.

Omnis caro fœnum, &c.

DISPOSITIO.

Nemini debet esse dubium, quin hæc quæ ex Esaia prælegimus verba, singularem contineant doctrinam & admonitionem, cum peculiariter ad hanc prædicationem instructus fuerit Esaias cœlitus. Ideoq; etiam hæc verba à Petro repetita sunt.

(Nota. Si quis ex Petro velit prælegere hæc eadem verba, Exordium sic variari poterit, vt ostendatur, Petrum hæc verba mutuatum ab Esaia. Quia ipso teste, 2.Petr.1. Spiritu sancto impulsi loquuti sunt sancti Dei homines.) Quia igitur à Deo Esaiæ dictata fuit hæc concio, operæ pretium erit illi diligenter attendere.

Duo autem principaliter tractat hæc Spiritus sancti conciuncula.

Primum ostendit fragilitatem & instabilitatem omnis carnis: sumpta similitudine à gramine & floribus arescentibus.

Deinde, è contrario æternitatem & durabilitatem verbi Diuini nobis commendat. Vtrumq; nos tractabimus breuiter.

I. Pars.

Iussus Propheta Esaias palàm edicere omnib. quid sint omnes homines, in hæc diuinitus inspirata erũpit verba: Omnis caro fœnum, &c. Singula verba Emphasin habẽt.

1. Primum de carne loquitur, intelligit homines, qui carnem & sanguinem habent. Estque hæc vsitata loquutio ipsius Dei, Gen.6.v.12. Omnis caro corruperat viam. Ibid.v.3. Sunt caro. Et Ioan.3. Quicquid ex carne natum est, caro est.

2. Do

2. De carne autem pronunciat, quod sit fœnum: vel gramen arescens. Sicut enim gramen ipso aspectu iucundum est in campo virenti, ita homo est (præsertim in flore ætatis) creatura Dei elegans, ornata variis donis, corporis & animi.

Alius formosus, robustus, eloquens, prudens, &c. Vt Absalom, Samson, Apollo, Salomon.

At vbi falx messoria absumit gramen, ibi tum breui temporis interuallo arescit & amittit omnem venustatem, colorem, odorem, saporem, &c. Sic cum homo morbo corripitur & moritur, vno quasi momento pereunt omnes animi & corporis dotes.

3. Notandum autem, quod hoc pronunciat de omni carne, tam Regum quàm Rusticorum, tam diuitum quàm pauperum. Est enim mors via omnis carnis. Ios. 23. 1. Reg. 2.

4. At inquis, est tamen forsitan in viris magnis & illustribus aliquid excellentius & sublimius atque durabilius? Nihil planè inquit. Nam gloria omnis carnis est sicut flos agri. Sunt quidem in hoc mundo nonnulli propter dotes conspicui, & tanquā flos inter gramen. At sicut flos cum gramine succiditur, ita quicquid vel sublime vel excellens est in mundo simul perit.

5. Quare autem tam facili momento omnia pereunt? Spiritus Domini sufflauit in ea. Ira Domini omnia prosternit & in terram deiicit. Quia caro sunt peccato infecta. Psal. 90. vers. 7. & 9. Et nemo potest illi resistere.

6. Et ne videantur hæc temerè prolata, denuò repetit. Populus fœnum. Emarcuit flos, &c.

Loci plerique in Disposit. præced. & XXI. sunt tractati; ideoque hic tantum paucis attingendi.

I. Quia omnis caro fœnum & nullum priuilegium magnatum, non debent illi despicere inferiores. Cum vna omnium fortuna. Hiob. 21. v. 26. Omnis illorum gloria sicut flos. Exempla. Samson. Ballazer. Alexander Magnus. Iulius Cæsar. Salomon. Transierunt sicut flos, nec

de illis quicquam restat. Sic enim Psal. 103. v. 16. Non cognouit (flos) locum suum, vbi emarcuit.

II. Hæc verò est consolatio pro pauperibus, quod mors æquo pede pulsat pauperum tabernas, regumque turres. Hiob. 34. v. 19.

III. Non superbiendum in donis. Flos perit, arescit. Syr. 10. v. 9.

IV. Non confidendum in hominibus. Quia euanidi, mortales.

V. Non timendum ab hominibus, propter eandem causam, quia sicut fœnum arescent. Hunc locum communem ipse Esaias hinc extruit. Esa. 51. v. 13.

II. Pars.

Quid igitur faciendum cum omnia sint euanida? Adhærendum his quæ perpetua & æterna sunt. Quid illud? Verbum Domini manet in æternum. Idem Psalm. 119. v. 89. & Luc. 21. v. 33.

Locvs. Monent hæc verba, non esse inhiandum bonis huius mundi, quia mox relinquenda: nec grauandum cor curis non necessariis, nec cogitationibus vel factis onerandam conscientiam, quia breuis & incerta vita nostra: sed potius quærendum thesaurum, qui nunquam nos relinquit. Matth. 6. v. 20. Hic thesaurus est verbum Domini. Luc. 10. v. 42. nunquam auferetur ab ea, verbum scilicet auditum. Nam cum moriendum est, & nullum nobis nec ex opibus, nec ex dignitate, nec ex omnibus rebus terrenis solatium accedit: ibi tum verbum Domini quod animis altè infixum erat, firmum præstat præsidium contra peccata, Satanam, mortem & infernum. Explicari possunt hæc latius.

Malè igitur rebus suis consulunt qui magis amant peritura & caduca quàm æterna. Sed quid proderunt illa. Matth. 16. v. 26. Pij ergò delectentur verbo Dei, Psal. 1. quod obryzo pretiosius. Psal. 119. v. 127.

FINIS.

AP-

APPENDICIS CLASSIS VI.
THEMA XXIX.
Psal. 103. v. 14.

Ipse cognouit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam puluis sumus.

DISPOSITIO.

Insignis ille Psalmus centesimus tertius, (ex quo paucula hæc verba prælegimus) continet gratiarum actionẽ, pro omnibus beneficiis à Deo in nos collatis, tàm corporalibus quàm spiritualibus. Cumq; inter cætera Propheta gratias egerit Deo pro remissione peccatorum clementissima, duas subiicit causas istius condonationis. Vnam Dei φιλοστοργίαν & misericordiam plusquam paternam. Alteram hanc ponit, in nobis scilicet, miseriam & imbecillitatem, quam Dominus clementer respicit. Cognouit enim figmentum, & recordatur nos nil nisi puluerem esse.

Hæc verba animis nostris altius erunt infigenda, vt in nosmet ipsos descendamus, & originem nostram meditemur.

Sensum itaq; verborum primum inuestigabimus, deinde locum vnum & alterum subiiciemus.

Textus.

Nouit Dominus quale simus figmentum. Vocabulum, quo Propheta vtitur, significat vas fictile, vel testaceum, aut ex limo factum.

Respicit ad primam creationem, vbi Protoplastus ex limo terræ factus legitur, Genes. 2. v. 7. Non ex nobili aliqua aut pretiosa, neq; etiam ex solida & durabili materia sumus facti, non ex auro, argento, gemmis, ferro aut chalybe, aut ex saxo: sed ex limo terræ. Et quia sumus lutei, ideò etiam fragiles & infirmi. Hoc Deus clementer respicit & condonat aliquid nostræ infirmitati.

Kk 5 Imò

Imò inquit, Nouit Dominus & facile recordatur, quod ſimus puluis terræ.

Res ſumus viliſſima, puluis & in puluerem redigendi, Gen. 3.

Eſtque aptiſſima comparatio vaſis teſtacei (quod fit ex puluere ſiue terra infuſa aqua quæ ſimul faciunt materiam lutoſam) cum corpore humano.

1. Sicut enim ex illo luto vaſculum aliquod formatur, quod ſi non propter materiam, tamen propter formam gratum eſt & vſui certo deſtinatum: ita homo egregiè à Deo formatus eſt, & propter formam inſignis Dei creatura.

2. Et ſicut vas ex limo factum fictúmve aliquantiſper durat, ita corpus humanum.

3. At ſicut vas fictile facilè frangitur, & deinde prorſus fit inutile & abiicitur: ita facilè franguntur vires corporis humani & moritur atq; in puluerẽ redigitur homo.

LOCI

I. Sicut Deus perpetuò memor eſt noſtræ infirmitatis, ita nos decet crebrò recordari originis noſtræ. Quod ſi illam inſpicimus, lutum, terram, puluerem inuenimus. Nec in melius mutatur illa prima materia, dum viuimus. Terra enim & puluis ſemper adhærent corpori, vt vel in vnguibus digitorum tuorum originem poſſis deprehendere.

Eſtque tanta corporis fragilitas, quanta vix vaſis teſtacei. Et inhabitamus domos luteas teſte Hiobe cap. 4. v. 19. eſtque fundamentum terrenum, ſicut habent verba illius. Atque tandem in puluerem redigimur. Sic enim propter peccatum ſententia lata eſt contra Adamum & poſteros. Geneſ. 3. v. 19.

1. Hæc facere debent ad doctrinam, vt ſtudeamus humilitati, nec ſuperbiamus.

Paulus agnoſcit hoc & comparat ſe atq; collegas vaſi fictili atque teſtaceo. 2. Cor. 4. v. 7. Abraham, puluis & cinis

cinis ſum, Geneſ. 18. v. 27. Quid ſuperbit terra & cinis? Syr. 10.

Hinc verſus: Cum fex, cum limus, cum res viliſſima ſimus: Vnde ſuperbimus? ad terram terra redimus. Et Pſalm. 2. v. 9. ſuperbis minatur, Tanquam vas figuli confringet. Vide Eſa. 30. v. 14. & Ier. 19. v. 12.

2. Admonitionem etiam continent hæc, ne reſiſtamus voluntati diuinæ, ſed in omnibus nos illi ſubiiciamus. Sumus enim lutum in manu figuli. Cuius nos admonet ipſe Dominus, Eſa. 29. v. 16. & 45. v. 9. Ierem. 18. v. 6. Rom. 9. v. 21. Syr. 33. v. 13.

II. Docemur etiam, non debere, imò non poſſe nos confidere in viribus corporis & membris integris, vt putemus nos immunes ab omni mortis periculo. Id verò plurimi, præſertim iuuenes robuſti & valentes opinantur. **Ich hab noch ein harten Kopff / Ich sterbe noch nicht /** inquiunt. At cogita te eſſe puluerem, quem ventus facilè diſſipat. Cogita te eſſe luteum, & vas fictile atque fragile. Non es ferreus. Et ſi Goliathum ſuperares robore, cogita illum periiſſe ſicut vas fictile ictu ſilicis, 1. Sam. 17.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VI.

THEMA XXX.

Geneſ. 18. v. 27.

Abraham de ſe.

Ecce quæſo, auſus ſum loqui ad Dominum meum, etſi ſim puluis & cinis.

DISPOSITIO.

Verba ſunt hæc Abrahami, colloquentis cum Domino Deo ſuo, quibus ex vera animi humilitate indignitatem ſuam, ſi cum diuina maieſtate ipſi ſit negotium, agnoſcit & profitetur. Sicut enim qui in colloquium cum magnatibus admittuntur, ſolent proteſtari de ſuæ perſonæ vilitate, & verba honoris præmittere, quibus reue-

reuerentiam ſuam erga perſonas illuſtres teſtantur, ita Abrahamus hoc loco agit cum Deo.

Digna autem ſunt hæc verba optimi & ſanctiſſimi Patriarchæ, quæ probè excutiantur. Itaq; primum occaſionem huius dicti & ſenſum eius inueſtigabimus: Deinde locos communes breuiter annotabimus.

Textus.

Hoſpitio excepit Abrahamus tres (vt ipſe quidem putat) viros peregrinos: ſicque inſcius Angelos, vt habet Epiſtola ad Hebræos cap. 13. v. 2. Et erat (quod textus euincit) in his ipſe filius Dei. Et is quidem in conuiuio promittit Abrahamo ex Sara filium. Deinde cæteris duobus Angelis digreſſis & tendentibus Sodomam, Dominus (hîc Iehoua dicitur) ſolus ſubſtitit apud Abrahamum, & de malitia Sodomitarum atque excidio illarum ciuitatum Abrahamum inſtruxit. Quamuis autem in forma humana apparuerit Abrahamo, & humano more quædam loquutus fuerit (ſcilicet, ſi vixero, redibo, &c. verſ. 10. & 14.) tamen Abrahamus tandem agnoſcit, Dominum eſſe eum, qui ipſi loquatur, præſertim cum diceret, clamor Sodomorum venit ad me, deſcendam, & videbo, &c. Ideoque etiam tanquam cum Domino loquitur. Et propius ad ipſum accedens, pro Sodomitis intercedit: & ſi tantum ſint quinquaginta iuſti in illa ciuitate, non fieri poſſe ſalua iuſticia ipſius, vt illi pereant cum cæteris, aſſerit. Cumque annuiſſet primæ illius petitioni Dominus, & Abraham vellet inſtare diutius, & numerum etiam abbreuiare, ibi tum præmittit verba hæc quæ prælegimus.

1. Quibus primum veniam petit impudentiori poſtulato, & quod admiſſus in colloquium iſtud non erubuerit loqui cum Domino ſuo.

Ne igitur ægrè ferat, ſi pergat intercedendo, rogat: ſicut & verſ. ſequent. 30. 31. & 32.

2. Deinde ſimul agnoſcit, quanto ipſe ſit inferior Deo,

Deo, vt iustissimè Dominus ipsius colloquium & intercessionem repudiare possit.

Non enim esse vllam comparationem creatoris ad creaturam. Et originem suam considerans pronunciat se esse puluerem, hoc est, terram, lutum, &c. & ex limo formatum. Quod si finem vitæ consideret, nihilo esse exitum meliorem principio, quia denuò sit redigendus in cinerem. Cinis autem nil nisi puluis est. Et frequenter puluis & cinis in scriptura coniunguntur, interdum etiam cinis pro puluere ponitur. Vt patet ex Iob.16. v.15. & 30. v.19. & 34.v.15. & Syr.10.v.9. & 18.v.4. iuxta Germ.vers. at secundum vers.vulgat. Latin.cap.17. v.31.

Loci.

I. Hîc primùm recurrunt iidem planè loci, qui in Dispositione præcedenti sunt annotati. Quò breuitatis causa lectorem remittimus.

II. Præter cætera autem docent hæc quæ diximus, in orationibus nostris humiliter agendum, & agnoscendum, (sicut & alias semper in omnibus actionibus nostris) nullam esse posse hominis comparationem cum Deo. Idque sedulò inculcat Esaias cap.40.v.15.& sequent.

Hinc illæ voces Dauidis Psalm.51.v.3. & Danielis cap.9. v.7. Tibi iusticia, nobis confusio, &c. Non in iustificationibus nostris, &c.

III. Docemur autem ex eodem loco, Dominum non in ius vocandum à nobis, si videatur iniquè agere: quia nemo illi consiliarius est, Esa.40.v.13. & Rom.11.v.34. Ideoq; vincit cum iudicatur, Psal.51.v.7. Ier.12.v.1.

Nec quicquam ipsi prẹscribendum. Stultitia enim Dei sapientior, 1.Cor.1. v.25.

Si quis velit hoc loco digredi paululum ab instituto, posset etiam tractare locum, de Intercessione pro aliis apud Deum, &c. & quod nostræ intercessiones multum possint, &c.

FINIS.

AP-

Appendicis Classis VI.

Thema XXXI.

Syrach. 10. verſ. 9. ad 14.

Quid ſuperbit terra & cinis? Quia etiam dum viuit, proiecit inteſtina ſua, (vel materiam fœdiſſimam egerit.) Et quamuis medicus multum laboris in curando morbido corpore inſumit, tamen Rex eſt hodie, & cras moritur. Cumque moritur homo, deuoratur à ſerpentibus & vermibus.

Nota. Licet in Manuali tantum initium huius loci ponatur, hac claſſe: tamen quia hic locus integer infra Claſſe 10. recurrit, hoc loco ipſum tractare voluimus: cum iam in præcedentibus illa ſimilitudo de puluere & cinere ſit explicata.

DISPOSITIO.

Inſignis eſt hic locus Syracidis, in quo miſeria humani corporis ſecundum quatuor (vt ita dicam) ſtatus hominis exquiſitiſſimè depingitur, & ante oculos ſtatuitur.

Nos ordinè illa tractabimus, ſicut Sapiens nobis recenſet, & dicemus:

1. Ex qua materia conſtet humanum corpus.
2. Quid toto vitæ curriculo accidat circa illud.
3. Quomodo illud tandem planè deſtruatur.
4. Quid de illo fiat poſt mortem.

Singulis ſingulas ſubiiciemus doctrinas.

I. *Pars.*

Materia, ex qua conſtructum eſt corpus humanum, cinis & puluis eſt. Cinis enim pro puluere ponitur in ſcriptura, vt in præcedenti Diſpoſit. oſtenſum eſt: Et vtrumq; pro terra ſiue terrena materia vſurpatur, ſicut verè nihil aliud eſt. Reſpicit autem Sapiens ad primam creationem, vbi homo ex puluere terræ ſiue limo fuit

factus.

factus. Reſpicit quoque ad finem hominis, quia homo in puluerem & cinerem redigitur, iuxta id, Terra es & in terram reuerteris. Vide Geneſ. 2.v.7.& Geneſ. 3.v.19. Hæc in præcedentibus ſunt explicata.

LOCVM communem ipſe ſapiens extruit, eundem ſcilicet qui in Diſpoſitione præcedenti 29. annotatus eſt: Non eſſe ſuperbiendum homini, cum ſit luteus &c.

Er ſoll nuhr hinderſich gedencken / woher er komme / wer er ſey &c.

II. Pars.

At licet ex puluere factus ſit homo, tamen vbi vitam accipit & hanc lucem aſpicit, atque vires acquirit, fit nobilior & præſtantior creatura, dicat aut cogitet aliquis. Vide enim quanta pulchritudo corporis viui, vbi nihil videtur apparere lutoſum. At deſcende in teipſum ô homo: conſidera fœditatem corporis tui viui. Numquid talem quotidie ex diuerſis corporis partibus, ore, naſo &c. egeris materiam, quam ne ipſe quidem coram honeſtis auribus auſis nominare.

Præterea corpus tuum tam eſt morbidum, vt ſubinde opus tibi ſit cura medica. **Man muß jmmer an dir flicken / wie an einem alten Hauß.**

MONENTVR hoc loco vt criſtas deponant, qui ſibi propter inſignem (vt ipſi quidem opinantur) corporis elegantiam & venuſtatem mirificè placent: quales ſunt comptuli multi, inſtar pauonum ſeſe exornantes, & magnam corporis munditiem præ ſe ferentes. (Fuco etiam interdum pingentes faciem, Iſabelem imitantur nonnullæ 2. Reg. 9. v. 30.) At cogita de inteſtinis tuis, de quibus hîc ſapiens. **Dirſchandtlicher Kaatſack / was machſtu auß dir ſelber? was prangſtu mit dem Kaat?**

III. Pars.

Sed neque ſolicitâ curâ Medici corpus humanum poteſt præſeruari, quin planè tandem concidat iſtud tabernaculum, diu multumque fulcitum.

Et

Et tam nulla eſt corporis humani firmitas, vt totus mundus coniunctis viribus craſtinum tibi non poſſit pollicere diem: ſed qui hodie Rex eſt, cras morte peremptus nihil eſt, niſi cadauer fœtens.

L. I. Notare hoc debebant Magnates, qui ſibi longè aliud, & neſcio quam immortalitatem videntur imaginari, immemores illius Pſalm. 82. ſicut filii hominum moriemini.

II. Stultè agunt qui nimium confidunt in arte Medicorum, cum tamen non ſit in Medico ſemper releuetur vt æger, ſed ſæpius medica plus valeat arte malum. Non enim ipſi mortales aliis immortalitatem procurare poſſunt. Ideoque Aſa reprehenditur. 2. Par. 16. v. 12. Vide Sap. 16. v. 12. Certè multi rectius conſulerent rebus ſuis, ſi & ſibi ipſis & medicis interdum parcerent & non contra Dei voluntatem ſalutem corporis ab ipſis extorquere conarentur: ſed potius iuxta doctrinam Syracidis cap. 38. v. 9. curam corporis ſuſciperent. Eſtque magna pars ſanitatis, non velle nimium eſſe ſanum.

IV. Pars.

Sed & poſt mortem non ceſſat miſerum eſſe corpus humanum, licet illud non ſentiat. Etenim tum demum à vermibus & ſerpentibus conſumitur. Imo ex corpore putrefacto quoque enaſcuntur ſerpentes, Auguſtino teſte. Et de vermibus res manifeſta eſt.

L. O miſeriam deplorandam & agnoſcendam. Sed vnde illa? A peccato: creauerat enim Deus hominem vt perpetuo viueret, Sap. 2. v. 23.

Peccatum itaque, quod corruptionem illam inuexit, & Satanam authorem mortis deteſtare. Et caue mortem ſecundam. De qua Apoc. 20. v. 14.

Hoc autem age, vt corpus conſumptum reſurgat non ἄφθαρτον tantùm, ſed ad gloriam, quæ piis promiſſa eſt. Phil. 3. verſ. 21. Et hæc ſit conſolatio ſimul piorum Ex 1. Corinth. 15. verſ. 43. Iob. 19. verſ. 25.

AP-

APPENDICIS CLASSIS VI.

THEMA XXXII. & XXXIII.

Esa. 38. vers.12.

1. *Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me quasi tabernaculum pastorum.*

2. *Abrupi quasi texens vitam meam.*

DISPOSITIO.

Nota est historia, quomodo Esaias Propheta, mandante Domino, mortis nuncium attulerit ægrotanti Regi Iuda Iehiskiæ, atque vt domui suæ præcipiat, iusserit. Quamuis autem ad preces pijssimi Regis Dominus addiderit vitę ipsius annos quindecim, tamen vt primum conualuit, cantico quodam insigni descripsit Hiskias, quæ fuerint ipsius cogitationes, cum audiret sibi moriendum. Cumq; quadragesimum annum ætatis tum nondum excesserit, inter cætera verbis prælectis conqueritur, quod inopinatum & inexspectatum fuerit tale mortis nuncium, quia (quod ipse fatetur) sperauerit multos annos residuos, quibus potuisset viuere secundum naturæ ordinem. Erat enim adhuc in flore ætatis.

Duabus autem similitudinibus eleganter rem omnem describit, quarum 1. vna sumpta est à tabernaculo pastoris destructo. 2. Altera à filo texentis rupto.

De his ordinè dicemus. Qui vult, ex vna tantum similitudine conciunculam potest extruere. Habetq; pars posterior suum peculiare Exordium.

I. Pars. De tuguriolo.

Loquitur Rex tanquam propediem moriturus, & inopinata morte præuentus, sicque ait; Conuoluitur vita mea sicut tabernaculum pastorum.

Similitudo à re notissima, sed iuxta tamen huic accommodatissima instituto.

Sicut enim pastores vel in syluis, vel in campo aliquo patenti, aut valle spatiosa, ad tempus aliquod, pro grege pascua quærunt, & cum aliquem commodũ locum pascendo gregi aptum inuenerũt, ibi tabernaculum aliquod extruũt leuissima opera fabrefactum, stramine, terra vel asseribus tectum, ædificium exigui temporis: idque vbi locum mutare constituunt, spatio vnius quadrantis horulæ destruunt, & alium in locum deportant, quæ huic operi accommodata sunt, ita cum vita hominis comparatum esse asserit.

[Nota. Videntur autem illis temporibus vsi fuisse tentoriis, quæ vbi locum mutarunt, potuerunt vno momento conuolui (sic enim habent verba) & aliorsum deportari: sicut apud nos fit cum papilionibus vel tentoriolis, quibus vtuntur milites.

Opiliones apud nos tale aliquod tabernaculum, ex asseribus constructum duabus rotis impositum, singulis noctibus ex vno loco ad alium prouehere solent.]

Ita vita nostra subitò & præter exspectationem nostram abrumpitur, & vel destruitur sicut tabernaculum pastoris, vel concidit, aut conuoluitur, ita vt mox ex his terris sit migrandum. Atque hanc ob causam vita nostra tabernaculo non semel comparatur. 2. Corint. 5. v. 1. 2. Pet. 1. v. 13. & 14. Quia sicut tabernaculum tale vel destruitur, vel tempestatibus frangitur & concidit, vbi aliquantisper durauit: ita vita nostra vel præter exspectationem abrumpitur, quod fit in iuuenibus, vel per se vi morborum aut annis fracta concidit, & tandem deficit, quod in senibus fieri videmus. Wann es lang kracht so fället es zu letzt gar vber ein hauffen.

L. Quia tam incerta est hora mortis, vt sępè præter exspectationem adueniat subitò, demus operam vt simus parati omni tempore, ne opprimamur incauti. Huc pertinent illæ similitudines de seruis præstolantibus aduentum Domini sui, Mat. 13. Luc. 12. De fure Matth. 24. De virginibus Matth. 25. Et cætera quæ suprà in Classe VI. habentur plurima. Vide ibi.

II. Vi-

II. Videmus etiam, eos, qui in flore ætatis sunt, non esse à mortis periculo immunes.

Exempla scripturæ de filio in Nain, filiolo Dauidis, filia Iairi, puero Sunamitidis, & multa alia passim sunt obuia. Vigilandum itaque etiam iuuenibus. Et memento Creatoris in iuuentute, Eccles. 12. v. 1. Et puer quære Dominum cum Iosia, 2. Par. 34. v. 3. Nihil vnquam procrastinandum. Syr. 18. v. 22.

II. Pars De filo texentis.

Non existimandum hæc pertinere ad textrinam, non ad Ecclesiam: quia sint viliora, quam vt auditores illis rebus fatigentur. At si tantum Regem non piguit de his rebus loqui, non pudeat nos de his audire. Et similitudines de rebus vilissimis tamen magnam habent vtilitatem. Testantur id parabolæ Christi.

Hic autem Rex, qui se inexspectata morte in flore ætatis abripiendum putat, vitam comparat filo rupto à texente. Sicut enim textor dum strenuè in opere suo pergit, de improuiso cogitur cessare, dum inter texendum vnicum abrupit filum, quod facilimè etiam inuito fit: ita dum his mundanis negotiis sumus occupati, & nihil tale cogitamus, de improuiso mors abrumpit vitam sicut filum. Sicque vt Psalmus 146. v. 4. habet, pereunt omnes cogitationes nostræ.

Loci. Præter ea quæ supra part. 1. iam sunt annotata, & huc quoq; referri possunt, Discimus nihil esse procrastinandum, aut reiiciendum in multos annos venturos, quia incertum quando filum sit rumpendum.

De hoc ipse Dominus monet Hiskiam nostrum, Præcipe domui tuæ. Esa. 38. v. 1. Quicquid igitur disponere volueris, in tempore expediendum, ne ista te post solicitum teneant, cum hinc discedendum est. Soll nit warten biß die Seel vff der Zungen hüpffet. At stulti homines putant se citius morituros, si de his rebus disponant. Idcoque plerumque differunt vsq; ad extremum halitum.

Magis hoc notandum de his, quæ ad salutem animæ pertinent. At de his docent loci primæ partis.

Sæpè autem vel dum in textrina es, vel dum fila tractas, cogita de filo rumpendo. Sihe zu/daß dir das trumm nicht zu kurtz werde. Dann du wirst nicht mehr daran knüpffen/wie der Weber.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VI. THEMA XXXIV. & XXXV.

Sapient. 2. vers. 4.

1. Transibit vita nostra tanquam vestigium nubis.

2. Et sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radiis solis, & à calore illius consumpta.

DISPOSITIO.

Sapiens in hoc capite libri sui describit voces hominũ impiorum & Epicuræorum, innuens, quomodo illi considerantes vitæ humanæ fugacitatem cohortentur inuicem ad indulgendum luxuriæ & voluptatibus, vt sic breuem vitam transigant in hilaritate. Horum illud est symbolum, ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. Simile huic 1. Cor. 15. v. 33. Edamus, bibamus, cras moriemur. Quamuis autem homines securi hoc loco, multa partim falsò, partim etiam impiè dixerint, dum resurrectionem mortuorum & extremum iudicium eludere conantur, tamen falsis etiam vera miscent. Vera enim sunt quæ de vitæ humanæ instabilitate & breuitate proferunt, quam non ineptis similitudinibus depingunt. Licet autem illi hinc malè concludant, ergò indulgendum genio: tamen nos rectius subsumemus, & propterea similitudines illas de nubibus & nebulis (quia cum aliis scripturæ plurimis locis, præsertim illis Hiob. 7. & 30. conueniunt) tractandas suscipiemus, vt à malis boni aliquid discamus.

Similitudines istas sigillatim tractabimus.

I. De

I. De nube.

Quid nubes ſint, omnibus ferè conſtat, nimirum vapores ex aqua & terra euecti ſurſum (Pſal.135. v.7.) in mediam aëris oram, qui ibi in aquam rurſum coëunt. Nec carent miraculo. Deſcribit hoc Iob 26.verſ.8. Colligit aquas in nubibus ſuis, nec erumpunt. Vide etiam Hiob.36. v.27. & ſeqq. & Hiob 37. Expandit autem Dominus nubes vt tentorium, Hiob.36.verſ.29. & his obducit terram. Gen.9. v.14.

Sed de his non loquitur Sapiens, aſt tantum de rapidiſſimo motu nubium. Ideoq; ſcriptura velociſſimum curſum comparat nubibus: vt Ier.4.v.13. & Eſa.60.v.8.

De his etiam Hiob.7. v.9. Tranſit nubes & conſumitur, ita vita noſtra tranſit & euaneſcit.

Iob.30.v.15. Sicut nubes velociter abiens ablata eſt felicitas mea.

Nubes enim agitatæ à vento (vt Petrus innuit, 2.Pet.2. v.17.) præſertim vbi tempeſtates & pluuiæ impendent, celerrimè feruntur ab vna cœli plaga ad aliam, vt mox veſtigium nubis diſpareat. Ideoq; volare videtur. Eſa.60.v. 8. Volant ſicut nubes. Syr.43.v.15. Euolauerunt nubes ſicut aues. (Hinc etiam Lucretius nubes volantes vocat.) Ita vita noſtra comparatur nubibus, quod poſtquam variis ærumnarum tempeſtatibus agitata fuit, mox euaneſcat, vt de homine nullum amplius extet veſtigium.

LOCI. Nota, Principales locos communes, quia communes ſunt vtriq; parti, vide in fine.

Nunc alia tantum ἐν παρέργῳ, & obiter, de nubibus notabimus.

I. Maieſtatem ſuam Dominus in nubibus oſtendit. De quo Pſal.68.v.35. & 147.v.8. Deuter.33. v.26. Prouer.3 v.20. Syr.43. 16. Et tamen tranſeunt, diſſipantur. Ita vita noſtra & creatio ſingularem Dei omnipotentiam demõſtrat. Si igitur maximè & illa tranſeat, hoc non ſit nobis graue. Quia Chriſtus venturus in nubibus, Matth. 26. 1. Theſſ.4. vitam reducet.

II. Sicut aquæ in nubibus ſingulari Dei potentia ſeruantur: ita diuina prouidentia in vitæ noſtræ conſeruatione abundè conſpicitur.

Agnoſcendum id cum Hiobo cap....& Dauide Pſal.139.

III. Nube ſolet pulſa candidus ire dies. Ita quoties triſti animo intuemur nubes, cogitemus id, Poſt nubila phœbus. In die mala cogita de bonis. Syr. 11. v. 28. Eccleſ. 7. verſ. 15.

II. *De nebula.*

Nebula eſt ſecundum Phyſicos imperfecta & ſterilis quaſi nubes. Educitur à Deo ex terræ finibus. Ierem. 10. v. 13. & 51. v. 16. Huic etiam comparatur vita noſtra. Et ratio comparationis additur. Quia ſicut nebula à ſplendore ſolis diſſipatur & pellitur, atque ab æſtu ſolis conſumitur: ita vita hominis, quæ in miſeria tanquam nebula tenebroſa oritur, ab æſtu ſolis vrentis, hoc eſt, à vi morborum & mortis pellitur, deſtruitur & conſumitur tandem, vt nihil ſuperſit amplius ſicut nebula planè abſumitur.

Loci minus principales (cæteri enim in fine ſequuntur) huius partis poſſunt eſſe hi.

I. Sicut nebulæ caliginem afferunt & propterea ſunt ingratæ: ita in ſcriptura ſignificant triſtitiam hominis. Sophon. 1. v. 16. Dies nebularum. Simile aliquid Ezech. 30. v. 18. Et Ioel. 2. v. 2. At mox calore ſolis diſſoluuntur. Ita Deus facilè poteſt nos reficere. Thren. 3. v. 23. Orandum itaq; Pſal. 90. v. 15. Et Pſal. 51. Redde læticiam. Et ſicut propter nebulas euanidas nemo de ſolis ſplendore deſperat, ita non abiiciamus animum in aduerſis. Mich. 7. verſ. 19.

II. Sol pellens & diſſipans nebulam, moneat de peccatorum abolitione & remiſſione. De qua Eſa. 44. v. 22. Sicut nebulam deleui peccata tua. Pro hac orandum cum omnibus ſanctis. Pſalm. 32. v. 7.

Loci Principales, Et Vtriqve Parti communes.

I. Intueri debemus hæc Dei opera, nubes & nebu-

las

ſas (licet viliſſima appareant propter aſſiduitatem, ſicut omnia Dei miracula, Auguſtino teſte) vt aliquid inde diſcamus. Ob hanc cauſam ſcriptura hæc ob oculos ponit. Wir ſollens nicht nur anſehen wie eine Kuhe ein new Schewrenthor. Et certè, ſi rectius conſiderauerimus iſthæc, patebit inde Dei creatoris potentia, ſapientia, bonitas & prouidentia. Licet enim cauſas habeant naturales, tamen non carent miraculo, vt patet ex Hiob. 36. v. 28, & 37. v. 11. Pſal. 104. v. 3. Dicendum cum Pſal. 104. v. 24. Omnia in ſapientia feciſti.

II. Quia iuſſit Deus erectos ad ſydera tollere vultus, nos certè quoties intuemur nubes, de vitæ noſtræ celeri decurſu cogitemus. Hæc meditatio facit nos ambulare prudenter, Pſalm. 90. v. 12. & cauere peccata, Syr. 7. v. 40. & nihil procraſtinare. Syr. 5. v. 8. & 18. v. 22. Eccleſ. 12. v. 1.

III. Sicut nubes & nebulæ tranſeunt, & redeunt aliæ, ita licet hæc vita tranſeat, alia tamen reſtat. Ad conſolationem facit.

FINIS.

SEQVITVR

CLASSIS VII.

CONTINENS THEMATA EXPLICANDA IN FVNERIBVS HOMINUM piorum, qui aduerſis & triſtioribus caſibus perempti obierunt.

THEMA I.

1. Sam. 3. v. 18.

Ipſe Dominus eſt, faciat quod bonum eſt in oculis ſuis.

DISPOSITIO.

Paucula ſunt hæc verba, & breuis ſententiola eſt, vix decem ſyllabarum (in verſione german.) at continet pondera doctrinarum, admonitionum & conſolationum.

Quia igitur singula verba ferè peculiarem habent emphasin, illa primùm diligentius enucleanda & pensitanda erit sententiola: Deinde quantum omnibus ad funus hoc (quod tristis sanè casus nobis fecit) congregatis vtilitatis adferat, ostendendum.

Textus.

Fuit Heli summus Sacerdos & Iudex Israelis vsque ad seram omninò senectutem. Annis itaque confectus & viribus exhaustus filios duos, Hophni & Pinehas Ecclesiæ præfecit, vt ipsi summo sacerdotio fungerentur, loco parentis. Quamuis autem ipse Eli fuerit vir bonus, tamen filij nequam sunt, & peccat ipse in hoc, quod licet nouerit ipsorum sceleratam impietatem, tamen est indulgentissimus pater. Quamuis enim semel ipsos leniter obiurgauit, 1. Sam. 2. vers. 24. hoc tamen illi vitio vertitur, quod non seuerissimè ipsos corripuerit, sed nec contraxerit frontem contra illos, vt habet vers. 13. Quia autem illi in causa erant, vt detraherent homines sacrificio Domini cap. 2. v. 17. ideò non tantum ipsos constituit Dominus occidere, & id prædixit parenti: sed & ipsi parenti per Samuelem puerum grauissimam denuntiat pœnam, quod omnem domum & posteritatem ipsius sit deleturus, &c. Vide vers. 11. & seq. Hæc audiens Eli subiicit illa quæ prælegimus verba.

1. In quibus primum patientissimè se subiicit voluntati diuinæ. Faciat, inquit. Ich laß es geschehen / er thue es / quicquid minatus est.

Non indignè fert. Hab ich nicht mehr verdient dann diß.

Non excusat se. Was kan ich für meine vngerahtene Kinder.

Non filios. Es ist jhrer Jugendt vnd Vnverstandt etwas zuzumessen.

Non muliebriter eiulat, Heu mihi. O me infelicem. sed patienter vult omnia ferre: Ipse faciat.

2. Sed

2. Sed nec pœnam deprecatur, nec mitigari petit. Agnoſcit enim quantum dederit offendiculum. Et audit Deum non poſſe placari victimis, vt parcat, verſ. 15. quia iurauerit Dominus. Ideo inquit, Faciat quod placet.

3. Nec parci ſibi petit, vt Hiskias Eſa. 39. v. 9. ſed addit, quemadmodum ipſi placuerit. Vel, faciat quod bonum eſt in oculis ſuis. Non inquit, ſicut noſtrates, Es geſchehe was gut iſt/ vnd bleib nicht lang auß. Sed quod Domino placet, etiam ſi malum ſit & grauiſſimum quidem, placeat etiam mihi, vult dicere. Es ſey gut oder böſe/ ſo will ichs auffnemmen vnd tragen. Etiam aduerſiſſima feram patienter.

4. Rationem addit Heli, quare tam humiliter & patienter aduerſiſſima quæque ferre ſit paratus. Ipſe Dominus eſt, inquit: quaſi dicat, Ipſe Dominus, ego ſeruus. Ipſe creator, ego creatura. Ipſe Deus, ego homo, limus terrę, vas fragile & teſtaceum. Ipſe iuſtus, ego peccator & iniquus. Agnoſcit itaque peccatum, & contentus eſt quod ſcit, Deum pœnitentibus æternam non denegare vitam. Ideoque licet miſerè perierit, tamen de ſalute animę nullum eſt dubium.

DOCTRINA.

Docet inſignis hæc vox Heli, patienter ferenda aduerſa quæcunque Dominus immiſerit. Patientia opus eſt, inquit Hebr. 10. v. 36. Præſertim vbi nos pœnam attraximus noſtris peccatis.

Exempla. Dauid. 2. Sam. 15. v. 26. & 2. Sam. 24. Incidam in manus Domini. Et Hiskia Eſa. 39. v. 9. Bonum eſt verbum Domini.

Mich. 7. v. 9. Iram Domini portabo, quia peccaui illi.
Dan. 9. Tibi iuſtitia, nobis confuſio.

Sed ſi maximè videatur indignè venire pœna, quam non certis peccatis commeruerimus, tamen non murmurandum, quia coram Deo innocens non eſt innocens. Cœli non mundi. Iob. 15. v. 15. Nemo innocens co-

ram Deo, Exod.34.v.7. Ideoq; Ierem.30.v.11.ait, ne videaris tibi innocens, castigabo te, at in iudicio. Omnes enim destituimur gloria. Omnes peccauimus, Rom.3.v.23.&10. Psal.14.v.4.

Et semper cogitandum: Ipse Dominus est.

Non est iniquus nec iniustus. Iustus es, Psalm.119.v.137. Matth.20. v.13.

Nec quicquam nobis debet, Rom.11.v.35.

Et insuper fidelis Dominus, 1.Cor.10.v.13.

Quod si omnes damnaret, non possemus quicquam iustè conqueri. Numquid enim dicet lutum figulo, quid facis? Esa.45. Ierem.18. Rom.9.

Ipse Dominus æternus, creator, nos cinis & puluis, Gen.18.v.27. Syr.10.v.9.& stilla situlæ, Esa.40.v.15. Carnis murmur compescet hæc meditatio seria: Ipse Dominus, Tu vermis.

ADMONITIO.

Monemur exemplo Heli, ne peccata nostra negemus. Ne simus mendaces, 1.Ioan.1.v. 8. & 10. ne contabescant ossa, Psal.32.v.4.&c. Vide Esa.29. v.15.

Neque extenuemus coram ipso, vt Aharon, Exod. 32. v.24. Neq; etiam fuco pingere conemur, vt Saul, 1.Sam.15. v.21. Neq; culpam reiiciamus in alios, vt Adam (Gen.3.) in mulierem, & Eua in serpentem. Aharon in populum, Exod.32. v.23. Saul in populum, 1.Samuel.15.v.24. Humiliter nos subiiciamus pœnæ. Culpam fateamur cum Dauide, Psal.51.v.5.& Daniele cap.9. 1.Ioan.1. v.9. Et licet quidem nobis deprecari pœnam, & petere mitigationem. Hiskia, Esa.39.in fine.

At vbi Deus omninò nos vult subiicere pœnæ, (Ier.46. v.28. in fine.) voluntati ipsius nos subiiciamus. Mich. 7. Portabo iram. Et tantum oremus, vt parcat animæ, Psal. 51.v.14. Hîc vre, hic seca Domine. Ibi verò parce.

CONSOLATIO.

Ab exemplo Heli hanc licet petere consolationem, quod

quod licet Dominus corporalem infligat pœnam, nec remittat, tamen animam non ſimul velit perdere. Sufficit tibi gratia, reſpondet Paulo, 2.Cor.12.v.9. Ideò non malè ſperandum de ſalute piorum, aut tamen pœnitentium peccatorum, licet miſerè pereant ſicut Heli, qui ceruicem fregit, 1.Sam.4.v.18. Sic ſæpè caro mortificatur vt Spiritus ſaluus ſit.

Et virtus Domini in infirmitate perficitur, 2.Cor.12.

FINIS.

THEMA II. CLASSIS VII.

Pſal. 4. v. 4.

Cognoſcite tandem, quod mirabiliter ducit Dominus ſanctos ſuos.

DISPOSITIO.

Apoc. 15. v.3. audit Ioannes Angelos in cœlo cantantes inter cætera, Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens. Illud verò iam ante etiam in terris à ſanctis Prophetis decantatum fuiſſe, teſtatur præſentis Pſalmi quarti verſus quartus.

Licet enim nec ſanctis datum ſit omnia Dei mirabilia enarrare, Syr.42.v.17. quia illorum non eſt numerus, Iob. 9. v.10. ea tamen non poſſunt reticere, quæ incurrunt in oculos, & aſcendunt in cor hominum. Vt autem cætera Dei mirabilia taceamus, hoc loco Dauid tantum de his loquitur, quæ cernuntur in mirabili ſanctorum gubernatione. De hoc nobis erit dicendum.

Ordinis autem & memoriæ cauſa tria notabimus.

1. Quinam ſancti illi, de quibus hoc loco.
2. Quæ circa illos accidant mirabilia.
3. Quomodo nos illa debeamus conſiderare vel intueri.

I. Pars.

De ſanctis ſæpè ſcriptura loquitur, maximè verò Pſalterium, Pſal.12.v.2. Defecerunt ſancti,

Pſal.

Psal.16.v.3. In sanctis complacitum mihi.

Psal.30.v.5. Laudate Dominum sancti.

Psal.31.v.24. Diligite Dominum omnes sancti.

Psal.34.v.10. Timete Dominum omnes sancti.

Psal.79.v.2. Carnes sanctorum dederunt escam volatilibus.

Psal.86.v.2. Custodi me quia sanctus sum.

Psal.97.v.10. Custodit Dominus animas sanctorum.

His locis, vt & aliis plurimis sancti vocantur, non sancti defuncti vt Prophetæ, Apostoli, multò minus illi canonisati ab hominibus, & multi quos Pontificij sanctos vocant in cœlis, sed sancti in scriptura etiam vocantur homines viui in terris. Non quod careant peccatis, sed quod fide in Christum (qui est sanctificatio nostra 1. Cor. 1. v. 30.) sint sanctificati & mundati. 1. Cor. 6. v. 11. Et vno verbo sancti sunt fideles & credentes in Christum. Hoc liquidò constat ex Psal. 12. v. 2. & 31. v. 24. vbi post vocabulum [sancti] statim additur, [Fideles aut credentes] vt scilicet ostendatur, quos ipse sanctos appellet. Ideoque & Dauid semetipsum Psalm. 82. suprà vocat sanctum, & scriptura Noham atque Lothum iustos & perfectos atque sanctos vocat, quos tamen omnes constat fuisse peccatores. Et immotum manet id Psalm. 32. vers. 7. Pro remissione peccatorum orabit ad te omnis sanctus. Ex his constat, quod Psalmus hoc loco loquatur de piis atque credentibus, qui in his terris militant.

II. Pars.

De piis itaque & credentibus, adeoque propter Christum in oculis Dei sanctis, pronunciat Psalmus, quod mirabiliter Deus agat cum ipsis.

Non enim loquitur de miraculis, quæ per illos sanctos Dei homines fuerunt edita, sed quod illi ipsi à Deo mirabiliter regantur atque ducantur. Idque partim in vita, partim in morte obseruatur.

1. Etenim quos vult euehere & rebus magnis præficere,

cere, illos prius ita abiicit, ita deprimit, vt videantur nunquam emersuri. Exempla sunt obuia. Iosephus in exilium eiicitur, venditur, imò in carcerem detruditur. At deinde Regis fit vicarius. Dauidem prius exulare & mille mortis pericula adire oportet, quam euehatur ad regnũ. Sic de cæteris. Moses ex aquis educitur, &c. Exod. 2.

2. In spiritualibus eadem est ratio & crebrior ferè mutatio. Nam quos vult Deus sanare, illos prius vulnerat, quos viuificare, illos occidit, & quos in cœlum collocare vult, ad inferos prius detrudit.

Hinc illæ voces. 1. Sam. 2. Mortificat & viuificat Dominus, &c. Deut. 32. v. 39.

Psal. 71. Ostendisti mihi tribulationes: Sed reduxisti me Psal. 116. v. 3. Vincula mortis, &c. At Deus audiuit.

3. Et quam mirabile est hoc, quod impij plerumq; sunt felices. Pij verò infelices in hoc mundo. De hoc Psal. 73. Ierem. 12. & Hiob. 21.

4. Nec minus mirabile est hoc, quod pij citò interdum abripiuntur morte, impij viuunt ad multos annos. Hiob. 21. v. 7. Impij placida sæpe morte decedunt. Hiob. 21. vers. 13. Sie erschrecken kaum ein Augenblick vor der Hölle. Pij verò diu torquentur, sæpè etiam tristi casu pereunt, vt Iosias, & triste sui desiderium relinquunt.

Verè hoc est mirabile in oculis nostris, sicut id de quo Christus Matth. 21. v. 42.

III. Pars.

Quo animo igitur hæc omnia accipienda? Wie müssen wir vns drein schicken? Quomodo hæc ad vsum nostrum accommodanda?

Scitote hoc, & cognoscite, inquit Psalmus. Nisi enim hæc exactissimè cognoscamus, offendet nos mirabilis illa gubernatio Domini. Sicut patet ex Psal. 73. Hierem. 12. vers. 1.

Docet itaque hic locus, ne offendamur, si videamus hunc peruersum modum (vt quidem rationi humanæ vide-

videtur) tractandi sanctos: Neq; Deo tribuamus iniquitatem, vel accusemus ipsius gubernationem. Mirabile enim consilium eius, Esa. 28. v. 29. Vnd er führets herrlich hinauß. Hunc igitur Dei morem obseruare debemus, nec erremus.

Patientiam hæc excitabunt in animis nostris. Et dicemus, Gratum est mihi Domine, Psal. 119. vers. 71. Et sciendum, quod cogitationes Domini distant à nostris, quantum distat cœlum à terra, Esa. 55. v. 9.

ADMONET etiam hic locus, ne temerè & sinistrè iudicemus de his, cum quibus Deus videtur malè agere: Sicut illi de cœco iudicant, Ioan. 9. v. 2. & de oppressis atque Galilæis, Luc. 13. vers. 2. Iudicium hoc Christus reprehendit. Cogita autem, si sanctis hoc accidit, quid de impiis fiet. Si hoc in viridi fit, Luc. 23. v. 31. Et 1. Petr. 4. v. 8. Rom. 11. v. 21.

CONSOLATIONEM etiam habet locus, ne desperemus in afflictionibus. Dann vnser HERR Gott machts nicht anderst mit den Seinen. Quem diligit, castigat, Hebr. 12. Prouer. 3. Quem deprimit, exaltat, quem humiliat, magnificat, Psal. 18. v. 35.

Sciamus, non perpetuam fore fluctuationem iusti, Psal. 55. v. 23. Sed qui seminant in lachrymis, Psal. 126. v. 5. Huc pertinent etiam illa 2. Corinth. 4. v. 17. 2. Tim. 2. v. 11. Rom. 8. v. 17. & 28. Ecce quam necesse sit scire, quod mirabilis Deus in sanctis suis.

FINIS.

THEMA III. CLASSIS VII.

Psal. 56. v. 9.

Dinumera fugas meas, collige lachrymas meas in vtrem tuum, absque dubio sunt in numerato tibi.

DISPOSITIO.

Psalmus 84. v. 7. vocat hanc terram, vallem ærumnarum, & alludit ad vallem Bochim, id est, lachrymarum, sicut

ſicut Iudic. 2. appellabant locum propter fletum populi. Tot enim & tantæ hîc ſunt miſeriæ, quæ homini etiam cordato lachrymas poſſunt exprimere. Quamuis autem videatur nihil eſſe inanius lachrymis, vel quod citiſſimè areſcant, vel quod nihil moueant quenquam, aut tamen nihil efficiant, tamen Dauid de lachrymis piorum hîc aliter ſentit, & Deo curæ eſſe teſtatur, non minus quàm fugam & exilium ſuum. Quia igitur fieri poteſt, vt nos etiam aliquando ſolum vertere cogat neceſſitas, aut tamen calamitas aliqua lachrymas exprimat, agite quæ Dauidis fugientis & lachrymantis fuerit conſolatio, videamus.

I. *De fuga Dauidis.*

Nota vobis eſt hiſtoria Dauidis, quem Saul integro ferè decennio perſequutus fuit, vt perpetua quaſi fuga vitam ſeruare coactus fuerit. Neque enim ſemel atque iterum fugam arripere cogitur, ſed toties, vt vix ipſe numerare poſſit præ anguſtiis. Nam ad minimum viginti quatuor vicibus fuga ſibi conſuluiſſe legitur. Primum enim Saulem furioſum fugere cogitur, cum vellet

1. Ipſum lancea traiicere & affigere parieti, 1. Sam. 18. verſ. 12.

2. Idq; ſecunda vice factum legitur. Prima itaq; hæc & ſecunda fuga eſt Dauidis. Licet enim non fugerit procul, tamen fuit in ſummo vitæ diſcrimine; quis enim non metueret ab homine furioſo?

3. Fugit in campum, & abſcondit ſe ex conſilio Ionathani, 1. Sam. 19. v. 2.

4. Fugit Dauid cum denuò peteret ipſum Rex lancea, 1. Sam. 19. v. 10.

5. Eodem cap. v. 12. per feneſtram demiſſus fugit ad Samuelem in Naioth.

6. Ex Naioth fugiens venit ad Ionathan, cap. 20. v. 1.

7. Poſt fugit ad Ahimelech in Nobe, cap. 21. v. 1.

8. Dehinc fugiens venit in Gath, ſimulans inſaniam, cap. 21.

9. Ex

9. Ex Gath fugiens venit in ſpecum Adullã, cap. 22.
10. Et inde venit in Munitionem quandam, Ibidem.
11. Monente Propheta Gad, ex præſidio ſecedit in ſyluam Hareth.
12. Proditus à Doëgo venit in Kegila.
13. Et inde in deſertum fugit in Siph.
14. A Siphitis proditus Sauli.
15. In Maon deſcendit.
16. Inde in præſidium Engedi.
17. Inde in ſpeluncam, in qua Saulẽ offendit, cap. 24.
18. Ex ſpelunca in præſidium, v. 23. ibid. & poſt
19. In deſertum Paran.
20. Inde in Hachila.
21. Et inde in deſertum.
22. Et poſt colloquium cum Saule ad Philiſtæos in Gath. cap. 27. Et tandem in Ziklag ſecedit. Ibiq; non ſine periculo fuit vſq; ad mortem Saulis.

Sed & Rex factus fugit à filio Abſalone, 2. Samuel. 15. Summa, tot ſunt fugæ, vt amplius fugere nolit, cum daretur illi optio, 2. Sam. 24. v. 13. Quæ autem conſolatio Dauidis, cum toties locum mutare cogitur? Vna hæc, quod Dominus nouit & numerat fugas illas. Sicut & Iob 14. v. 16. Dominus numerat greſſus meos. Ideoq; etiam ſperat, Dominum facturum finem, & liberaturum, atque compenſaturum hæc omnia. Quod & factum eſt, & multis Pſalmis decantatum.

Locvs I. Videmus, verum eſſe id Pſalm. 4. v. 4. quod mirabiliter ducat Dominus ſanctos ſuos. Quem enim regno donare vult, illum eodem toto regno pellit, & exulare facit. Interim tamen toties ex præſentiſſimo periculo vitæ liberans ipſum Dominus, docere vult, nullum eſſe tantum periculum, ex quo ipſe non poſſit liberare ſuos. Nemo itaque deſperet. Quin potius ſciamus, hunc eſſe morem Dei, vt non prius iuuet, quam vbi de omni auxilio humano deſperauerimus. Hinc adiutor in neceſſitate dicitur, Pſal. 9. ver. 10. & 46. verſ. 2. Dum neſcimus igitur

quid

quid faciendum, oculos ad ipsum attollamus. 1. Par. 20. v. 12. Psal. 121. v. 1.

II. Qui vel religionis causa, vel oppressi ab aliis, locum mutare coguntur, nec fixam habere possunt in patria sedē, consolentur sese, quod Dominus numeraturus fugas, & comes sit ipsis futurus, & reducturus suo tempore, vel ad hanc, vel ad cœlestem patriam. Qui dixit Iosepho Matth. 2. Abi, dixit etiam, Redi.

Locvs III. Quod si maximè fixam in his terris ad tempus sedem concedit, sciendum tamen, nos hic non habituros manentem ciuitatem. Heb. 13. v. 14. sed aliquando hinc etiam fugiendum & migrādum. Patienter autem istud iter ingrediendum, quia Dominus iam parauit locum Ioan. 14. quia fugæ tempus nouit.

II. De lachrymis.

Inter tot miserias & tot exilia non est dubium Dauidem non semel profudisse lachrymas, quamuis fortissimus fuerit. At inquis, quid prodest lachrymari? Lachryma nihil citius arescit, prouerbio dicitur. Quis est qui lachrymas curet? Imò maximè, inquit, Deus est qui colligit, tanquam res pretiosissimas, in vtrem suum. Imò sicut fugas, ita & lachrymas omnes, in numerato habet. At quid tum postea, si maximè numeret & colligat? Hoc vult, solicitam Dei curam & prouidentiam in tantis afflictionibus non fore frustraneam: sed Dominum suo tempore abstersurum illas lachrymas, & abundè compensaturum illas ærumnas, si maximè nemo hominum illis moueatur, vel compatiatur ipsi.

I. Consolatio ingens ex hoc loco peti debet, ab omnibus qui sunt afflicti & derelicti ab hominibus, quorum interdum vnicum hoc est refugiū, vt lachrymis apud Deum suum dolorem exprimant. His miseris est flere quædam voluptas. Expletur enim lachrymis egeriturque dolor. Deo certè lachrymæ istæ cor feriunt, sicut de lachrymis viduæ habetur Syr. 35. v. 18. Lachrymanti

Hiskię vitam prorogat, Esa.38.v.5. Flentem viduam Christus consolatur, Luc.7.v.13. Imò absterſurus est lachrymas ab oculis in nouissimo die, Esa.25. Apoc.21.

Si igitur aliter non potes, quisquis afflictus es, effunde lachrymas tuas coram Deo. Is colliget, numerabit, & absterget, vel hîc vel illic. Vide Psalm.126. Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.

II. Errant qui putant turpe esse flere virum, etiam in casu aduersissimo. At Christus Dei filius fleuisse legitur, Ioan.11. Luc.19. Flet Dauid, 2. Sam.15. miles fortissimus. Et Hiskia Rex optimus, Esa.38. Et nescio, an laudandi illi ἄστοργοι, qui flere non possunt.

III. Peccant qui illudunt flentibus: quin imò flere cum flentibus iubet Paulus, Rom.12.v.15. Afflicto autem non addas afflictionẽ, Syr.4.v.3. His dicitur, væ, qui ridetis, Luc.6.v.25. Vide Psal.137.v.1.& 3. At sequitur vltio, v.8.

IV. Cauendum autem à lachrymis Crocodili, vt vocantur prouerbio. Quales erant illæ Iud.14.v.16. Et Saulis, 1.Sam.24.v.17. Certè enim illas etiam Deus numerat, at non colligit, sed punit suo tempore. Odit enim omnem hypocrisin.

FINIS.

Thema IV. Classis VII.

Psal.75. v.9.

Calix in manu Domini vini meri plenus infusus, & effundit ex eo: Veruntamen feces eius sorbebunt, & bibent omnes impii terræ.

DISPOSITIO.

Dilecti, ex Ierem.16.v.7. patet, veteribus in more fuisse positum, vt ad deductionem funeris his, qui illud cômitabantur, & sic lugentibus darent potum, ad recreationem & depulsionem luctus immodici, sicut hodiè etiamnum in locis quibusdam id in vsu esse, historiæ referunt. Quamuis autem hoc apud nos non soleat fieri, tamen

tamen nos vobis, qui præſentes adeſtis, hauſtum aliquem ex calice Spiritus ſancti propinabimus, de quo Pſalmi verba, quæ legi audiuiſtis, mentionem faciunt, & quod vino meraciſſimo hic calix plenus, & à Domino infuſus ſit, docent. Quia igitur pauci alioquin abhorrent & rugiunt, vbi calices vino generoſo pleni ſunt, accedite cordibus veſtris huc, vt potum accipiatis: quia ad omnes hic hauſtus poterit pertingere.

Vt autem rectius intelligamus quid hic dicatur:

1. Oſtendemus qualis hic calix, & qualis hauſtus.
2. Quibus hic hauſtus propinandus à Domino.
3. Et quomodo ſapiat, aut conducat bibentibus.

I. *Pars.*

Calicis frequens fit mentio in ſcriptura, & vtplurimum Metonymicè & Synecdochicè vſurpatur, pro eo, quod in calicem funditur, aut è calice bibitur. Sicut autem ex calice bibitur, vel quod gratum & iucundum, vel quod amarum eſt: ita ſcriptura duplicis calicis facit mentionem.

1. Vel enim calix ſumitur pro lætitia, Pſal. 23. v. 5. Calix meus inebrians. Et oleum additur, quod lætitiam denotabat.

Pſal. 116. Calix ſalutis, pro lætitia.

2. At ſæpius calix in ſcripturis ſignificat afflictiones & triſtitiam, crucem & amaritudinem. Sic hoc loco calix vino meraciſſimo infuſus ſignificat hauſtum crucis amariſſimum. Ita Matth. 20. v. 23. & Matth. 26. v. 39. calix paſſionem ſignificat.

Ideoq; interdum additur, calix ira plenus, Ier. 25. v. 15. Eſa. 51. v. 22. Calix furoris, Ezech. 23. v. 33. Calix triſtitiæ & miſeriæ.

Vinum illud meraciſſimum ſignificat hauſtum amarum, quia facit triſtes; Et ideò ſæpè vocatur calix titubationis, quia ſicut ebrij titubare ſolent, ità afflicti præ defectu virium interdum ſolent titubare. Vide Eſa. 51.

Vsvs huius loci erit (inter cætera) hic, vt qui calices & pocula frequenter manu versare solent, de hoc etiam calice Domini sæpius cogitent, & ita bibant, ne in ἀσωτίαν Ephes. 5. v. 18. incidant, & calicis Domini obliuiscantur. Cogitent non omnia vasa euacuanda. Prouerb. 23. v. 30. Mögen sich wohl auff ein Trunck sparen: & exspectent calicem de manu Domini.

II. Pars.

At quibus ex hoc calice bibendum? Omnibus tam piis quam impiis. [Es ist ein Vmbtrunck/ oder Reyentrunck/ Haustus circularis, vt vocāt.] Nemo poterit hoc recusare, quia calix est in manu Domini. Nemo facilè recusat accipere poculum de manu principis. Magis ex manu Dei accipiendus calix vbi propinauerit. Ier. 25. v. 17. Infunde omni populo. Vide illic. Habac. 3. v. 16. Calix dexteræ Domini vocatur.

Impios igitur quod attinet, coguntur illi bibere, velint nolint.

Ier. 25. v. 28. Si nolunt accipere calicem, dic, Bibite, &c.

Ier. 49. v. 12. Oportebit te bibere. Du must. Thren. 4. v. 21. Et te bibere oportet.

Ezech. 23. v. 32. Calicem sororis bibes: & ibi sæpius repetitur. Du must trincken/ sauffen.

Pij verò quoq; bibent, & à Deo affligentur. Sunt enim illi etiam peccatores.

Illi quidem non inuiti bibent. Propinatus est hic calix etiam filio Dei Matth. 26. Et Ioanni atque Iacobo dicitur Mat. 20. Calicem meum bibetis. Nec parcet suis Dominus, licet certis peccatis non sint promeriti pœnas: Vide Ierem. 49. v. 12. Et Ierem 25. v. 29.

Vsvs huius loci erit, vt impij videntes affligi pios, non gratulentur sibiipsis, ac si ipsos iam præteriisset calix, memores istius loci Thren. 4. v. 21. Es wirdt baldt an dich kommen. Huc pertinent illa quæ Luc. 23. v. 31. 1. Pet. 4. v. 18. habentur.

De piis mox iam sequetur.

III. Pars.

III. *Pars.*

At quomodo ſapit hic hauſtus? Ad quid conducit? De piis primum dicemus. Eſt quidem illis etiam hic hauſtus amarus, ideò Chriſtus precatur, Tranſeat à me. Et calix titubationis Eſa.51.ipſis eſt. Ideò conqueritur Pſalm. 60. v.5. & Pſal.80. v.6.

1. At ſalutaris ipſis eſt hauſtus, non exitialis. Quia calix Domini. Et Matth. 20. Meum calicē bibetis. Chriſtus præbibens ſanauit. Hinc, Bonum eſt mihi quod humiliaſti, Pſal.119.v.71. 1.Cor.11.ne cum mundo pereamus. **O wie eine geſunde Purgation/wanns gleich bitter iſt.**

2. Non infundit nimium Dominus, 1.Cor.10. Non vltra vires, 2.Cor.4. Momentanea afflictio, Pſal.30. Momentum iræ, Eſa.57.v.16. Non in æternum. Hinc id Eſa. 51. Auferam calicem de manu tua, v.22. **Sie trincken das lauter oben herab** / non feces, hoc eſt, **Gott machts nicht zu grob.** Non perdere ſed ſanare vult ipſos.

3. Et additur calix conſolatorius. Ierem.16.v.7. Prophylacticon verbi Dei additur, ne noceat calix.

Vsvs. Patientiam docet hic locus, vt non murmuremus ſi affligimur. Mich.7. Iram Domini portabo.

Huc pertinent illa Rom.8.v.17.28. 2.Tim.2.v.11. **Thue eben als trinckeſtu ein Purgatz/ꝛc.** Explica ſimile.

De impiis alia eſt ratio. Illis eſt calix furoris Domini, & exitialis. De hoc Pſalmus noſter, feces bibent. Ezech. 23.v.33. **Rein außſauffen/ꝛc. Scherben lecken.**

Vide etiam Ier.25.v.27. Hab.3.v.16. Ier.49.v.13.

Hoc eſt illud Ier.12.v.3. Et Pſal.73.v.18. Iob.21.v.18.

Vsvs. Vides differentiam inter afflictiones piorū & impiorum. His venenū, illis pharmacum. Pietati ergo ſtude.

THEMA V. CLASSIS VII.

Pſal. 73. v. 1.

Profecto bonus (germ. Conſolator) Iſraeli Deus, his qui mundo ſunt corde.

DISPOSITIO.

Ex inſcriptione huius Pſalmi patet, hæc quæ legimus, eſſe verba Prophetæ illius & Muſici excellentiſſimi Aſaphi, de quo 1. Par. 16.17. & 26. & 2. Par. 33. plura habentur, ſcilicet quod non tantum Muſicæ ſacræ apud tabernaculum fuerit præfectus, ſed dono Prophetiæ inſigni ornatus, vt ipſe plures Pſalmos conſcripſerit, ſicut & illi digni habiti ſunt qui cum Dauidicis coniungerentur. Nos verò iam initium Pſalmi & verſum primum tractare conſtituimus, vbi paucis verbis oſtenditur, quænam piorum in omnibus afflictionibus firma & certa poſſit eſſe conſolatio. Nos verba ipſa primum excutiemus diligentius: Deinde etiam ad vſum noſtrum accommodabimus.

Textus.

1. Primùm oſtendit diſertis verbis Propheta, ſe non loqui de impiis, de gentibus, quæ non nouerunt Deum: ſed de Iſraële, & de populo Dei electo, atque peculiariter vocato, cui Dominus notas fecit vias ſuas. Pſalm. 103. v. 7.

Per Iſraëlem autem hodiè etiam intelligi debent omnes ſancti vocati & electi homines.

Paulo enim teſte Gal. 4. ſunt omnes pii veri Iſraëlitæ. Et Gal. 3. Omnes filii Dei eſtis eo quod crediſtis Chriſto Ieſu. Non eſt Iudæus neque Græcus. Et mox: Si vos eſtis Chriſti, igitur Abrahæ ſemen eſtis, & iuxta promiſſionem hæredes.

Sic Chriſtus etiam Ioan. 8. Qui faciunt opera Abrahæ, filii Abrahæ ſunt.

Explicat id Paulus Gal. 3. v. 7. Qui credunt filii Abrahæ ſunt.

Quicquid ergo de Iſraële dicitur hîc ad credentes pertinet.

2. De Iſraële pronunciat, Quod bonus Iſraëli Deus. In germ. Iſraël hat Gott zum Troſt.

Et reſpicit his verbis ad ſequentia Pſalmi, vbi de infelicitate piorum & felicitate impiorum diſſerit. Et hoc

vult:

vult: Licet videantur pii à Deo deserti & impii ipsi magis curæ & cordi esse, quia abundant bonis: tamen certum est, piis omnem in Deo esse firmam consolationem, licet iuxta externam faciem Deus inimicus illorum esse videatur.

Et illam consolationem intrinsecus in corde sentiunt, si maximè foris appareant perturbatissimi. Declaraturus etiam est Dominus suo tempore paternum animum ergà ipsos, facto & opere.

3. Hoc tamen addit, His qui mundo corde sunt, bonus & consolator est Dominus.

Multi sunt Christianis admixti mali & hypocritæ, sicut inter Israelitas multi non veri Israelitæ, sed Abrahami nothi & spurii erant, ideoque Christus negat Iudæos illos esse filios Abrahæ. Ioan. 8. His Dominus erit seuerus Iudex. Psal. 7. v. 13. At beati mundo corde, quia ipsi videbunt Deum. Matth. 5.

Non quod pii carere debeant omni peccato: sic enim nemo hominum potest dicere, mundum est cor meum Prou. 20. v. 9. sed quod mundati sint sanguine Christi 1. Ioan. 1. v. 7. iusti per fidem. Roman. 5. v. 1.

LOCI.

I. Docemur non ab externo euentu iudicandum de benignitate & paterna Dei ergà nos cura. Alioquin sequeretur, Deum omnibus ferè piis fuisse inimicum, quia multis illi aduersitatibus fuerunt circumuenti. Ioseph. Moses. Dauid. Daniel. Iosia. Iosaphat. Iehiskia. Prophetæ. Apostoli, Martyres. Et hodie piissimi quique, quos odit mundus. Ioan. 15. Veteres dixerunt:

Careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putet.

Respiciendum autem ad verbum Dei, hoc ipso reuelatum Psalmo, & Ierem. 39. v. 18. Hiob. 27. v. 6. & 33. v. 28. Psalm. 37. v. 37. Prou. 3. v. 11. Hebr. 12. v. 5. & seqq. Ioan. 16. v. 33. pressura. Rom. 8. v. 29. conformes.

Ideoque propter aduersitates non despondeamus animum, sed dicamus cum Iobe, cap. 13. Etiamsi occiderit me, salus tamen mea erit. Et 19. Scio, quod redemptor. Memores compensationis, Rom. 8. v. 17. 2. Timoth. 2. v. 11. 2. Cor. 4. v. 17. Esa. 25. v. 8. Apoc. 21. v. 4.

Et altè animis nostris infigamus illud Esa. 49. In manu signaui te. Esa. 41. 43. Ego tecum. Ioan. 10. v. 28. Nemo rapiet. Quis separabit? Rom. 8. v. 35. & seqq.

II. Nihil firmæ consolationis in hominibus, in diuitiis, in nobis ipsis aut nostris meritis, inueniri potest. Ier. 17. v. 5. Psal. 146. v. 4. Prou. 11. v. 4. Esa. 64. v. 6. At in Deo spes nostra. Psal. 7. v. 2. & 11. v. 2. & 31. v. 2.

III. Etiam tum prædicanda Dei bonitas cum affligit. Quia bonum est & hoc, Psal. 119. v. 71. 1. Corin. 11. v. 32. Rom. 8. v. 28.

IV. Cauenda hypocrisis & purificanda corda fide, Actor. 15. v. 9. Et orandum Psal. 51. v. 13. Cor mundum. Beati hi, Matth. 5. v. 8.

FINIS.

THEMA VI. CLASSIS VII.

Psal. 116. v. 15.

Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

DISPOSITIO.

Mortem omnes ideò horrent, detestantur, & si possunt, fugiunt, quia mala esse videtur.

Et sanè per se bona esse non potest, quia à Diabolo inuecta, Sap. 2. v. 24. qui malus est. Quia etiam stipendium peccati est, Rom. 6. bona esse non debet.

At licet hæc ita sint, tamen hoc loco multorum mortem nō malam sed pretiosam esse, asserit Spiritus sanctus verbis prælectis. Quod quia in oculis hominū magnum videtur paradoxon, diligentius erit nobis pensitandum.

Dicemus ergo 1. Quorum mors pretiosa esse dicatur. 2. Quomodo & quare talis sit.

I. Pars.

I. Pars.

Non indifferenter de omnibus loquitur Psalmus, quod omnium mors sit pretiosa. Psal.34. v.22. Mors peccatorum pessima.

Mors enim impiorum & impœnitentium certè non pretiosa esse potest, quia ipsis non tantum amara, Syr. 41. sed & iter est ad inferos. Quia cum moritur homo experitur quomodo vixerit. Syr. 11. v. 29. Et de Epulone statim vt mortuus est, legitur quod fuerit in inferno. Luc. 16. v. 23. Et grauissimum est, quod illi non semel tantum moriuntur, (vt pii) sed bis. Secunda mors exspectat ipsos Apoc. 20. vers. 14. grauiorque multo est prima, quia perpetuò moriuntur, & non possunt emori. Hinc Psalm. 49. v. 15. Mors depascet eos, Der Tod naget sie ewiglich.

Ideo secundum Augustinum hoc, quod sequitur mortem, ipsis malam facit mortem.

Certè hoc pretiosum non est: nisi fortè per accidens cæteris hominibus viuentibus mors malorum sit pretiosa, quia sic purgatur morte illorum prouincia. So kompt man der losen Leut ab/ wann sie sterben. Ipsis verò morientibus non pretiosa sed pernitiosa mors est.

At sanctorum mors pretiosa est. Sancti qui sint & dicantur in scriptura, vide supra in hac Classe septima, in Dispositione Thematis 2. partem 1.

Hi sunt iusti illi, de quibus Esa. 56. Iustus perit. Et Prou. 14. Etiam in morte sperat iustus. Hi non moriuntur propriè dicendo sed obdormiunt. De Stephano dicitur Act. 7. v. 60. Et de Lazaro. Ioan. 11.

VSVS huius loci erit hic inter cætera, vt, quia tam magna est differentia inter mortem pii & impii, nos sic agamus, vt computemur inter sanctos. Sap. 5. v. 5. & inter iustos, vt mors quoque nostra sit pretiosa. Sic enim salui erimus.

Sed quomodo possumus fieri sancti & iusti?

Sit cor purificatum fide Act. 15. v. 9. Tunc fide iustificabimur. Iustificati autem fide pacem habemus cum Deo.

Rom. 5.v.1. Quia imputatur nobis iusticia Christi, qui factus pro nobis sanctificatio 1. Corinth. 1. vers. 30. etiam nos sanctificauit. 1. Corinth. 6. vers. 11. per nomen suum & spiritum Dei nostri. Inde in nouitate vitæ ambulandum, iuxta id, Sancti estote, quia ego sanctus sum. Leuit. 19.v.2. Et hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. 1. Thes. 4.v.3. Quicquid autem in nobis hæret immundi, illud omne Christus mundabit sanguine suo. 1. Ioan. 1.v.7. vt appareamus sancti coram Deo.

II. Pars.

At inquis, Non video quomodo mors sanctorum sit pretiosior quàm impiorum, vterq; perit, & pius & impius, & eadem eueniunt vtriq;. Eccl. 9.v.2. Perit quoque memoria vtriusque, & ambo in puluere iacebunt. Hiob. 21.v.26.

Respondeo. Verum est quod coram hominibus nec sanctorum mors videatur magni pretii. Per se enim mors pretiosa non apparet, quia est separatio animæ & corporis.

Et multi sanctissimi homines perierunt in magnis tormentis, Prophetæ, Apostoli, Martyres.

Ideoque nec coram aliis apparet pretiosa, quia sic videntur perire sancti in ignominia.

Deinde etiam boni eos amittunt, quos viuos habuerunt in magno pretio, ideoque his vita illorum magis videtur pretiosa. Nec ipsis forsitan morientibus interdum videtur pretiosa, quia amara mors non sine dolore corpus & animam separat.

Atque simul interit omne quod alicuius erat pretii in ipsis, corporis elegantia, ingenium, eruditio, dexteritas, diuitiæ.

Nihilque restat præter fætorem & putredinem, quæ nullius pretii æstimantur.

At notanda verba Psalmi, qui dicit mortem pretiosam non coram hominibus, sed in conspectu Dei, coram Domino. Aliæ enim sunt cogitationes Dei, Esa. 55.v.9.

Co-

Coram insipientibus videtur mors piorum esse afflictio. Sap.3. v. 2. At coram Deo pretiosa est. Is enim obseruat illorum vitam & mortem. Et sicut non cadit capillus sine ipsius voluntate, ita nemo illorum Deo nesciente moritur.

Et licet nemo sit qui ad animum reuocet (Esa. 56. in fine) Deus tamen numerat illorum gressus & lachrymas colligit. Psalm. 56. v. 9.

Inter sua κειμήλια Deus asseruat eos. Hinc 1. Sam. 25. vers. 29. fasciculus viuentium. Et viuunt coram ipso. Mat. 22. vers. 32. Redempti enim pretioso sanguine Christi 1. Pet. 1. quod auro pretiosius est.

Et quam pretiosa sit mors illorum inde potest intelligi, quod seuerissimè vindicat mortem, si quando ab aliis inferatur. Patet exemplo Zachariæ. 2. Par. 24. v. 25. Mat. 23. Gibeonitarum à Saule occisorum, 2. Sam. 21. v. 5. & Israëlitarum qui ab Amalechitis trucidati. Deut. 25. v. 17. 1. Sam. 15. vers. 2. Sed & omnium piorum mors pretiosa coram eo, hac ratione.

Primum quod animas illorum suscipit. Sap. 3. vers. 3. 9. Quod patet Exemplo Lazari. Luc. 16. v. 22. Vide Psal. 34. v. 23. Deinde quoque omnia illorum ossa custodit, Psal. 34. v. 21. & viuificabit ossa arida, vt Eze. 37. Tertiò. Memoriam quòque iusti post mortem in benedictione conseruat. Psal. 112. v. 6. Prou. 10. v. 7.

Et posteris quoque benefacit. Generationi rectorum benedicetur. Psalm. 112. vers. 2. Non vidi semen iusti. Psal. 37. v. 25. Benefaciens in mille generationes. Exod. 20. vers. 6.

Quartò. Sequitur compensatio omnis doloris 2. Cor. 4. vers. 18. & 2. Tim. 2. v. 11. & abstersio lachrymarum. Esa. 25. Ap. 21.

CONSOLATIO pro morituris piis & afflictis hæc est maxima, præsertim si mundi contemptus, odia, ludibria, vel supplicia sustinuerunt: Sed & ad hos pertinet, qui fideles in officio serui Domini, vel immatura aut acerba mor-

morte abripiuntur, vel trifti cafu pereunt: Quod Deus mortem illorum fic in pretio habeat, vt animam, & corpus, & memoriam quoq; feruare velit, ficut diximus.

Patienter itaq; fe fubiiciant voluntati diuinæ, memores coronæ repofitæ, 2. Tim. 4. 1. Pet. 5. Dan. 12. v. 3. Merces in cœlis, Luc. 6. Ego merces tua magna, Gen. 15.

FINIS.

THEMA VII. CLASSIS VII.

Efa. 54. v. 7. ad 9.

In momento dereliqui te, fed æternis miferationibus affumam te, &c.

DISPOSITIO.

Confolatur Efaias his verbis ex ore Domini Ecclefiam, quæ in tribulationibus videtur derelicta à Deo fuo. Eftque tanta vis horum verborum, vt fi alia nulla per totum vetus Teftamentum extaret confolatio, tamen Ecclefia in hac poffet tutò acquiefcere. Quod autem de tota Ecclefia dicitur, illud in fpecie de omnibus illius membris intelligi debet.

Primùm itaq; verba ipfius Domini, qui caput eft Ecclefiæ & membrorum eius, examinabimus. Deinde locos etiam principaliores fubiiciemus.

Textus.

1. Dereliqui te, inquit Dominus. Sic n. tibi videtur in afflictionibus, vbi non fentis meum auxilium, licet ego nũquam tibi defim, quia in manu mea fignaui te, Efa. 49.

2. Quomodo autem dereliquerit, aliis verbis exponit clarius. Abfcondi faciem meam. Simulabam me à te difceffiffe: ficut folent interdum parentes ludere cum filiolis, vt experiantur, an difceffum ipforum ægrè velint ferre. Ibi tum querulantur, eiulant, & hinc inde difcurrentes inquirunt locum, vbi lateant parentes. Sic Deus interdum ludit cum fuis dilectis filiis.

3. Quan-

3. Quando autem dereliquerit Ecclesiam suam, & quando simulauerit absentiam, hîc additur. In momento indignationis meæ. Tum enim videtur DEVS irasci Ecclesiæ suæ, cum illam sinit affligi, & vel hostium potestati subiicit, (sicut tempore Iudicum factum erat) vel verbum paulisper subtrahit, (sicut tempore Eli carum erat & rarum verbum Domini, 1. Samuel. 3. vers. 1.) vel aliis calamitatibus premit: partim vt sic castiget illius næuos, partim vt fidem, spem & patientiam suorum probet, & preces faciat ardentiores, Esaiæ 26. vers. 16.

4. At (inquis) grauissima est hæc tentatio, vbi multi possent desperare de auxilio diuino: si Deus videatur irasci, & premat grauius. Hinc Psal. 77. v. 10. Oblitus est Dominus misereri?

Verùm non tanta est hæc indignatio, vt perire sinat Dominus, sed mox manum supponit & iuuat, nec vltra vires tentari sinit. Hoc est, quod dicitur, In momento. Et quidem paruo momento dereliqui. Et repetit, quod indignatio etiam tantùm sit momentanea.

5. Mox enim solatium & auxilium præstò est. Post vnum paruum momentum magnis miserationibus congregabo te. Et post momentum indignationis æternis miserationibus respiciam te. His verbis non tantùm gloriosam liberationem promittit, sed simul ostendit, quare tempus afflictionis, quod interdum videtur esse longissimum, vocet momentum, quia scilicet collatum ad æternitatem vix potest dici momentum. Mille anni coram Deo, Psal. 90. v. 4. 2. Pet. 3. v. 8.

Et quantò videtur maior afflictio, tantò gloriosior erit liberatio. Hæc æterna, illa momentanea.

6. Atque ne quis existimet, verba dari Ecclesiæ, & ipsam vana spe lactari, addit, Hæc dicit, non homo, sed Dominus. Nec Dominus iratus & iudex, sed Dominus Redemptor tuus. Qui totus in eo est, vt redimat, liberet, & tandem glorificet te.

LO-

LOCI.

Quia ex dictis loci facilè ſurgunt, breuiter illi tantùm erunt attingendi, & coram Eccleſia ex pharaphraſi illa amplificandi.

I. Animis noſtris infigenda hæc conſolatio, quia veniet tempus, vbi Deus videbitur dereliquiſſe & abſcondiſſe faciem, atq; indignari nobis. Experti hoc referunt Dauid & Iob, Pſal.13. Vſquequo obliuiſceris mei?

Pſal.10.v.1. Receſſiſti longè. Abſcondis faciem.

Pſal.22. Deus meus vt qui me dereliquiſti.

Iob.30.v.21 Mutatus es mihi in crudelem.

Thren.3.v.9. Aures obturauit, & lapidibus quadris.

Hæc etiam ignita tela in nos Satan torquet.

At ſciendum, 1. Deum tantum ſimulare abſentiam, Eſa.49. Non poteſt mulier obliuiſci infantem.

2. Non eſſe furorem Domini, ſed paternam tantùm indignationem, 1. Cor.11.v.32. Sic orat Pſal.38.v.2. & 6.v.2.

3. Et momentum ira eius, Pſal.30.v.6. Non ex corde affligit. Thr.3.v.33. Non vltra vires. 1. Cor.10. Eſa.28. in fin.

4. Glorioſior erit liberatio. Quia redemptor nomen illius, Iob.19.v.25. Pſal.19. in fine. Et paſſim in Pſalmis.

II. Videmus verum illud Pauli, Rom.8.v.18. Non reputo pares. Momentum indignatio. Miſeratio æterna. Sic 2. Cor.4.v.17. Momentanea leuitas. Hæc facient ad excitandam in animis noſtris patientiam ſub cruce. Quia maior gloria, quam afflictio, liberalior compenſatio quàm preſſura, Ioan.16. At non calculo humanæ rationis tempora computanda, ſed calculo verbi diuini.

III. Magis pronus eſt Dominus ad iuuandum quàm ad opprimendum & perdendum.

Hinc non Iudex, Vaſtator, Perdens, ſed Redemptor gaudet dici. Conſolationem hæc præbent. Huc pertinent ea etiam quæ Thren.3.v.33. Ier.31.v.20. & 25. At pro piis hæc dicuntur. Impiis iudex erit, Pſal.7.v.12.

FINIS.

Thema VIII. Classis VII.

Psal. 118. v. 17.

Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.

DISPOSITIO.

Hæc verba plena gaudii & tripudij Propheta refert in persona Domini & Seruatoris Christi. Etenim cum ipse Dominus locum de lapide angulari ex hoc Psalmo de se alleget, Matth. 21. Luc. 20. constat illum de Christo intelligendum. Quia autem omnes Christiani sunt membra Christi, Ephes. 5. v. 30. pertinent hæc verba ad omnes; Et conuenit omninò, vt Christiani in ipsis mortis præsentissimæ periculis Christum, vtpote suum caput, his verbis præeuntem sequantur.

Primum itaque hæc verba excutiemus: Deinde quomodo hanc Christi vocem corde fideli repetere & imitari debeamus atque possimus (Wie wir jhme nachsprechen sollen) ostendemus.

Textus.

Non moriar, sed viuam, inquit Christus. Vox est hæc triumphantis & exultantis Christi, aduersus omnes hostium conatus. Ipsum enim oppugnabant Satan & mundus, & extinctum volebant, ex antiquo illo vaticinio, Insidiaberis calcaneo eius, quod de serpente Diabolo Dominus prædixerat, Gen. 3. v. 15.

At in medio inimicorum suorum dominari debet iuxta Psalm. 110. Quamuis igitur de torrente in via biberit, hoc est, omnis generis tribulationes senserit, tamen caput extulit, secundum Psalm. 110. v. 7. & triumphauit, Ero tibi mors ô mors, Ose. 13.

Sed nunquid mortuus est, inquis, & sepultus? Sic enim confitemur in symbolo. Respondeo: Vere quidem mortuus est, sed quia mox reuixit, & animam Deo patri in manus commendauit, nec periit iuxta Psalm. 16. vers. 10. ideoque mortem illam pro morte non haben-

dam,

dam docet: quia fuit ipsi transitus ad gloriam Luc. 24. vers. 26.

Non enim inuitus reliquit vitam Ioan. 10. Sed sua sponte, & mox recepit illam. Ibid. vers. 18. & propterea sic exsultat.

Neque enim mors potuit impedire quin viueret in æterna gloria.

Licet itaque in oculis hominum visus fuerit mortuus, trucidatus & peremptus, de quo etiam conqueruntur Emauntini Luc. 24. tamen coram oculis Dei patris vixit.

Addit autem, Et narrabo opera Domini. Excitatus enim per gloriam patris Ephes. 1. vers. 20. Rom. 6. vers. 4. ipsius maiestatem deprædicauit, & omnibus manifestari voluit, per prædicationem Apostolorum. Et gentibus nescientibus Deum Ephes. 2. vers. 12. hoc etiam innotuit. Eaque gloriosa operum Domini narratio adhuc durat & in æternum (sicut verbum Domini Luc. 21.) durabit.

LOCI.

I. Et nos in vita & morte hanc Christi exclamationem imitari discamus, vt non terreamur vllo periculo (quod in vocatione nostra est subeundum) nec ipsa morte acerbissima.

Quia enim Christo non obfuit mors, ita nec nobis membris illius. Ioan. 11. Qui credit non morietur. Et certum est quod piis non sit mors, sed somnus, Ioan. 11. Marc. 5. Act. 7. & quies dulcissima. Esai. 56. in fine.

Apocal. 14. vers. 60. Quid igitur horremus mortem? cum post mortem demum vere incipiamus viuere, scilicet apud Deum, cum Abrahamo. &c. Quia viuorum Deus non mortuorum. Matth. 22.

Huc pertinent etiam illa Psal. 16. v. 10. & 17. v. 15. & 68. v. 21. & 56. v. 14. Esa. 38. v. 17. Iob. 19. v. 25. & 13. vers. 15. 2. Cor. 4. v. 9. & Rom. 8. v. 37.

II. Con-

II. Consoletur etiam nos hoc, quod vita nostra (sicut olim Christi) non est in manibus inimicorum nostrorum, sed in manu Dei. Cui viuimus & morimur, Rom.14. vers. 7.

Capillus non cadit, Matth.10.v.30.

Is viuificat & mortificat, Deut.32.v.39.

In manu ipsius vita & mors, Sap.16. Syr.11. Exemplis patet, Dauid, Psal.129.v.2. Athanasius, Lutherus.

III. De morte & interitu piorum, Sic etiam de tribulationibus eorundem aliter spiritus sanctus iudicat, quam homines. Hi putant, sic perire hominem & enecari in ignominia. Mors habetur pro cruciatu & afflictione, Sap.3.v.2.& seq. At aliter Deus pronunciat, quod viuant, quod probentur, quod electi reddantur in fornace, Esa.48.v.10. quod conformes fiant imagini, Rom.8.v. 29. Aliter itaque ipsi etiam sentiant de sua morte & afflictionibus Christiani.

IV. Propositum viuendi in sanctis in eo consistit, vt celebremus opera Domini, Psal. 146. v.2. & Psal.69.v.31. Hoc sit nostrum studium: non quærere opes, propriam laudem.

FINIS.

THEMA IX. CLASSIS VII.

Ecclesiast.9. à vers.1. ad 3.

An dilectio sit, an odium, nescit homo, &c. quæ sequuntur ad vers.3.

DISPOSITIO.

Salomon in libello isto, cui titulus Ecclesiastes, varias huius mundi vanitates, & in his multiplicem generis humani miseriam egregiè nobis descripsit.

Et inter cætera capite octauo conquestus est, quod iustis eueniant mala, quasi opera egissent malorum (sic enim habent verba) & quod impiis eueniant talia, quasi iustorum facta habeant: hoc est, vno verbo, quod piis malè

& impiis benè ſit, Quod rationi humanæ valdè videtur iniquum.

His verò verbis illam vanitatem alia vanitate vult corrigere, hoc innuens: ſcilicet ſi non ſemper & apud omnes id eueniat, de quo dixerit, tamen vt plurimum hoc contingere, vt eadem iuſti & impii ſit fortuna, quorum noſtro iudicio ſicut ſtudia diuerſiſſima, ita etiam diſpar debebat eſſe conditio.

Hinc haud rarò mundi iudicia aberrare à vero concludere voluit Salomon diuerſam nobis oſtendens ſententiam.

Primum igitur quæ ſint de Euentibus & communiter accidentibus mundi iudicia:

Deinde verò quam iſta ſint peruerſa & planè fallacia, oſtendemus.

I. Pars.

Quia homines plerunque ad ea reſpiciunt, quæ ſunt ante oculos, ſolent illi, & de fortuna hominum, & de Dei erga ipſos voluntate iudicare ab Euentibus externis: & ferre tale iudicium, quod poſſit eſſe cœci de coloribus, ſicut dicitur Prouerbio.

Etenim hunc pium eſſe iudicant, qui Dei benedictionem ſentit, & qui fælix eſt in hoc mundo. Hinc Pſalm. 144. Beatum dixerunt cui ſunt hæc, ſc. promptuaria plena, oues fætoſæ, boues craſſi, abundantia &c.

Sic Hiob. 21. v. 7. Impii ſunt felices. Vnde ſcis? Quia abundant diuitiis.

Contra vbique iacet pauper. Et qui pauper eſt non videtur eſſe pius. Imò nonnulli hodie (ô impietas) pauperem nomine hominis vix dignum iudicant, ſed pauperem Diabolum vocant. Es iſt ein armer Teuffel.

Ita etiam de Dei amore vel odio erga homines iudicat mundus, ab euentibus externis.

Quem enim afflictum cernimus, illum Dei indignationem propter ſingulare aliquod ſcelus incurriſſe omnes con-

contendunt. Sic de cœco & parentibus eius iudicant Apostoli, Ioan. 9. Sic de Paulo Melitenses. Actor. 28. Et in hoc totus est Eliphaz, disputans contra Hiobum. Iob. 4. vers. 7. Sic iudicant illi referentes Christo de occisis Galilæis & oppressis in Siloah. Luc. 13.

Hinc Nabal, Haman, Epulo Luc. 16. & Diues Luc. 12. Ahitophel, Saul &c. quoad vixerunt pro felicissimis & Deo charissimis amicis sunt habiti.

Vicissim Apostoli habentur pro desertis, pro abiectissimis & vilissimis hominibus. 1. Corinth. 4. vers. 13. *καθάρματα καὶ περίψημα.*

II. *Pars.*

Quanta autem sit iudicii humani peruersitas, vel ex hoc constare asserit Salomon, quod in hoc mundo eadem eueniant iusto, bono, Deum timenti atque colenti, quæ accidunt iniusto, malo, Deum atque sacra negligenti. Exemplis res manifesta erit.

In bello perit Ionathan pius. Pereunt in eodem Hophni & Pinehas impii. 1. Sam. 4. v. 31.

Sagitta percussus perit Ahab impiissimus. 1. Reg. 24.

Eodem mortis genere occubuit Iosias piissimus. 2. Par. 35.

Lapidatur Ahan nocens Ios. 7. v. 25. Lapidatur Stephanus innocens. Actor. 7. Naboth innocens. 1. Reg. 21. Testes Susannæ nocentes.

Sed & in vita par vtriusque fortuna, bona & aduersa. Æger est Ioram rex impius 2. Par. 21. Ita & Lazarus pius. Diues est Abraham. Diues est Epulo.

In carcerem traditur pistor nocens & Iosephus innocens. Genes. 39. & 40. Captiui abducuntur Daniel & socii pii, & Iudæi impii. Et infinita alia. Quod si ab externo euentu iudicandum, non melior fuit Iosephus pistore suspenso, non Abraham Epulone, non Ioram Lazaro deterior, non melior Stephanus quam Achan. Sicque DEVS non minus amat Epulonem quam Abrahamum,

hamum, non minus irascitur Nabotho quàm Achano. &c.

Quæ hæc erit absurditas & impietas?

I. DOCET itaq; Salomon ipse, Ab externis euentibus de odio vel amore Dei erga homines non posse nec debere iudicari. Ideoque iudicia nostra in his casibus planè esse suspendenda. Alioquin damnamus omnes filios Dei Psalm. 73. vers. 15. Nolite igitur iudicare, inquit Christus Luc. 6. v. 37.

Neq; verò curanda etiam peruersa ista hominum iudicia de nobis: Sed dicendum cum Paulo, Parum mihi est. Deus me iudicat. Vide 1. Cor. 4. v. 3. & seqq.

II. Sicut autem nec iudicare alios, nec aliorum de nobis iudicia multum curare debemus: ita etiam nec Deum redarguere, aut impius vocare, vel iniquitatis nomine ipsi dicam scribere debemus. Quod Hierem. 12. & Psalm. 73. volunt cogitationes humanæ. Habet enim Dominus facti sui causas, nobis vt plurimum incognitas. Ideò vincit cum iudicatur. Psalm. 51. Ierem. 12. Du behelst dennoch Recht.

Sciendum, Occultum esse iudicium Domini, iniquum esse non posse, iuxta Augustinum.

Malis benefacit vt inuitet ad pœnitentiam. Rom. 2. v. 4.

Piis malefacit (si externam fortunam spectamus,) vt castiget, probet & maiori gloria ornet. 1. Corinth. 11. 1. Pet. 1. v. 6. Rom. 8. v. 17.

III. Quia hîc eadem eueniunt piis & impiis, certum est restare aliam vitam, vbi singuli accipient digna factis suis. 2. Cor. 5. v. 10.

Ibi dispar erit ratio. Dan. 12. vers. 2. Ioan. 5. v. 29.

IV. Non itaque desperent pii, non murmurent, sed patienter omnia aduersa ferant, vt faciant voluntatem Domini. Heb. 10. v. 36.

Impii verò non promittant sibi perpetuitatem felicitatis suæ, sicut Psal. 10. vers. 3. sed sciant tantò grauiorem restare pœnam, & tarditatem grauitate compensandam,

dam, si bonitate Dei abusi fuerint, & pœnitentiam non egerint.

V. Pontificij hoc loco abutuntur pro stabilienda sua dubitatione. Contrarium ex correctione translationis, iuxta fontem non tantum, sed & ex sequentibus locis patebit. Phil. 1. v. 6. Rom. 8. v. 38. & 26. & 16. 1. Pet. 1. v. 5. 1. Cor. 1. v. 8. Iesus Christus seruabit ad finem. 1. Pet. 5. v. 10. Qui vocauit, consummabit, confortabit & fundabit.

FINIS.

THEMA X. CLASSIS VII.

Ezech. 24. v. 15. ad 19.

De morte coniugis Prophetæ Ezechielis.

DISPOSITIO.

Tristis admodum & luctuosa est hæc Domini concio ad Prophetam Ezechielē, qua denunciatur illi inopinata mors cōiugis charissimæ. Licet autem tum Dominus populo suo, tam per defunctam, quàm per superstitem Prophetam singulare exemplū futuræ calamitatis proponere voluerit, tamen hæc historia nobis etiam varias poterit subministrare doctrinas. Ideoq; illam in præsenti funere, quod tàm marito defunctæ, quam multis aliis bonis admodum luctuosum est, breuiter excutiemus. Sunt autem hæc duo consideranda: 1. Denuntiatio mortis coniugis. 2. Mandatum Domini quomodo sese Propheta in hoc casu gerere debeat.

I. Pars.

Factum est ad Prophetam verbum Domini tale: Fili hominis. Frequenter Dominus sic appellabat hunc Prophetam, vt patet non hoc tantum capite, sed penè singulis aliis à secundo vsq; ad finem, vbi penè centies sic eundem compellauit.

Idq; haud dubiè hanc ob causam factum, vt Propheta agnosceret, se hominem infirmum esse, licet præclarissimas diuinas reuelationes habuerit. Sed videamus, quid filio hominis nunciatum fuerit.

 1. Tol-

1. Tollam à te aliquid. At dummodò non sit tale aliquid, quod gratum & charum est. Dann verlieren ist für lachen gut. Keiner läst jme gern etwas nemmen.

2. Imò inquit Dominus, tollã id quod charissimum est: Desiderabile oculorum tuorum. Quid hoc sit post ipse Propheta explicat: Cum concionem haberem ad populum manè, vesperi mortua est vxor mea. Vxorem ergo Dominus vocat, Desiderabile oculorum. Non quod propter formæ elegantiam oculis tantum illius placuerit, sed quod charissima ipsi & gratissima fuerit vxor. Die jhne erfrewet/ wann er sie nur angesehen hat. Nam quod per desiderabile oculorum intelligat Dominus id, quod gratum & charum est, patet ex hoc ipso capite, vbi dicit quod ablaturus sit gloriam ipsorum, gaudium dignitatis, super quo eleuetur & in quo delectetur anima ipsorum, filios item & filias, &c. Jhres Hertzen Wunsch. Charissimam igitur coniugem auferendam à Propheta ostendit.

3. At si illa fuisset vetula, & plena dierum (quod alioquin de Patribus dicitur. Gen. 25. 35. Iob. 42) vt non desiderasset vltra viuere, aut si multo tempore cum aduersa valetudine fuisset conflictata, fuisset id vtique tolerabilius. Præstat enim mori quàm perpetuò ægrotare. Syr. 30. Et iucunda mors, cui melioris vitæ nec spes nec exspectatio est. Syr. 41. in fine.

Sed nihil horum hoc loco mortem coniugis Prophetæ accelerat: verum singulari plaga, sicque valentem, & inopinata morte se Prophetæ (nihil tale metuenti hoc tempore) erepturum coniugem prædicit Dominus. Hoc demum grauissimum est.

4. Neque verò hoc fit propter singulare aliquod delictum huius mulieris, quod vitæ dies alioquin abbreuiat; (si enim fuisset impia, certè Prophetæ optimo non fuisset desiderabile oculorum, sed verius putredo in ossibus, Prou. 12.) sed propter populum Israel, cui hoc pacto Deus volebat concionari, vt in 2. parte sequetur.

Locvs. Videmus sæpè pias matronas per mortem auel-

auelli à latere maritorum, qui impensè, vt debent, illas amarunt. Estque hæc non minima pars calamitatis dimidia sui parte carere. Boni hoc intelligunt, quod desideratissimum amiserint adiutorium, vita charius, auro & margaritis pretiosius. Prou. 12. & 31. Syr. 7. Piæ enim mulieres respondent his Spiritus sancti encomiis, vt sint desiderabiles in oculis mariti: non propter formam, quæ bonum fragile est, & nonnullis negatur, sed propter animi dotes, Sic etiam deformes desiderabiles esse possunt.

Quid igitur cogitent pij mariti? Cui culpam huius mali imputabunt? Est quidem plaga lethalis, quæ vitam ademit. Sed quis illius author? Deus. Der hats gethan, Qui conuertit hominem in contritionem & dicit, reuertimini filij hominum. Psal. 90. vers. 3. Qui viuificat & occidit. 1. Sam. 2. Qui vitam & mortem in manu sua habet. Sap. 16. Syr. 11. vers. 14. Is hoc loco dicit, ego tollam à te desiderabile.

At quare hoc facit? Hic multi Deum accusant quod auellat charissimos ab inuicem, & contra vnà viuere permittat qui cane peius & angue se mutuo oderunt. Videtur sic vel iniquè vel imprudenter agere. Certè Propheta hoc loco non quærit, quare id faciat Dominus, & quare non potius parcat ipsi, & aliam tollat vxorem, quæ suo marito non sit desiderabilis. Tu igitur quis es qui ex aduerso respondes Deo? Numquid enim Deus dedit vxorem in sinum tuum? Imò vero. Sic ipse dicit Dauid 2. Sam. 12. v. 8. Ego dedi. Is idem hîc quoq; dicit, ego tollo. Quin igitur dicis: Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum. Iob. 1. v. 21. Alioquin respondebit, numquid licet mihi facere de meo quod libet.

Facere debent hæc ad excitandam patientiam, si talis casus contingat. Sufficiat hoc vnũ, quod Deus fecit hoc, Deus abstulit. Et sciendum quod is habeat sui propositi causas, iustas quidem semper, occultas verò plerumque. Sæpè etiã viuis per mortuos vult concionari, sicut hoc loco: vt cogitẽt alij, si hoc fit in viridi quid fiet in arido. Luc. 23.

Non dicemus iam de iis, qui ſibi hanc plagam Dei optant, vt auferatur ab illis, quæ non amplius eſt deſiderabilis in oculis ipſorum. Plerumque tales poſtea magno cum ſuo damno agnoſcunt quàm fuerint erga Deum & coniuges ingrati.

Neque verò dicemus etiam de his mulieribus, quæ ſic viuunt vt non poſſint eſſe deſiderabile oculorum: cum ſint putredo in oſſibus mariti, vt ſupra ex Prou. 12. De piis coniugibus nobis ſermo eſt, quales fuerunt Ezechiel & coniunx hoc loco.

II. Pars.

Triſtiſſimus ſanè erat hic caſus inopinatus. Sed grauius videtur id, quod Deus ipſi iniungit, ne ſignum luctus det vllum. Mandat enim ipſi Dominus, ne plangat aut ploret coram populo, nec publicum inſtituat luctum ad funus coniugis: nec cibos lugentium apponat amicis, qui funus comitaturi ſint, quod alioquin in more poſitum habebant. Et quod maius eſt, iniungitur ipſi vt incedat non lugubri veſtitu, ſed tanquam feſtiuitatem agens. Er ſoll ſich Feyrtäglich anziehen/ als ob er zur Hochzeit wolte gehn.

Erat autem ſingulare hoc Dei conſilium, vt populus rem nouam & miram videns erudiatur à Propheta, quid ſibi hæc velint, vtque ſic factum Prophetæ ipſis viua ſit concio. Sequitur enim quomodo admirantibus hoc factum & interrogantibus, quid facis, Dei conſilium explicauerit. Sicut mihi deſiderabile oculorum abreptum, nec permiſſum à Domino vt fletu & lachrymis meum dolorem exprimam: ſic vobis deſiderabile oculorum veſtrorum, Templum Hieroſolymitanum auferetur ab oculis, in quo tantoperè fuiſtis gloriati. Similiter filij & filiæ veſtræ abducentur, quæ fuerunt chara pignora. Nec licebit vobis flere & dolorem exprimere, coram hoſtibus veſtris. Ihr werdet nicht ſawer darzu ſehen dörffen. Hoc docere vos debet meum exemplum. At vide-

videtur impossibile vt propheta oculis chariorem coniugem relinquens, sibi temperet à lachrymis & dolore?

Respondeo. Scit hoc fidelis Deus, ideoque permittit, vt ingemiscat tacitè & in domo sua. Coram populo autem contineat lachrymas, vt id exsequatur quod Deus vult ostendere hoc facto.

Locvs. Non vult docere Dominus hoc loco, maritos debere esse ἀστόργους, qui morte coniugum nihil moueantur: cum ipse intelligat, non posse Prophetam cohibere gemitum & premere omnem dolorem. Cum humanum sit hoc, lugere mortuos, præsertim coniuges. Sic Abrahamus deplorat mortem Saræ. Genes. 23. Et si quemuis mortuum amicum lugere debent Christiani, iubente Syracide cap. 38. magis certe coniugem charissimam mariti.

Hoc autem innuit Dominus, Modum in luctu esse seruandum, ne lugeamus sicut gentes non habentes spem resurrectionis. 1. Thess. 4.

Non nimium tristari debent Christiani, cum sic non possint in vitam reuocare mortuos, sibi verò damnum dent immoderato luctu. Syr. 38.

Cogitandum, non amissas sed præmissas pias coniuges, quas sint recepturi & agnituri in altera vita cum maximo gaudio: quod tum demum erit perfectum.

Sed quid de liberis nondum educatis & matre orbatis fiet? Respondeo. Patrem habent & tutorem in cœlis. Et si mater obliuiscatur infantem (sicut defuncta sanè facere cogitur) ipse tamen non obliuiscitur, Esa. 49.

Reprehendendi ex hoc loco nonnulli mariti, quibus non opus erat hac Dei prohibitione, ne nimium lugeant: si moriantur coniuges. Er wirdt inen schwer das Lachen zu halten. At hi non sunt digni hominum nomine, cum bestiis sint deteriores. Pertinent ad illos ἀστόργους, de quibus Paulus 2. Tim. 3.

FINIS.

THEMA XI. CLASSIS VII.

Sapient.2.v.1.2.&3.

Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.

Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus eorum.

Et ab itinere iusto abierunt in exterminium, & quod à nobis est iter exterminii, illi autem sunt in pace.

DISPOSITIO.

Egregius est hic locus, docens, quid fiat de animis hominum post mortem; de quo imperiti homines, ipso Sapiente teste, admodum peruersum solent ferre iudicium. Cum itaq; nemo nostrum sit, qui non cupiat scire, quid de ipsius anima sit futurum post mortem, vbi ex hoc ergastulo liberata fuerit, ideoque hæc verba Sapientis attentis animis audiemus. Quia verò Sapiens notanter addit, se de animis iustorum loqui, non indifferenter de omnibus, ideoque

1. Ostendendum quinam illi sint iusti.

2. De iustorum animis quid fiat post mortem, ex ipsis verbis Textus iudicandum.

3. Peruersum illud mundi iudicium de obitu iustorum (quod Sapiens refert) expendendum. Singulis partibus vsus subiicietur.

I. Pars.

Iustorum frequens est mentio in scriptura, præsertim in Psalmis. Exempli causa:

Iustus vt palma florebit, Psal.92.

Iustus in memoria æterna erit, Psal.112.

Iustum non vidi derelictum, Psal.37.

Iustorum multæ tribulationes, Psal.34.

Prou. 14. Iustus etiam in morte sperat.

Esa.

Esa.56. Iustus perit & nemo est.

Eccles. 7. Iustus perit in iusticia sua.

Hi autem iusti dicuntur in scriptura, non quod sint absque peccato & perfectè iusti, aut per se iusti.

Sic enim non est iustus, ne vnus quidem, Rom.3. v. 10. Ex Psalm.14.

Nemo enim potest dicere, mundum est cor. Prou.20.

Iusti igitur etiam sunt & dicuntur peccatores, (sic enim Iustus cadere dicitur septies, Prou. 24.) at iustificati fide per Christum, propter quem pacem habent cum Deo, Rom.5.

Hinc Hab.2. Rom. 1. Gal. 3. Iustus sua fide viuere dicitur. Hi sunt iusti constituti per Christum, Roman.5.v.19. Hic enim factus est iusticia nobis, 1.Corint.1.v.30. Vnde 1. Cor.6.v.11. iustificati estis. Et hi aliàs etiam dicuntur sancti: Vide Disposit. Them. II. in hac Classe VII. Hinc Noha dicitur iustus, Genes.6. Lothi anima dicitur anima iusti, & ipse iustus, 2. Petr.2. De quibus constat fuisse illos peccatores iniustos.

Dicuntur etiam hi iusti, 1. comparati cum impiis: vt Noha iustus in generationibus suis, Genes.6.v.9. Deinde iusti dicuntur ratione nouæ obedientiæ: quia iustificatis iniusticia non imputatur, &c. Hæc alibi.

Vsvs. Videmus quomodo iusti esse possimus & debeamus, licet omnes iusticiæ nostræ vestis immunda, Esa.64. Ante omnia danda opera, vt veram habeamus & acquiramus fidem ex verbo Dei, Rom.10. v.17. qua iusti simus coram Deo propter Christum. Studendum deinde iusticiæ, quę ad integritatem Christianismi pertinet, si quidem ad omne opus bonum instructos esse decet, 2.Tim.3. Quod autem nobis deest, id Christus impleuit, Rom.8.v.3.

II. Pars.

De iustis quid fiat post mortem, docet Sapiens. Nec sanè quid de corporibus illorum fiat, solicitus est. Nam illa etiam in terram reuertuntur, ex qua facta sunt; vt sic abo-

aboleatur peccatum & quicquid est corruptibile, vt tandem resurgant in ἀφθαρσίᾳ. 1. Cor. 15. At quid de animabus ipsorum interea fiat, (donec corpus purgetur in terra & resurgat) paucis, sed emphaticis verbis demonstrat: quod scilicet illis benè sit, quia sint in manu Dei. Manus autem Dei hoc loco, vt & aliis, significat curam & tutelam Dei. Vt cum Christus animam commendat in manus patris. Luc. 23. Sic. Psal. 31. v. 6. Ita Ioan. 10. v. 29. Et quid sit in manu Dei esse, mox his verbis explicat: Non tangit illas tormentum. Sunt in cœlesti, æterna & ineffabili beatitudine, & viuunt coram Deo, qui illas coronat gaudio & felicitate.

VSVS. I. De animæ immortalitate, de qua Christianis dubitare nefas, aliàs dicetur. Vide.

II. Hic locus facit contra eos, qui statuunt animas iustorum dormire, vbi è corpore exierint, vsque ad nouissimum diem, nec frui conspectu Dei ante resurrectionem mortuorum. Contrarium patet ex hoc loco. Et Luc. 23. Hodie mecum eris in paradiso. Polycarpus solatur se, quod ea die, qua flammis exustus sit, repræsentandus sit Domino. Hist. Eccl. lib. 4. Viuunt itaque & vigilant, & statim sentiunt gaudium animæ piorum, atque Dei consuetudine fruuntur.

III. Pars.

Iam recenset Sapiens quid sentiant homines imperiti de obitu piorum. Illi putāt hos planè interire. Et si quando contingat ipsos violenta morte abripi, quod Apostolis, Prophetis, Martyribus, &c. accidit, existimant insipientes, ipsis hoc fieri à Deo in pœnam. Et sic putant actum de ipsorum temporali & æterna felicitate. Non enim credunt ipsos post mortem frui solatio: sonder haben hie am Karren gezogen/ vnd müssen dort im Wagen ziehen. At illi sunt in pace, scilicet corporis atq; animę ratione. Corpus enim quiescit à laboribus Apoc. 14. v. 13. Anima autem in conspectu Dei solatio fruitur. Luc. 16. v. 25.

Vsvs. Non graue ſit mori, quia licet inſipientibus videamur mori, tamen in oculis Dei viuimus. Corpus quieſcit in pace. Anima cœleſti gaudio fruitur. Hic preſſuram habemus, Ioan. 16. Ibi non tanget tormentum. Hinc illud: Cupio diſſolui, Phil. 1. Nunc dimittis, Luc. 2.

Admonitio addenda hæc in fine. Quia iuſtorum animæ in manu Dei, impiorum autem mox in inferno torquentur. Luc. 16. v. 23. Syr. 11. v. 29. ideoque ſtudendum pietati & iuſticiæ, de quibus parte 1. dictum. Væ cæteris.

FINIS.

THEMA XII. CLASSIS VII.

Sapient. 3. verſ. 9.

Gratia & miſericordia in ſanctis eius, & inſpectio in electis eius.

DISPOSITIO.

Neminem veſtrum arbitror fore qui non ſcire percupiat, quid de ipſo ſit futurum poſt mortem, vbi anima è corpore egreſſa fuerit. De hoc alij dubitant, alij & imperiti quidem, (quorum opinionem Sapiens hoc capite 3. refert) putant eos, qui hîc fuere miſeri, illic etiam nihilo fore feliciores. **Wer hie am Karren gezogen / müſſe dort im Wagen ziehen.**

Atqui Sapiens hoc capite totus in eo eſt, vt oſtendat benè agi cum animis defunctorum. De his enim verba prælecta (licet de viuis etiam intellecta nihil habeant incommodi) intelligenda eſſe, videtur colligi poſſe ex præcedentibus, vbi de Beatis dixit, quod ſint iudicaturi gentes, &c. & quod illos nemo ſit erepturus Domino. Eſtque planè (meo quidem iudicio) eadem ſententia horum verborum, quæ ſuperiorum, quando dixit: Animas eſſe in manu Dei: item, ſunt in pace. Hunc enim videtur nobis propoſitio huius capitis, quæ verſu primo continetur, dictare ſenſum.

Videamus itaque 1. quàm ſit felix ſtatus animarum poſt

post hanc vitam. 2. Deinde verò ad quos hæc pertineant, ostendemus.

I. *Pars.*

De defunctis, quorũ animæ è corporis vinculo solutæ sunt, pronunciat, 1. quod sint in gratia. Magnum videtur, si quis sit in gratia principis alicuius, qui tamen homo est mortalis. Hunc omnes honorant, huic gratulantur omnes, hunc felicem putant omnes. At interdum concidit in puncto gratia longa breui. Quod si eadem ratio esset de animabus nostris, quæ est apud homines, tunc metuendum illis, ne aliquando exciderent illa gratia.

At sunt in gratia apud Deum, qui est veritas, & quem non pœnitet suorum bonorum, Rom. 11. ideoque non est metus, ne illi excidant hac gratia.

2. At vnde illis hæc gratia? Numquid sibi promeruerunt hanc gratiam? Non sanè. In misericordia sunt, additur. Quo docet, ex misericordia Dominum illos recepisse in gratiam. Idq; propter Christum mediatorem. Misertus enim Dominus nostri non vult perire animulas illas.

3. Inspectionem habet super eos. Sunt illi semper in conspectu Domini, & nunquam patitur illos turbari, aut rapi de manu sua in æternum, Ioan. 10.

Sicut pater intentis oculis filiolum, quem impensè diligit, subindè aspicit: (Er läst jhn nicht auß dem Gesicht/ dicitur) ita Deus clementissimis oculis semper aspicit animulas illas, quas in sua manu habere dicitur. Et sic non potest vnquam illas tangere tormentum, vt suprà vers. 1. habetur, hoc capite.

[Nota. Si quis velit hæc verba de viuis & defunctis simul intelligere, & sic apud populum vtrumque tractare, poterit id facere, absque incommodo auditorum. Sicut enim sancti & electi mortui, ita etiam viui sunt in gratia & misericordia, &c. Domini.]

Docet hic locus, quàm benè agatur cum defunctis. Corpus quiescit in terra, Apoc. 14. Animæ verò sentiunt gra-

gratiosam Dei præsentiam & conspectu illius beatissimo fruuntur. Quis igitur non cupiat mori & esse cum Christo, cum Deo, cum Angelis. Certè hoc melius esse Paulus docet, Phil.1.v.23.

De his etiam Disposit. præcedenti dictum.

II. Pars.

Bene igitur, inquiat aliquis, habent res nostræ, si de omnibus id pronunciet Sapiens. At de impiis altum hic silentium. Etenim de sanctis hoc affirmat Sapiens. De cæteris longè diuersum cap.2.& 3.habet. Sancti qui sint, & iusti, vide Disposit. Themat. præcedentis, & Thematis II. Classis VII. Quos hic intelligat per sanctos, altero vocabulo explicat, dum eosdem etiam vocat Electos. Intelligit credentes & fide iustificatos, vocatos atq; electos. Hæc enim plerumq; à Paulo etiam coniunguntur. Vocati sancti, Rom.1. 1.Corinth.1. Vel sancti credentes, Ephes.1. Electi sancti Dei, Coloss.3. v.12. & Apocal.17. v.14. Vocati, electi & fideles.

DOCEMVR I. toto cœlo errare eos, qui existimant, omnes homines saluos futuros, & tandem consecuturos gratiam & misericordiam apud Deum.

In hac enim opinione multi sunt, (etiam inter nos Origeniani) qui putant, Misericordiam Dei maiorem esse, quam vt possit condemnare quenquam. At non misericors tantum, sed & iustus est, Syr.5.v.6. Et impij non manebunt cum ipso, Psal.5.

Ideoq; sanctitati & pietati studendum, vt inueniamus inter electos. Qui enim non est scriptus, Apoc.20.

II. Quid autem faciendum, vt inueniamur sancti, vide Disposit. præced.

III. Magnam consolationem habent electi, quod si maximè in hac vita pressuram habeant, Ioan.16. tamen illic sint in gratia & misericordia. Ideoq; non cum timore & dubitatione ipsis moriendum, nec dicendum, sicut impij hoc pro symbolo habent,

Jch fahr vnd weiß nicht wohin /
Mich wundert daß ich frölich bin.

Contra dicant electi:

Jch fahr vnd weiß Gott lob wohin /
Mich wundert daß ich trawrig bin.

THEMA XIII. CLASSIS VII.

Matth. 10. v. 28. ad 32.

Nolite timere ab iis qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.

Et quæ sequuntur vsque ad vers. cap. 32.

DISPOSITIO.

In hoc capite Matthęi Christus discipulis dixerat: Mitto vos sicut oues in medio luporum, vers. 16. Quæ autem sit fortuna ouiculæ inter lupos, facilè fuit coniicere. Et sanè id apertius Christus prædixit: Statuent vos ante Reges & Principes. Et plus etiam: Flagellabunt, odio habebunt. Nec satis. Occident tandem. Quare? Propter nomen meum, à vobis prædicatum.

Poterant itaq; Apostoli obiicere, tacebimus ergo, & immunes erimus ab his periculis. Christus verò contrà vult illos prædicare in tectis, hoc est, publicè. Nec metuendos homines, ait. Ecquis verò non metuat occisores? dicant illi. Quis non metuat indignationem Regum & Principum? Christus itaq; ostendit causas, quare non sic metuendum ab hominibus, vt propter illos veritatis professio abiicienda.

Hæc verò quia non tantum ad Apostolos (Marc. 13. v. 37.) sed & ad omnes Christianos pertinent, atq; etiam in genere contra metum mortis faciunt, & consolatione abundant, à nobis diligenter erunt consideranda.

Duas autem huius propositi causas affert, de quibus ordinè dicendum.

I. Pars.

Quare metuitis ab hominibus? Quia occidunt. At quid

quid occidunt? Corpus tantum, quod alioquin mortale est, & in terram reuerti debet. Præterea illi nihil iuris in vos habent. Animam illi (quæ nobilissima pars est hominis) nec trucidare neque affligere possunt.

At ego dicam, Luc. 12. quis vobis metuendus, ait Christus. Est qui corpus & animam in gehenna potest perdere. Is metuendus. Stultum itaque est, timere eum, qui potest id tantùm occidere; quod per se mortale est. Interim verò non metuere eum, qui corpus & animam potest damnare. Et magis stultum, perdere animam immortalem vt conseruari possit corpus mortale. O insaniam.

LOCVS I. De immortalitate animæ.

Contra Epicuræos, qui corpus & animam perire putant. Et contra eos, qui existimabant animas cum corpore mori & resurgere. De quibus Niceph. lib. 5. cap. 23.

II. Quia anima nobilior pars hominis, quæ immortalis est, & propter illam corpus vel gaudium vel cruciatum sentiet, atque corpus sequetur animam quocunq; illa deueniat. Ideoq; potior semper habenda ratio animæ quàm corporis. Hoc plerique inuertunt.

Neque verò parcendum corpori cum animæ periculo. Quod faciunt qui vel in casu confessionis, vt vitam redimant, vel extra casum confessionis in gratiam Magnatum, &c. malè agunt: vel abnegando Dominum, qui mercatus est ipsos, 2. Pet. 2. v. 1. Vel contra conscientiam peccando, vt corpori benè sit. Hi sunt quorum Deus est venter, Phil. 3. v. 19. Quid autem proderit, si vel totum mundum lucrentur, & iacturam faciant animæ. Matth. 16. v. 26. Quid enim dabit homo pro redemptione animæ? Psal. 49. v. 9. Huc pertinent exempla fratrum, 2. Machab. 7. & 40. Martyrum apud Basilium.

II. Pars.

Aliam causam subiicit Christus, quare non metuendi homines: Quia non tantùm non possunt occidere animam, sed neque etiam corpus Deo inuito & nesciente

possunt lædere aut occidere, si maximè crudelissimè sæuiant. Hoc demonstrat Christus, prouidentiam Dei illustrans duplici comparatione.

1. Passeres aues vilissimæ, quorum duo asse minuta veneunt, sic Deo curæ sunt, vt nec capiatur nec occidatur vnus ex illis, sine Dei voluntate.

2. Quid capillis capitis vilius? Illos tamen sic curat, sic numerat Deus, vt ne vnus quidem cadat de capite vestro sine Dei voluntate.

Numquid igitur existimatis Deo vos minus esse curæ, quam passeres vel capillos? Ideoque nemo vos occidere poterit Deo inuito & nesciente. Quod si ille sic voluerit, patienter alacri animo subeunda mors, quæ non separat à dilectione Dei, Rom. 8. Et quia is vitam dedit, eam restituet, & compensabit vestra martyria gloria æterna.

LOCVS I. De prouidentia Diuina clementissima, quæ tanta est, vt etiam sese ad auiculas & capillos capitis extendat. Certè volucrum mirabilior est creatio ex ouis, quam cæterorum animalium. Et patet cura Dei pro auiculis ex lege, Deut. 22. v. 6. & 7. Atque memorabilis est experientia, de nido Halcyonis. vbi Deus mare reddit tranquillum illis diebus, quibus incubant alcedines, vt excludantur pulli. Capillos certè ita curat Deus, vt colorem inducat illis pro suo beneplacito. Facit Esau hirsutum, Genes. 25. v. 25. Elisæum caluum, 2. Reg. 2. v. 23. Absolonem capillatum, 2. Sam. 14. v. 26. Et pilos Nabuchodonosoris sicut pennas Aquilæ, Dan. 4. v. 30. Quanto magis homines curat, ossa custodit, lachrymas colligit & numerat, Psal. 34. v. 21. & Psal. 56. v. 9. Hinc colligere & nos consolari debemus, quod sine illius voluntate nihil possit nobis accidere. Si illius autem voluntas est, bona est semper, licet contrarium videatur rationi humanæ. Ideoque iussi sumus orare, Fiat voluntas tua. Et diligentibus omnia, Rom. 8. v. 28.

Hæc consolatio non tantùm tempore persequutionis, sed & in omnibus miseriis & periculis vocationis vsu veni-

venire debet. In bello, in mari, tempore pestis, & in omnibus casibus aduersis.

II. Non timendi homines, imò nec Diabolus, quia nihil possunt nisi Deus permittat, Iob. 1. v. 10. Marc. 5. v. 12. Et Psal. 118. Quid faciat mihi homo? Esa. 51. v. 13.

FINIS.

THEMA XIV. CLASSIS VII.

Rom. 14.

Nostrum nemo sibi viuit, moritur sibi nemo,
Non fas est nobis viuere, siue mori.
Viuimus ast Domino, Domino morimurq; redempti,
Vt viuendo Dei, sic moriendo sumus.

DISPOSITIO.

Plerique hoc agunt homines, & omnes ferè suas actiones eò dirigunt, vt sui iuris esse possint & non ab aliorum nutu pendere cogantur. Hinc illud, Alterius non sit qui suus esse potest. Paucis verò hoc contingit, quantum attinet ad Iurisdictionem humanam. Quantum verò ad Diuinam iurisdictionem attinet, nemo hominum sui iuris esse potest, ne ipse quidem αὐτοκράτωρ. Docet enim Paulus, neminem sibi vel viuere vel mori, sed Domino Deo nostro omnes viuere, omnes mori debere, vt viui & mortui Domini simus. Et ò felices eos qui hæc agunt, vt in vita & morte non auellantur à Domino. Vt itaque hæc rectius intelligamus, & ad vsum nostrum transferre possimus commodius, de his tribus nobis erit dicendum:

1. Primum, quid sit, Sibi viuere aut sibi mori. Et vicissim, quid sit viuere & mori Domino.

2. Deinde, quid faciendum, vt Domino viuamus & moriamur.

3. Quid inde sentiant commodi qui Domino viuunt & moriuntur, vel Quare ipsi viuendum, &c.

I. Pars.

Neminem Christianum sibi viuere asserit Paulus. At sunt impij, de quibus dici potest, quod aut viuant Diabolo, aut tamen sibi viuant.

1. Primum enim sibi viuere dicuntur hi, qui non cogitant quod vitam aliundè habeant quàm à seipsis: sicut illi, Sap. 2 fortuito casu nati sumus. &c. v. 2. &. seqq.

Ideoque illi in diem viuunt & faciunt quod lubet, quia nec de Dei voluntate neque extremo iudicio quicquam sunt soliciti. Sic illi, Edamus, bibamus. Esa. 56. 1. Cor. 15. v. 33. De bibulo quodam Bonoso dicebant, Ipsum natum non vt viueret sed vt biberet. Pepigimus cum morte Esa. 28. De his Paulus Phil. 3. Deus eorum venter.

Et de his verè dici potest, quod viuant Diabolo, qui illos ducit ab vna iniquitate ad aliam. 2. Thes. 2. v. 10. 2. Tim. 3. v. 13. Ipsius enim voluntatem faciunt, & ductum eius sequuntur.

Contra verò viuere Deo, est ad nutum Dei viuere. Ipsi non tantum ortus nostri causam grata mente adscribere, sed & omnes nostras actiones iuxta ipsius voluntatem patefactam instituere, & vno verbo sic viuere, vt ostendamus nos Dei præsentiam & conspectum ferre posse. De Zacharia & coniuge dicitur, Luc. 1. Ambulabant iustè coram Deo. Sic Abrahamo dicitur, Ambula coram me. Gen. 15.

2. Sunt etiam nonnulli qui nemini volunt inseruire suis donis, licet id possent, sed tantum sua quærunt, vel otium amant, aut hominum reprehensiones & odia timent. Hos ipsi Ethnici pro inutilibus terræ ponderibus habent, quia hominem non sibi sed aliis natum rectè dixerunt.

De his verè dici potest quod tantum sibi viuant.

Et scriptura illos vocat seruos ignauos & nequam, qui defodiant talenta sua. Matth. 25.

Deo enim non viuunt, quia ipsi nihil lucrantur. Ibid. De his verò hoc loco non dicemus plura. Sed ad institutum pergamus.

Ita

Ita ſibi mori eſt ſine vera Dei agnitione & ſine fide decedere in impœnitentia. Atque Diabolo verè hoc eſt mori, quia ad illum morituri perueniunt. Inueniunt enim locum Diabolis paratum Matth. 25. v. 41. & in lacum ſulphure ardentem mittentur. Apoc. 20. & 21. At viciſſim Domino mori eſt piè & ſic mori, vt à Domino per mortem & in morte non auellamur. Hinc notanter ſcriptura id vocat, mori in Domino. Apocal. 14. v. 13.

II. Pars.

Viuendum Domino, Paulus docet, & eidem etiam moriendum. At quomodo id fiat ex prædictis facilè conſtabit. Ideoque erimus breuiores in tractanda hac ſecunda parte.

I. Scriptura autem aliis etiam verbis docet, Quomodo viuendum Domino. Seruire ipſi, facere voluntatem eius, hoc eſt Domino viuere. Nam qui fecerit voluntatem &c. huic non dicetur, Non noui, ſed veniet ad Dominum. Matth. 7. v. 21. Pſal. 2. v. 11. Seruite Domino. Et Phil. 2. Operamini ſalutem. Ita ſcriptura ſæpè commendat pios, quod fecerint rectum & bonum coram Domino, & quod beneplacitum ipſi fuerit. Vide 1. Reg. 15. v. 5. & 11. & cap. 22. v. 43. & 2. Reg. 12. v. 2. & 14. v. 3. Sic etiam Domino viuitur, quando inſeruitur proximo, propter Dominum. Quicquid enim huic fit id ſibi factum putabit. Matth. 10. v. 42. & 25. v. 40.

Sic itaque Domino etiam viuunt qui ſeruiunt ipſi vel in Eccleſiæ, aut Reip. aut Oeconnomiæ pia & diligenti adminiſtratione. Explica latius, ſi placet.

Et quidem meritò ſeruimus Domino. Quia Dominus. Is vitam dedit, & animam rationalem, & neceſſariis donis ornauit &c. vt ipſi & proximo poſſemus ſeruire. Quid enim habes quod non accepiſti. 1. Cor. 4. v. 7. Omne bonum deſuper Iac. 1. v. 17. Ingrati ergo ſunt qui ipſi nolunt ſeruire. Simile. Qui à Principe accipit victum, amictum, &c. cogitur etiam illi ſeruire. Ita & hîc.

II. Sicut Domino viuendum ita ipsi etiam moriendum. Quomodo id fit? Si Deo animam nostram piis precibus & corde pœnitenti in morte commendemus. Et sicut in omni vita, ita & in morte humiliter nos subiiciamus ipsius voluntati: dicentes, Tibi vixi Domine, tibi moriar. Tu spiritum dedisti. Eccles. 12. v. 7. Ego tibi reddam illum corde pœnitenti. Hoc est mori Domino & in Domino. Ita Dauid & Stephanus, imò ipse etiam filius Dei Domino spiritum commendarunt & reddiderunt, Psal. 31. v. 6. Act. 7. v. 59. Luc. 23. v. 46.

III. Pars.

At Quare sic viuendum & moriendum Domino, aut quid inde accedit nobis emolumenti? Multum sanè per omnem modum, in vita & morte, de quo hîc paucis: Viuentes & morientes Domini sumus. Maxima enim hæc est consolatio in vita & morte, & maior quàm animus humanus possit expendere.

I. Primum enim si Domini sumus & ipse nos agnoscit pro suis (Nouit autem qui sint sui. 2. Tim. 2. v. 19) nihil iuris in nos habebit Satan. Quia vallabit Dominus omnia nostra. Iob. 1. v. 9.

Non præualebit contra nos mundus, nec ipsæ etiam inferorum portæ. Si Deus pro nobis quis contra. Rom. 8. Si aduersus me castra consistant Psal. 27. v. 3. Psal. 23. Non timebo, quia TV MECVM ES.

Quid faciat mihi homo. Psal. 118. v. 6. Sic ipse Dominus solatur suos, Cum ipso sum: Sequitur, Eripiam, Psal. 91. v. 15. Esa. 41. & 43. Noli timere quia ego tecum. Gen. 26. v. 24. Ego tecum, noli timere.

II. Et quæ potest esse maior consolatio morituris, quàm hæc ipsa, quod mortui etiam sumus Domini. Mors non separabit. Rom. 8. v. 38.

Hinc illud Psal. 73. v. 25. Dummodo te habeam. Et si deficiant corpus & anima, tu eris consolator. Et hoc ipsum est quod Christus Saluator Ioan. 10. affirmat, Cognosco oues, Do eis vitam, nemo rapiet.

Ex

Ex contrario patet iam quam malè animæ & corpori consulant, qui sibiipsis vel Diabolo viuunt & moriuntur. Hi neque in vita nec in morte quicquam solatii sentiunt, & audient tandem.

Non noui vos. Matth. 7. v. 23. & 25. v. 12. Ideoq; ABITE, v. 41. ô dolor, ô gemitus, ô miseria.

FINIS.

THEMA XV. CLASSIS VII.

1. Corinth. 11.

Si nos ipsos iudicaremus, non iudicaremur. At cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo condemnemur.

DISPOSITIO.

Memorabilis est hæc sententia Pauli, qua de Iudicio humano & diuino loquitur, innuens sc. quod illud sæpè intermittatur, hoc verò sinistrè accipiatur, interdum etiam vtrumque ab hominibus negligatur. Nec sine magno nostro damno.

Vt itaque possimus euitare damnum, agite verbis Pauli diligenter attendamus.

Primum autem quid hic Paulus intelligat per iudicium nostrum, & per iudicium Domini, inuestigabimus.

Deinde qua ratione iudicium Domini possimus effugere docebimus.

Tertio, Quo animo iudicium Domini ferre debeamus, notabimus.

I. Pars.

Variè in scriptura accipitur vocabulum iudicii, de hominis atque Dei iudicio. Quantum ad iudicium humanum attinet, interdum iudicamus de aliis, at hoc nostrum iudicium temerarium reprehenditur. Luc. 6. v. 37. Rom. 14. v. 4. Quis es qui iudicas.

Hic autem de proprio nostro iudicio loquitur, quo non alios, sed nosmetipsos iudicare debebamus.

Et hic iudicare significat seipsum accusare & agnoscere peccata, errores, atque delicta, atque reum sese sistere coram Deo. Hinc enim sequitur culpæ deprecatio, sicut Psalm. 143. v. 2. Ne intres &c. atque vitæ emendatio. Id eleganter exprimitur Hoseæ 6.v.1.& seqq.

Vicissim etiam iudicium Domini significat ipsius accusationem & pœnam, quam infligit propter peccata. Et hoc sensu iudicium pro pœna accipitur, vt 1. Pet. 4. vers. 17. Tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei. Atque hoc ipso loco dixit Paulus, quosdam à Deo morbis & immatura morte punitos fuisse. Ex quo intelligitur quid per iudicium Dei intelligat.

De pœnis autem temporalibus & corporalibus principaliter hic sermo est.

Itaque eos qui à Domino sint puniti dormire ait.

II. Pars.

Quia intelligimus iudicium Dei esse pœnas diuinas propter peccata: iam porrò dicendum erit, Quo pacto iudicium Domini possimus effugere.

Hoc paucis docet Paulus, Si nosmetipsos iudicaremus, non iudicaremur à Domino.

Hoc est, si agnosceremus peccata nostra & pœnitentiam ageremus, possemus vtique fatales illas Dei pœnas & calamitates anteuertere.

DOCEMVR itaque vt emendemus vitam in tempore, nec procrastinemus pœnitentiam, si velimus pœnas & iudicia Domini præuenire. Hic notandum illud Ier. 18.v.8. Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam super malo. Exemplo sunt Niniuitæ. Ion. 3. v. 10.

Sic enim potest restingui furor Domini qui est instar ignis absumentis.

Vide Esa. 1.v.16. & 17. Ioël. 2.v.12. & seqq. Psalm. 7.v.13. Syr. 5.v.8.

Imò ipse Dominus de hoc conqueritur, quod non sit qui stet oppositus contra ipsum, & ruinam minitanti

mace-

maceriæ ſubueniat, Ezech.13.v.5.& 22.v.30. Man ſoll vnſerm Herren vnd Gott in die Ruten fallen. Amos 4.v.12. præparare in occurſum Deo.

III. Pars.

Quia verò pleriq; etiam inter Chriſtianos de his non prius cogitant, quam vbi iam Dominus ad iracundiam prouocatus eſt & cœpit affligere, tandem etiam docet Paulus, Quo animo iudicium Domini ferre debeamus. Vbi enim exarſit ira ipſius, hoc vnum reſtat vt dicamus, Iram Domini portabo. Mich. 7. v. 9. Et ſolatur nos Paulus vt patienter & æquo animo feramus, eſtque gemina conſolatio hoc loco.

I. Quod affirmat, caſtigationem hanc tantum eſſe paternam. Corripimur, inquit, leniter. Iſt Vatters Rute / nit Henckers Rute. Temporalis eſt non quæ afferat exitium. Dauid Pſalm.6.v.2. non deprecatur omnem pœnam, ſed hoc tantùm, ne in furore, aut in ira corripiatur. Fidelis enim Deus non vltra vires tentat. 1. Cor. 10. Er wils nicht zu grob machen. Vide Eſa. 28. v. 26. ſimilitudinem egregiam. Item Eſa. 27. v. 7. & 8. Ierem. 30. caſtigabo te in iudicio. Eſa. 54. verſ. 7. In momento indignationis dereliqui.

II. Altera conſolatio eſt hæc, quod ſicut omnia alia diligentibus Deum cedunt in bonum Rom. 8. ita etiam hæ paternæ caſtigationes Domini diriguntur ad eum finem, ne cum mundo pereamus. Si enim abſque caſtigatione liceret nobis ſemper viuere pro lubitu, non cogitaremus de peccatis, ſed ſecuri periremus. Pſalm. 119. Bonum eſt mihi Domine quod humiliaſti Pſal. 94. verſ. 12. Beatus quem tu caſtigas.

Eſa.27.v.9. Sic ceſſabunt peccata illius.

Pſalm. 119. verſ. 67. Poſtquam humiliatus ſum. Vide Ierem.31. v.18. Notanda hæc in omni genere afflictionum & aduerſis caſibus piorum.

FINIS.

THEMA XVI. CLASSIS VII.

2. Corinth.12.

Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea in infirmitate perficitur.

DISPOSITIO.

Verba ſunt hæc ipſius Dei optimi Max. ad Paulum electum organon dicta. Quamuis igitur ſint breuiſſima, tamen nullum eſt dubium, quin ſingularia multa habeant in receſſu. Quia Diuinæ Maieſtatis ſunt verba. Groſſe Herren machen wenig wort. Aber es ſteckt viel dahinder. Ita certè ſentiendum de his verbis, præſertim quia ad magnum illum Doctorem Gentium facta ſunt.

Operæ itaque erit pretium, occaſionem primum horum verborum & ſenſum eorundem inueſtigare diligentiſſimè: Deinde etiam quid in receſſu nobis relinquant, paucis annotare.

Textus Paraphraſis.

Poſtquam Paulus à Domino in tertium cœlum atque Paradiſum raptus, vidit & audiuit ἄῤῥητα, metus erat, ne magnitudo reuelationum ipſum extolleret. Ideoque datus fuit ipſi σκόλοψ, angelus Sataně colaphizans. Grauem Satanæ tentationem & frequentem intelligunt Theologi ſinceriores. Hanc continuam afflictionem cum ſeriis atq; profundis gemitibus deprecaretur, hoc tulit reſponſum Apoſtolus, Sufficiat tibi mea gratia.

1. His verbis primùm oſtendit Dominus, ſe non ablaturum ſtimulum iſtum à Paulo, quamtumuis pro hoc ipſe orauerit ardenter.

Intelligit enim iſtud non futurum è re Pauli, ſi careat tribulationibus. Ideoque patienter id quicquid ſit aduerſitatis ferat.

2. Interim verò ſolatur ipſum, quod hæc afflictio non ſit ſignum irati Dei. Etenim ſe ſua gratia ipſi non defuturum: neque ipſum derelicturum vnquam.

3. Cum

3. Cum itaque de gratia Dei & salute æterna sit certus, non debere ipsum omnis expertem esse temporalis calamitatis. Contentus sit gratia illa, & sufficiat ipsi quod habeat Deum propitium. Darumb soll er nicht weiter begeren.

4. Et ne Paulus cogitaret vel obiicere posset, sed vereor ne continuis illis tentationibus (Satan enim vix ad momentum vnum cessat. Id enim σκόλοψ denotat) tandem à Satana vincar & succumbam: solatur illum Dominus, quod magna sit Dei potentia & virtus. Fortior enim qui in nobis, quàm qui in mundo. 1. Ioan. 4. Et nunquam maior potentia Satanæ quàm Dei.

5. At ego magnam sentio infirmitatem in carne mea, diceret Apostolus. Fides mea nonnunquam infirmior fit, tot Satanæ ictibus impugnata. Subindè enim de sua infirmitate verba facit Paulus. Hoc voluit anteuertere Dominus, addens hoc loco, In ipsa illa infirmitate sese contra Satanam ostensurum suam potentiam: quæ plerunque sese magis exerat in infirmioribus, quàm in cæteris. Et tum demum maximè se sua vti potentia, cum homines videntur planè impotentes. Vt sic gloria deuicti Satanæ non sit hominum, sed Dei omnipotentis.

LOCI.

Considerate, obsecro, charissimi quanta sit vis verborum Dei omnipotentis. Cumulus enim solidissimarum consolationum sese nobis offert.

[Breuitatis causa hîc de precibus nihil dicemus, quod Deus interdum non audiat secundum nostram voluntatem, sed ad vtilitatem nostram.]

I. Videmus autem primùm amicos Dei charissimos nunquam immunes esse à tribulationibus & tentationibus. Ideò Syr. 2. v. 1. Si vis esse seruus Dei. Et quantò maioribus à Deo sunt ornati donis, quantò maioribus affecti beneficiis, tantò etiam grauiori calamitatum mole premuntur.

Ioſeph, Iacob, Moſes, Dauid, Daniel, Paulus, Hiskias. Quem enim diligit filium Dominus caſtigat. Prou. 3. Heb. 12. Interim verò hoc ſolamen additur multiplex.

I. Quod nihilominus ſint in gratia apud Deum. Ideoque probat eos & ſe dignos inuenit. Sap. 3.

II. Atque hoc eſt ſignum gratiæ ipſius, quod ideò tantùm flagellat ipſos, 1. ne pereant & condemnentur in mundo 1. Cor. 11. verſ. 32. 2. Et ne incidant in ſecuritatem carnis. 1. Theſ. 5. v. 3. 3. neuè extollantur donis. 2. Cor. 12. v. 7. 4. neque relinquant preces Eſa. 26. v. 16. 5. & ne exiſtiment ſe innocentes Ierem 30. v. 11. 6. Sed vt ſciant ſe eſſe peccatores, & ſic peccatum in ipſis mortificetur, 1. Pet. 5. v. 2. 7. atque vt ſint aliis exemplum ſpei, fidei & patientiæ quod imitentur illi. Iac. 5. capite exemplum fratres. Et Syr. 2. v. 11. Tob. 2. v. 12.

III. Interim nunquam illos deſerit nec abiicit, ſi maximè interdum infirmi fiant, vt Hiob. 3. v. 11. & 6. v. 8. Moſes Nu. 11. verſ. 12. & Paulus 2. Corin. 11. verſ. 29. Ier. cap. 20. verſ. 7.

Hæc ſcitu admodum ſunt neceſſaria, propter nos & propter alios. Propter nos, ne ſimus impatientes in aduerſis, aut dubitemus de gratia Dei. Dixi in exceſſu. Pſal. 31. v. 23. Aliter enim ſe res habet.

Propter alios, ne temerè de illis iudicemus, quos videmus cruce premi. Sicut illi amici Iobis, inprimis Eliphas. Iob. 4. & 5. Ioan. 9. v. 2. Luc. 13. v. 1. Sed nec ipſi aliorum ſiniſtra de nobis iudicia curare debemus.

II. Nemo deſperet propter ſuam infirmitatem. Quia quanto maior infirmitas, tantò maior Dei potentia. Non enim nos ſumus qui pugnamus contra Satanam, ſed Deus pro nobis. Rom. 8. Calamum quaſſatum Eſa. 42. v. 3. Orandum autem, Adauge fidem, Luc. 17. Succurre, Marc. 9. v. 24. Fidelis Deus, 1. Corinth. 10. & 1. Theſſal. 5. v. 24. Roman. 8. verſ. 26.

FINIS.

SE-

SEQVITVR
APPENDIX CLASSIS VII.

Continens

1. *Varia exempla eorum, qui aduersis casibus perierunt: de quorum tamen salute vtplurimum benè sperari debet.*

2. *Dicta quoque scripturæ nonnulla his casibus accommodanda complectitur Appendix eadem, cæteris exemplis permixta.*

CASVS I.

De Ruina ædificiorum oppressis.

EXEMPLVM I.

Iudic. 16.

Samson ruina domus, in qua Philistæi congregati erant, oppressus moritur.

A vers. capitis 23. ad 31.

DISPOSITIO.

Occasionem huic funeri præbuit tristis ille casus, qui hisce diebus accidit, cum defunctus ruina ædium oppressus miserè interiit, quoad corporis & vitæ conditionem. Hanc itaque Historiam de Samsone oppresso (quamuis ratione quarundam circumstantiarum planè dissimilis sit casus) iam placuit vobis proponere, quia in hoc conuenit cum præsenti casu, quod vterq; ædificii ruina oppressus, vterque miserè, vt nobis quidem videtur, attamen in officio piè mortuus, & vterq; apud Deum saluus est, absq; dubio. Historiam autem Samsonis non omnem iam tractabimus, sed ea tantum, quæ de illius occubitu referunt, paucis delibabimus primum. Deinde quid de hoc facto ipsius iudicandum sit, subiiciemus, & quid de aliis auto-

pho-

phoneutis ſentiendum. Tertio, Doctrinam vnam & alteram hoc loco obſeruandam breuiter annotabimus.

I. *Pars.*

Non prolixè hic repetam, Quomodo Samſon Iudex Iſraëlis, ad hoc excitatus à Domino (& ab vtero materno ſanctificatus Nazaræus) vt perdat Philiſtæos & liberet Iſraëlem, poſtquam in ſcortationem incidiſſet, temerè arcana Dei in ipſum collata dona (roboris ſcilicet admirandi) Meretrici Dalilæ prodiderit. Hinc à Deo aliquantiſper derelictus, in poteſtatem hoſtium Philiſtæorum cum deueniſſet, exoculatus & in carcerem detruſus, ibique etiam (vt afflicto alia adderetur afflictio) molere coactus eſt. Et ne quid miſeriarum deeſſet cæco, ludibrio expoſitus fuit omnibus hoſtibus, quorum erant aliquot millia, qui conuenerant ad ſacra facienda Idolo Dagon, quod hoſtem ipſorum in manus tradiderit, à quo amplius (ipſorum quidem opinione) nihil timendum.

Educitur autem miſer ex carcere & ſiſtitur (ducente illum puero) inter duas columnas palatii illius, in quo congregati erant Philiſtæi, vt deridendus ab omnibus poſſit conſpici.

Diſſimulans autem quid in animo habeat, deductus à puero complectitur columnas duas, quibus domus innitebatur.

Et inuocato nomine Diuino, vt liceat ſibi perdere hoſtes, paratus eſt mori Samſon ille olim heros fortiſſimus, cum ipſis. Sicq; iſtam domum ſubuertit, vt pereant vltrà tria millia vtriuſque ſexus hominum, & in his Principes Philiſtæorum & ipſe ſimul occumbit fortiſſimè.

II. *Pars.*

Operæ pretium erit paucis etiam conſiderare, quid de hoc caſu Samſonis ſit iudicandum: & vtrum de æterna illius ſalute quicquam dubitandum.

Certum alioquin eſt, eos qui ſibiipſis manus inferunt (niſi id ex Melancholia & defectu rectæ rationis fiat) pro

pro desperatis habendos, & nisi in extremo halitu resipiscant, (de qua tamen resipiscentia nemo quicquam certi pronunciare potest) in æternum damnari: quia proprii corporis homicidæ de gratia Dei desperant. Quales erant Saul (de quo expresse dicitur quod mortuus sit in peccatis suis 1. Paral. 11. v. 13.) Ahitophel, Iudas.

Tractat hanc quæstionem eleganter D. Augustinus De Ciuitate Dei lib. 1. cap. 16. & sequentibus multis. Vide etiam Epistolam 61. Aug. ad Dulcitium. Tom. 2.

Item Tom. 7. Contra secundam Epistolam Gaudentii libro. 2. cap. 23. vbi improbat illud factum Raziæ 2. Mac. 14. inquiens, Non fuit vir iste eligendæ mortis sapiens, sed ferendæ humilitatis impatiens.

De Samsone autem longe alia hîc fuit ratio.

1. Fuit enim singulari spiritu heroico præditus, & ad id excitatus vt perdat Philistæos.

Fuitque Iudex & Magistratus sui populi. Ideoq; pro illis vt olim videns, sic iam cæcus pugnat.

2. Pœnitentiam egit in carcere de peccatis suis.

Quia hoc pia illius oratio ad Dominum indicat. Et sanè remissionem peccatorum consequutus est. Ideoque Dominus audit preces illius.

3. Nec priuatam vindictam sed gloriam Dei, liberationem sui populi, & interitum hostium Dei quærit. Neque nisi inuocato nomine diuino quicquam agit.

4. De vita sua non est sollicitus: quia melior illi mors. Et sic pro patria lubens occumbit.

Neq; alia est huius facti ratio ac si quis pius Princeps aut Dux militię pro patria & nomine Christiano sese obiicit periculo, quod à Turcis in bello imminet Christianis, & fortiter dimicans occũbit. Is moritur in vocatione.

De æterna itaque salute Samsonis non est dubium.

III. Pars.

I. Singulare hoc & heroicum factum Samsonis ab aliis nunquam hac ratione trahendum in exemplum,

vt

vt extra vocationis metas ſeſe vel periculis obiiciant temerè (qui enim amat periculum, peribit, Syr. 3. verſ. 27.) multò minus vt ſibiipſis mortem conſciſcant, Syr. 2. v. 14. Hoc enim eſt deſperationis ſignum, non fortitudinis, ſicut opinabantur Ethnici. Huc Auguſtini dictum referendum. Cont. 2. Epiſt. Gaud. libr. 2. cap. 23. Non debemus quicquid in ſcripturis etiam Dei teſtimonio laudatos homines feciſſe legerimus, conſentiendo approbare, ſed conſiderando diſcernere, adhibentes iudicium non ſanè noſtræ authoritatis, ſed ſcripturarum diuinarum. Et poſt: Samſon mortem perpeſſurus non ſua id ſponte fecit, ſed hoc ſpiritui Dei tribuendum eſt, qui vſus eſt eo, vt faceret, quando illi affuit, quod facere non poterat, quando idem ſpiritus defuit.

II. Si pij in ſua vocatione vel ruina ædium opprimantur, vel aliis tragicis caſibus pereant, non temerè de illis iudicandum, nec propterea condemnandi. Mors enim & afflictio non ſeparat à dilectione Dei, Rom. 8.

Exempla piorum miſerè coram mundo pereuntium ſunt Ioſias, Vrias Hetthæus, Zacharias, &c. His ad pœnitentiam Deus vult cæteros vocare, teſte Chriſto, Luc. 13. Vide Diſpoſit. illius Thematis mox ſequentem in hac Claſſe, in fine.

Appendicis Classis VII.

Casvs I.

De ruina ædificiorum oppreſſis.

EXEMPLVM II.

Hiob. 1. à verſ. 18. ad finem cap.

Hiſtoria de liberis Hiobis ſic oppreſſis.

DISPOSITIO.

Miſerabilis eſt hæc hiſtoria, & triſte patri Hiobo nuncium, de liberis ruina ædium primogeniti filij & fratris oppreſſis. Cum itaq; hiſce diebus ferè ſimile aliquid acciderit,

derit, & funeri præsenti casus ille tristis occasionem dederit, agite historiam prælectam iam in manus sumemus, vt ex illa doctrinam & consolationem petere possimus.

Audiamus itaque 1. nuncium de ruina illa dicentem.

2. Quo animo aduersum hunc casum tulerit Iob, videamus.

I. *Part.*

Omnibus constare arbitror, quomodo Satan impetrata venia à Domino bonum illum & pium Hiobem, vna die omnibus bonis exutum, etiam liberis charissimis orbum reddiderit. Fuit autem casus ille admodum miserabilis.

1. Habuit Iob filios septem & filias tres. Erant hi liberi Hiobis, vt decet fratres & sorores, admodum concordes, & filii singuli per vices statis temporibus sua agebant conuiuia, atque inuitabant fratres & sorores omnes. Erantque hilari animo, & nihil metuebant mali, nec forsitan de morte cogitarunt iam.

2. Interim parens domi pro ipsis orat ad Dominum, & ne quid mali accidat petit.

3. Cum autem in domo primogeniti filii omnes adessent conuiuio, ecce subitò ruina domus oppressi pereunt.

4. Nec præter eum seruum, qui hoc retulit parenti, quisquam euasit ex omnibus liberis boni Hiobis, cæterisque domesticis.

5. Etenim Satan malignus optimi viri hostis horribili excitato vento, ita concussit ædes, vt penitus subuerterentur & corruerent.

LOCVS I. Docet tristis hic liberorum Iobis casus, nunquam nos debere esse securos, ac si nullum immineat à morte periculum. Quia nescimus quando perimus. Sicut flos agri, sicut filum texentis, sicut radius textorius, sicut nebula, nubes, vmbra &c. transit vita nostra. Vide Class. VI. similitudines Biblicas.

Hortatur itaq; Syrach. 7. Memorare nouissima. Chri-

ſtus, Matth.24.25. Marc.13.&14. Vigilate, orate, Neſcitis quando tempus.2.Pet.3.Apoc.3.& 16.Sicut fur veniet.

Semper itaque debemus eſſe parati cum virginibus prudentibus. Matth. 25. Satan enim inſidias vitæ noſtræ ſtruit.1. Pet.5.v.8.

II. Non iudicemus aut condemnemus eos temerè, qui aduerſis caſibus pereunt: præſertim ſi pii fuerunt. Non eſt veriſimile Deum filios optimi Hiobis anima & corpore ſimul voluiſſe perdere. Alioquin & preces ipſius fuiſſent irritæ, & nimis grauis hæc tentatio. Nec dubium quin in timore Domini fuerint educati à parente. &c. Et ſicut Satanæ nulla fuit poteſtas in animam Iobis, ita nec animæ liberorum potuit nocere ἀπολύων.

Mors itaque licet triſtiſſima & improuiſa à dilectione Dei non ſeparabit. Rom.8.v.38.

Neque etiam ab euentu externo de pietate & ſalute hominum iudicandum. Quia eadem iuſto & iniuſto eueniunt. Eccleſ.9.v.2. Et multæ tribulationes iuſtorum. Pſalm.34. Non vt pereant ſed vt probentur. Syr.2. Sap.3. Prou.17.v.3.

II. Pars.

At quid bonus Hiobus tot preſſus calamitatibus? Numquid maledicit Deo? Numquid expoſtulat cum ipſo, quod ne vnum quidem ex liberis reliquerit? &c. Nihil horum.

Perturbatur quidem vehementiſſimè, vt ſigna doloris, euulſio crinium (hoc maximus illi dolor extorſit) laceratio veſtimenti (hic enim erat mos gentis) teſtantur. Et quid ni perturbatus ſit? Graue relinquere chara pignora, tam triſti caſu extincta.

At non peccauit, teſte ſcriptura, Hiobus contra Dominum, ne vno quidem verbulo.

(De facultatibus non iam dicemus, quibus exutus fuerit & quàm patienter tulerit, Nudus egreſſus &c. Sed de eo quod ad vtrumque poteſt referri, ad opes & liberos.)

Do-

Dominum adorat in terram procumbens, & nomen illius sit benedictum, ait. O magnam fidem & patientiam. Intelligit hæc prouenire à paterno Dei animo vt probetur, non vt pereat. Et agnoscit, Dominum non iniquè agere. Quia abstulit quod dedit. Liberi enim donum Dei sunt. Psalm. 127. vers. 3. Repetit ergò Deus iure quod suum est.

LOCVS I. Piis concessus est luctus si tristia accidant. Non enim laudat scriptura Stoicos ἀστόργους. Tempus lugendi. Eccles. 3.

Modus autem seruandus. Ne sicut gentes. 1. Thes. 4. v. 13. Syrach. 38. v. 16. & 21.

II. Patienter ferenda aduersa quæuis, etiam acerbissima. Maximè mors charorum pignorum, coniugum, amicorum. Deus dedit. Et abstulit.

Nec insurgendum aduersus Dominum, si maximè miserabiles sint casus isti. Ipse Dominus est inquit Eli. Faciat quod vult. 1. Sam. 3. vers. 18. Sit nomen benedictum. Non enim malè agit, qui bonus est. Non in ius vocandus. Vincit. Psalm. 51. v. 7. At nostrates multi maledicunt, blasphemant, accusant Deum iniquitatis, crudelitatis, si talia accidant. Sed malè.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS I.

De ruina ædificiorum oppressis.

EXEMPLVM III.

Luc. 13. à vers. 1. ad 6.

Historia de oppressis à turre in Siloah.

DISPOSITIO.

Tractata est historia in funere Nobilis viri, Sebastiani à Plieningen, &c. Qui per scalas delapsus periit. Anno 1597. Die 21. Aug. Typis excusa est Stutgardiæ Anno 1598.

Cuius hæc est summa.

Conuocauit nos hodie tristis ille casus, qui hisce diebus accidit. Quia autem conciones in funeribus defunctorum habentur ad informationem viuentium, præsertim in casibus aduersis, ideoque ex præsenti historia tractabimus hæc tria.

1. Quomodo de prouidentia diuina, quæ circa hominum actiones omnes, & imprimis circa mortem occupata est, rectè debeamus iudicare, ne vel ad dextram vel ad sinistram deflectamus, sed medium teneamus.

2. Quid sentiendum de salute eorum, qui subitaneis & aduersis casibus extinguuntur.

3. Quare Deus talia nobis interdum exempla ob oculos ponat.

I. Pars.

Circa diuinam prouidentiam bifariam errant homines.

I. Alij Epicuræi existimant Deum planè non curare res humanas. Similes ferè Sadducæis Act.23.v.8. Hinc illorum voces. 1. Cor.15.v.32. Esa. 22.v.13. Sapient.2.6.ad 21.

At Christiani rectius sentire debent & scire omnino, quod creator cœli terræque omnia administret, & in manu sua habeat vitam nostram antequam hanc lucem aspiciamus, & deinceps vsque ad mortem & resurrectionem nostram dirigat omnia. Huc pertinent illa Ier.1.v.5. Psal.139.v.15.16. Iob.10.v.8. Psal.22.v.10. Esa.49.v.16. Matth. 10.v.30. Apoc. 14.v.13. Sap.3.v.1. Eccles.12.v.7.1. Cor. 15.v. 44. Iob.19.vers.25.

II. Alij declinant ad sinistram & non minus errant quàm præcedentes: Stoici scilicet illi qui fatalem necessitatem omnium rerum, atque hoc etiam statuunt, quod Deus absolutè & simpliciter singulis terminum vitæ & genus mortis constituerit, vt non aliter possit fieri, quidcunque homo tentet. At sic vanæ essent Dei, de vitæ prolongatione aut decurtatione, promissiones atque com-

comminationes, quales sunt Exod.20.v.12. Eph.6.v.3.Psal. 55.v.24. Irritæ essent etiam preces pro nobis & aliis: Vana omnium medicorum ars: contra illud Syrach. 38. v. 4. Ideoque medium tenendum erit.

Sicut autem à Deo omnibus constitutum est mori. Hebr. 9. Syrach. 14. vers. 18. 1. Reg. 2. vers. 2. sic etiam ipse tempus nouit, & modum, quo genere mortis homo sit interiturus.

Quia verò Hiobus dicit cap. 14. Terminum non prçteribit, &c. sciendum, quod Deus vt plurimum agat mediatè, vt homo secundum communem naturæ ordinem hinc suo tempore decedat. Sicq; media vel ad vitam longiorem, vel ad mortem destinat. Patet id exemplo Hiskię. Esa. 38. cui immittitur morbus: deinde etiam applicatur medicina. Ideoq; cum nesciamus terminum, media non sunt negligenda: sed & preces non intermittendæ.

Notandum verò quod Deus ad communem naturæ ordinem non est alligatus: interdum terminum prorogat, interdum decurtat.

Aliter etiam agit cum piis, aliter cum impiis.

Pios interdum citius abripit ex his causis, quæ Sap.4.v. 11. allegantur. Item Esa.56.in fine. Patet id exemplo Iosię. 2.Reg.22.2.Par.34

De impiis alia est ratio. Vita illorum abbreuiatur. Vide Psal.55.v.24.Deut.28.v.21.Exempla.Ger & Onan. Gen. 38. Hophni & Pinehas. 1. Sam. 4. Interdum etiam diutius viuere sinit (Eccl. 7. v. 16.) vel vt inuitet ad pœnitentiam. Rom. 2. v. 4. vel vt condemnatio grauior sit, si tempus visitationis gratiosæ non agnoscant. Ierem.12.v.3.

II. Pars.

Porrò quæritur quid sentiendum de salute horum, qui aduersis & nonnunquam tristissimis casibus, vel in igne, vel in aqua, vel aliis modis pereunt? Hoc loco plerumq; solent homines admodum duri esse in iudicando. Patet id ex historia quam prælegimus: vbi sinistrè iudicant de Galilæis, & oppressis in Siloah. Ita iudicant Apo-

ſtoli de cœco. Ioan. 9. Et Melitenſes de Paulo Actor. 28. Ita amici Iobis. Iob. 4. & 5.

At nolite iudicare ante tempus, ait Paulus. 1. Cor. 4.

Ab externis euentibus non iudicandum ſed ſuſpendendum iudicium noſtrum. Quia iuſtorum multæ tribulationes. Pſal. 34. Et eadem eueniunt pio & impio. Eccleſ. 9. verſ. 2.

Non condemnandi igitur qui ſic pereunt, præſertim vbi fuerunt pij. Mors non ſeparabit. Rom. 8. v. 38.

Domini ſumus viuentes & morientes. Rom. 14. v. 8.

Quis igitur es qui iudicas? Rom. 14. v. 4.

Numquid non Latro in extremo mortis agone in gratiam receptus eſt à Domino?

III. *Pars.*

Tandem ſciendum etiam, quare Deus interdum ob oculos ponat exempla talium caſuum aduerſiſſimorum.

Nec dubium quin multæ ſint cauſæ nobis incognitæ, quaſdam tamen expreſſit in verbo, & Chriſtus de his hoc loco agit.

Aliter autem ſeſe res habet cum impiis, quàm cum piis, vt ſuprà etiam dictum.

In impiis tales caſus Tragici ſunt pœnæ diuinæ exempla ſingularia. De hoc Deut. 28. v. 59. 63. Ezech. 22. v. 20. Ezech. 23. v. 32. Oſe. 13. v. 8. Sophon. 1. v. 17. Iob. 21. v. 30. Prou. 29. v. 1. Pſal. 73. v. 19. Exempla Hophni & Pinehas. 1. Sam. 4. Simri & Caſbi Num. 25. Abſolom & Adonia. 2. Sam. 18. 1. Reg. 2.

Piis verò cum talia accidunt, non ſunt ſigna irati Dei, (Patet exemplo Ioſiæ) ſed hac ratione alios ad pœnitentiam vult vocare Dominus, teſte Chriſto hoc loco,

Huc pertinent Ierem. 25. v. 29. 1. Petr. 4. verſ. 17. Luc. 23. verſ. 31.

At pauci de hoc cogitant. Eccl. 8. v. 11. Cæteri dicunt id Eſa. 28. v. 15.

FINIS.

AP-

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS II.

De interfectis à bestiis.

EXEMPLVM I.

1. Reg. 13. à verſ. 23. ad 31.

Hiſtoria de Propheta occiſo à leone.

DISPOSITIO.

Mirabilis hoc loco ſed & miſerabilis legitur hiſtoria, de Propheta occiſo à leone. Et cum alioquin Deus prohibeat, Pſal. 105. v. 15. Prophetis meis nolite nocere, mirum videri poſſet, quare hoc Deus permiſerit leoni. Imò ſi rectè conſiderauerimus hanc hiſtoriam, videbimus, quod Deus præceperit id leoni: & quod leo mandatum Domini fuerit exſequutus. Hanc hiſtoriam in præſenti funere excutere libet. Tres autem ſunt partes huius hiſtoriæ notandæ.

1. Quis hic Propheta, & quomodo à leone occiſus.
2. Quæ huius violentæ mortis cauſa.
3. De ſepultura & humatione Prophetæ.

I. Pars.

Fuit hic, de quo hiſtoria refert, verus Propheta Domini (vir Dei appellatur verſ. 1. capitis) qui habitauit in regno Iuda. Is Dei mandato (v. 1.) venit in regnum Iſraël, vbi Ieroboam idololatriam inſtituerat, & contra altare in Bethel clamat, &c. Vide verſ. 2.

A Rege comprehenſus, Dei miraculo ſingulari liberatur, cum Ieroboami manus ſubitò exaruerit. Inuitatus à Rege (cum ad preces ipſius reſtituta fuiſſet manus) non vult cum ipſo conuiuari, ſed pergit ad locum ſuum, ſicut in mandatis dederat ipſi Dominus.

Poſtea verò in Bethel reuerſus, ibi cum alio Propheta pranſus eſt: Cum autem poſt ſumptum cibum redire vellet domum, in itinere occiditur à leone.

Sunt autem quædam circumſtantiæ notandæ.

1. Quod leo in publicam viam egreditur clara luce, id alioquin illis non eſt vſitatum, vt Pſalmo 104. v. 22. legimus.

2. Quod tantùm occidit, non autem deuorat aut dilaniat hominem.

3. Imò quod aſſidet cadaueri mortuo, tanquam canis cuſtoditurus corpus vſque dum aduenìant qui tollant occiſum.

4. Quodque aſino quo vectus erat Propheta parcit, eumque nec dilaniat nec deuorat, neq; ſicut Prophetam occidit, cum tamen illi per aliquot horas aſtiterit. Hæc non fruſtrà annotata leguntur.

Voluit autem his circumſtantiis docere Spiritus ſanctus, leonem non fortè fortuna in via hac offendiſſe Prophetam, nec fame impulſum occidiſſe, vt prædam venaretur, ſed ſingulari Dei conſilio & mandato ex ſyluis & latebris huc euocatum, vt occidat hunc Prophetam, & parcat aſino.

Locvs I. Videmus quàm varij ſint caſus, & varia genera mortis: Et quod multa etiam mortis pericula à brutis & beſtiis immineant. Alius ictu ſerpentis perit, alium equus ſternax, alium bos cornupeta occidit: pueri 40. ab vrſis laniantur. 2. Reg. 2. Samaritani à leonibus infeſtantur, 2. Reg. 17. Hadrianus IV. Pontifex à muſca perimitur. Mures etiam nonnullos leguntur occidiſſe, vt Hattonem Epiſcopum Moguntinum, & Wilderolphum Argentinenſem Epiſcopum, Popiellum Principem Polonum, atque Nobilem quendam, quem per mare ſequuti mures occiderunt. Anno 1056. Nec deſunt exempla etiam Magnatum qui in venationibus ab apris aut ceruis occiſi ſunt. Alij à canibus lacerati perhibentur, vt Diogenes Philoſophus, & Heraclitus Philoſophus atque Euripides poëta. Et infinita alia extant de beſtiis. Hæc dicuntur vt intelligamus, nunquam nos poſſe nobis polliceri vitam, ne ad momentum quidem. Ita ſemper orandum,

randum, vigilandum, & si peccauimus mox cum Deo redeundum in gratiam. De quibus aliàs sæpè.

II. Videmus quomodo bestiæ etiam Dei mandata exsequantur fidelissimè. Patet exemplo huius leonis & alterius. 1. Reg. 20. v. 36. Et vrsorum. 2. Reg. 2. Hinc dicit, ego pręcipiam serpentibus. Amos. 9. v. 3. Sic præcipit ceto. Ion. 1. in fine & 2. v. 11.

Hæc facient ad excitandum timorem Domini: ne ipsum exasperemus peccatis, alioquin omnes creaturas in nos potest armare. Vide Psal. 148. v. 8.

Et vide exercitum Dei mirabilem Ioël. 2. v. 25. Expertus est hoc Pharao cum suis, quid vel per pediculos possit Dominus. Exod. 8. v. 16.

II. Pars.

At quæ causa mortis huius? Vno verbo inobedientia. Acceperat enim mandatum ne in Bethel bibat aquam aut manducet panem. Ideò recusat manere cum Rege, vers. 9. Seductus autem à Propheta Bethelano patitur sibi persuaderi vt edat, ideò punitur. Hoc agnoscit ille alter Propheta & pœnitentiam agit, quod patet ex versu capitis 32. At de salute Prophetæ æterna benè sperandum: quia Deus contentus fuit pœna temporali, cum alioquin fidelis fuerit.

LOCVS I. Videmus quantoperè Deus irascatur his qui inobedientes sunt mandatis illius, vt ne Prophetæ quidem aliàs fidelissimo seruo parcat. Videtur res esse non magni momenti prandere cum aliquo: sicut Eua putat non esse rem grandem, decerpere fructum arboris, &c. Saul putat non esse rem magnam parcere pecudibus. 1. Sam. 15. vers. 21. At inobedientia grande scelus coram Deo. 1. Sam. 15. vers. 23. Strictissimè itaque seruanda mandata Domini. Non ad dexteram. Deut. 5. v. 32. Non addas nec minuas. Deut. 4. v. 2. Si enim Prophetæ non parcit, quid de aliis fiet? Vide 1. Pet. 4. vers. 18. Luc. 23. v. 31. Rom. 11. v. 21. Non itaque dicendum: Numquid irascetur Deus

propter rem tam vilem? &c. Obediendum etiam in minimis. Et seruus sciens. Luc.12.v.47.

II. Videmus quæ causa sit, quod Deus interdum sinit bestias grassari in homines, vt occidant: Peccatum scilicet & inobedientia. Ante lapsum dictum erat, Dominamini. Genes.1. vers.28. & post Genes.9. vers.2. Hinc aliquid de eo restat, quod puer potest frænum iniicere equo: quod baculo taurum regere, quod colla boum iugo subdere potest homo, &c. Interdum verò talia exempla ob oculos statuit Dominus, vbi bestiæ non faciunt officium, vt intelligamus à Domino illis alioquin imperari, non ab hominibus. Et vt admoneamur de peccatis, &c.

III. Pars.

Malè egit Prophetes Bethelanus, quod mendacio suo bonum Prophetam seduxit. Hoc agnoscit & pœnitentiam agit. vers. 32. Et rectè facit quod posthabito periculo (quod imminere videbatur à leone) corpus occisi tollit, honestè sepelit, eumque luget, &c.

L. I. Lugendi hi qui aduersis casibus perierunt: Non autem temerè iudicandi. Non enim illi magis peccarunt quàm cæteri, Christo teste Luc.13.v.5. Ab euentu iudicari non debet. Eccl.9.v.2. De his suprà.

II. Non sequitur animas etiam illorum perire, quorum corpora miserè perierunt. Alioquin infelices essent Prophetæ, Apostoli occisi, Martyres bestiis obiecti. Etsi maximè certis peccatis alij sibi has attraxerunt pœnas, vt propheta hoc loco: tamen carnem tantùm vult perdere Dominus, vt Spiritus saluus sit, sicut Paulus habet.1. Cor.5.v.5.

Si igitur ipsi incidamus in tales angustias peccata agnoscamus & pœnitentes oremus ad Dominum. Et saluabit animam. Si in aliis hæc fiant piis, cogitemus id Luc.13.v.5.&23.v.31.

F I N I S.

AP-

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS II.

De interfectis à bestiis.

EXEMPLVM II.

1. Reg. 20. à v. 35. ad 37.

De percusso à leone, propterea quod Prophetam vulnerare nollet.

DISPOSITIO.

Admodum mirabilis prima fronte apparet hæc historia, in qua videntur quædam stulta & ridicula, quædam verò iniqua & nimis seuera Dei iudicia describi. Stultum enim videtur, quod Propheta vult vulnerari, & ridiculum quod hoc nomine compellat proximum, quæso, percute me. Quod aliàs inuitis non rogantibus accidit.

Viciſsim iniquum videtur, quod iram DEI minatur Propheta ei, qui ipsi pepercit, & planè iniustum, quod propterea à leone occisus fuit.

Videamus itaq; has duas quæstiones.

1. Quare hic homo occisus à leone, iurene an iniuria id factum.

2. Quare bestiis permittat Deus, vt occidant homines.

I. *Quæstio.*

Occisus legitur vir quidam à leone in via.

1. Hîc primum quæri potest, vtrum singulari DEI consilio occiderit leo hominem, an id fortè fortuna factum à leone, forsitan famelico, aut dum venaretur prædam? &c. Dicimus autem, hoc singulari Dei consilio & mandato factum. Alioquin leo in via publica non oberrasset, & hominem clara luce aggressus fuisset. Patet id inde, quod prædicitur à Propheta, Domino ita mandante, Percutiet te leo. Estque hic leo exequutor mandati Diuini. Sicut is 1. Reg. 13. v. 23. Et sicut vrsi, 2. Reg. 2.

2. Qua-

2. Quare autem occiditur hic homo à leone? Quia noluit vulnerare Prophetam.

At inquis, Numquid non propterea laudandus esset, quod parcit viro Dei? Et si vulnerasset leoni tradendus, sicut pueri illudentes Prophetæ, 2 Reg. 2.

Respondeo. Inobedientia hæc erat erga Dominum, & illa punitur. Licet enim hoc nobis videatur ridiculum, tamen singulari consilio voluit DEVS vulnerari Prophetam, vt viuam daret concionem Regi Benhadado.

Ideoq; Propheta illi indicat, hoc esse mandatum Dei, vt vulneret ipsum. Sic enim Textus clarè dicit: In sermone Domini dixit vir Dei ad socium suum, &c.

Et nouit ipse, hunc esse Prophetam Domini, atque potuit facilè coniicere, Non sine graui causa & consilio Dei Prophetam hoc petere, & ipsum non insanire facilè vidit. Ideoque sicuti peccasset percutiendo ipsum inuitum sine Dei mandato, iuxta id Psalm. 105. vers. 5. Nolite tangere, ita peccat non percutiendo volentem ex mandato Dei. Nec peccat alter ille, qui postea ipsum vulnerauit. Ideoque reprehenditur tanquam non audiens vocem Domini. Et pœnas dedit inobedientiæ percussus à leone.

[Certè nostrates multi prompti essent hac in parte, si modò illis liceret vulnerare ministros Domini impunè. Sie weren willig/vnd thetens vngebeten/wann sie solten Pfaffen abschmieren / oder wohl gar todt schlagen. De hoc iam plura addere nolumus.]

LOCVS I. Hic verò locus docet, quomodo Deus sua mandata strictissimè velit obseruari. Ideoque non licet nobis illa vel curiosè prius examinare, vel iuxta rationis nostræ ductum exsequi, & facere quod nobis videtur rectum. Testatur historia Saulis, 1. Sam. 15. v. 20. quomodo Deus reiiciat nostra effugia. Quod ego præcipio, hoc tantùm facito, Deut. 12. v. 32. Non quod tibi rectum videtur, Deut. 12. v. 8. Non addas, nec minuas, Deut. 4. Licet absur-

absurdum videatur nobis tamen parendum. Abraham nihil disputat cum Deo, cum filium iuberetur occidere, Gen.22.v.3.

Placet Deo obedientia, 1.Sam.15.v.22.

L. II. Quomodo omnes creaturæ Dei, & bestiæ etiam, exsequantur mandata Domini, vide Dispositione præcedenti, parte prima.

L. III. Variis casibus homines interire. Vide ibidem.

II. *Quæstio.*

Miserabilis sanè casus est, si contingat hominem anima rationali præditum, ad imaginem Dei conditum, sanguine Christi redemptum, & in æternum saluandum, occidi & vita priuari à bestia vel animali bruto.

Et repugnat ordinationi diuinæ, qui non tantùm ante lapsum hominem iussit dominari omnibus animantibus, Gen.1. v.28. Sed & post Diluuium benedicens hominibus, hoc adiecit, Gen.9.v.2. Terror vester sit super cuncta animalia terræ.

Neque negari potest, Deo permittente, imò etiam mandante (vt patet ex loco Amos 9. v. 3.) bestias grassari in vitam hominis. Patet id ex hoc loco, & 1.Reg.13. simili ferè casu.

Respondeo. Propter peccatum & inobedientiam hominum Deus interdum præter communem naturæ ordinem agit, & homines rationales irrationalibus animantibus perdit, docens, si bruta faciant mandatum Domini, magis hoc decere homines. Si verò sint inobedientes, dignos esse qui pereant à bestiis. Faciant ergo Christiani officium, & seruient illis vicissim bruta animalia: quod est singulare Dei beneficium. Alias homines illas bestias nec domare, nec illarum opera vti possent. Deo id acceptum ferendum, & gratiæ agendæ pro hoc. Pauci de hoc cogitant.

FINIS.

Appendicis Classis VII.

Casus III.

De igne suffocatis vel absumptis.

EXEMPLVM I.

Leuitic. 10.

Nadab & Abihu filii Aharon igne absumpti.

DISPOSITIO.

Psal.148. v.8. dicitur inter alia, quod ignis etiam exsequatur verbum & mandatum Domini. Exemplum istius loci habemus hoc loco, vbi miserabilis casus describitur, quomodo scilicet duo filij Sacerdotis Aharonis absumpti & adusti fuerint flammis vltricibus.

Primum autem refert historia, quid peccauerint duo hi filij Aharonis, & quomodo Deum irritauerint.

Deindè verò quàm horribili mortis genere perierint, additur.

I. Pars.

Aharoni quatuor erant filij, Nadab & Abihu, Eleazar, Ithamar. Hi consecrati erant in Sacerdotes singulari ritu, vt videre est Leuit.8. v.1. & id factum erat septē diebus, Ibid. v.34. Octaua autem die initium debebant facere sacrorum, quæ diuinitus erant instituta. Atque sacrificante Aarone apparuit gloria Domini, vt sic publicè ministerium ipsius & filiorum confirmaretur. Ibi verò iram Dei in se concitarunt (duo illi Num.3.v.2. maiores natu filij) Nadab & Abihu, hoc pacto. Thuribulis suis imposuerunt thymiama aromaticum, vt suffitum facerent coram Deo, quod quidem erat præceptum & pars cultus, Exod. 30. At in hoc transgressi sunt mandatū Domini, quod ignem alienum obtulerunt. Debebant enim adolere illud thymiama, sumpto igne, qui restabat de eo, qui cœlitus erat delapsus, & (non sine miraculo, vt quicunq; adolere vellēt thymiama, illud de eo incenderent) sacrificium Aharonis

nis absumpserat, vt in fine cap. 9. habetur. Capite autem 6. suprà Dominus ita ordinauerat, vt ignis ille in altari perpetuò foueretur.

Disputant hîc & Hebræi & alij Patres antiqui, quodnam fuerit peccatum horum filiorum, quod Deus seuerissimè vltus est.

Alij sentiunt eos fuisse ebrios & temerè ingressos tabernaculum. Idque inde coniiciunt, quia mox in hoc capite filiis Aaronis vino interdicitur, cum debent sacra facere. vers. 9.

Et non omninò reiicienda est hæc sententia.

Alij dicunt peccasse, quod non lauerint sese, sicut præceptum erat Exod. 30. v. 19. & quod non omnes vestes sacras induerint, &c.

Alij dicunt, in hoc peccasse quod noluerint accipere vxores. Quia legantur fuisse maiores natu, & non habuerint filios. Num. 3. Hoc verò ineptum est. Et carent hæ opiniones fundamento Textus. Sufficiat nobis hæc causa, quam Spiritus sanctus apertè refert, quod peccauerint offerentes ignem alienum. Id sæpè repetitur. Num. 3. & 26.

LOCVS I. Licet autem nobis non videatur tanti momenti esse transgressio, vt Deus propterea in ipsos tam grauiter debeat animaduertere, tamen sic voluit nos DOCERE Dominus, quod sua mandata strictissimè velit obseruari, & non addi illis quicquam, nec etiam detrahi, vt Deut. 4. & 12. præcipit. De hoc etiam suprà Dispositionibus duabus præcedentibus nonnihil annotatum est.

L. II. Videmus quàm faciles sint lapsus humani, & quod etiam viri Magni, consecrati, spirituales, &c. à peccatis non sint immunes. Erant hi duo assumpti cum patre in montem, vbi Dominus legem promulgare volebat, & viderunt Deum Israel, vt habetur Exod. 24. vers. 9.

Erant nuper consecrati singulari ritu & à Deo ordinati. Iam peccantes pereunt. Itaque omnes necesse habent

bent orare, Remitte nobis, Psal.32.v.7. Nemo securus sit, sed timeat, Rom.11.v.20. Qui stat, 1.Cor.10. v.12.

Orandum, Ne auferas, Psal.51.v.14.

II. Pars.

Grauissimè autem puniuntur hi Sacerdotes.

Etenim dicitur ignis à Domino egressus illos consumpsisse, vt mortui fuerint coram Domino. Non autem intelligendum est, corpora illorum in fauillas & cinerem redacta fuisse. Nam mox iubet illos Moses deportari extra castra, atque dicuntur vestibus lineis induti exportati. Sic nec vestes quidem absumpsit flamma. At flamma exanimauit illos, & interiora magis quàm exteriora adussit membra, vt subitò fuerint extincti. Sic pœnas dederunt temeritatis: quæ non semel in scripturis, sed aliquoties repetitur, Numer. 3. vers. 4. & 26. vers. 61. & 1. Paralipom. 25. vers. 2. De salute tamen eorum benè speratur.

L. I. Videmus Deum etiam interdum vti igne, vel cœlitus demisso, vel aliundè accenso, ad puniendos homines. Sicut initio concionis ex Psalm. 105. dictum. Extant exempla plura igne absumptorum, Num.16. v.35. 2.Reg. 1.v.10. Simri Rex impius igne perit, 1.Reg.16. Ergò qui timet ignem, caueat peccata. Nam ignis etiam inextinguibilis æternus aduret impœnitentes, Esa.66. Matth.25. Apoc. 20.

L. II. Sicut filij Aharon non creduntur igni infernali cruciandi, propterea quod corporaliter perierunt, ita de piis, qui in igne pereunt, non iudicandum temerè. De impiis alia est ratio, Apoc.21. v.8.

L. III. Si Deus consecratis suis, filiis summi Sacerdotis, nuper vnctis, nepotibus optimi, &c. charissimi amici Mosis non parcit, vbi peccauerunt, quid fiet de aliis, Luc. 23. v. 31. De his alibi suprà.

FINIS.

AP-

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS III.

De igne suffocatis vel absumptis.

LOCVS II.

Psal. 66. v. 12.

Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

DISPOSITIO.

Congregati sumus hodie in funere hominis pij, & Ecclesiæ nostræ membri, qui incendio & igne periit. Quia igitur admodum miserabilis est iste casus, ideoq; consolatione atque doctrina opus erit. Hanc verò ex scriptura petere possumus & debemus, teste Paulo, Rom. 15. vers. 4. Placuit autem charitati vestrę in hoc casu luctuoso explicare verba Psalmi, quæ audiuistis legi, in quibus Propheta primum docet, quod ignis & aquæ periculis expositi sæpius sint pij. Deinde etiam gloriosam Domini liberationem ex igni & aqua commendat.

De his duabus partibus iam dicemus.

I. Pars.

Vt autem mentem Prophetę rectius intelligamus, primum dicendum, quid hîc per ignem & aquam intelligatur.

Per ignem autem non principaliter & in specie intelligitur ignis materialis aut elementaris, vel combustio aliqua aut incendium, quo interdum homines pereunt, (vt casus præsens docet) Sed generaliter sæpè in scriptura ignis pro cruce & tribulationibus quibuscunque, & pro quauis re lædente atque noxia, interdum etiam pro grauissimis tentationibus (quæ hominem sicut ignis adurunt & exsiccant) sumitur. Patet id ex Esa. 43. v. 2. Si transieris per ignem. Esa. 29. v. 6. Visitaberis flamma ignis deuorantis.

Thren.1.v.13. Misit ignem,& Thren.2. v.3. Amos 7.v.4. Zachar.3.v.2. torris de igne, & 13.v.9. Marc.9.v.49. 1.Corinth.3.v.13.

Similiter etiam per aquas intelliguntur tribulationes, præsertim in Psalmis.

Psalm.18.v.17. liberauit de aquis multis.

Psalm.69.v.2.16. & 17. Psalm.124.v.4. & 5.

Psalm.144.v.7. Esa.43.v.2.

Thren.3. v.54.

Vbi verò aqua & ignis coniunguntur, vt hoc loco, & Esaiæ 43. vers.2. Omnis generis tribulationes cumulatæ & quasi tempestates obruentes homines pios intelliguntur.

Ridiculum admodum est, quod Pontificij hunc locum ad ementitum suum purgatorium referunt. Cum sancti in his terris habeant suum ignem purgatorium, in quo tanquam argentum & aurum in igne probantur & examinantur. Quia verò hîc aqua cum igne coniungitur, quiuis videt de igne purgatorij, quod ab aqua facilè restinguitur, nullum hic verbum dici: nisi fortè purgatorium suum etiam in aqua locum aliquem occupare fingant. Sicut fingunt (referēte Bellarmino & aliis) animam cuiusdam in stillicidio, aliam in aqua feruenti, aliam in gelida, aliam in balneis fuisse purgatā. Sed mittamus hęc mendacia, & ad doctrinas huius loci nos conuertamus.

DISCIMVS autem hinc, Nunquam sine tribulationibus esse pios etiam & sanctos Dei homines. Psalm.34. Multæ tribulationes iustorum. Idem Actor.14.v.22. 2.Timoth. 3. v.12.

Et vnusquisq; habet quod ipsum torquet. Alius ignem sentit, hoc est, tela illa ignita, Ephes.6. v.16. alius aquam, quæ absorbere vult. Et qui ex vna tribulatione euaserunt, aliam exspectare coguntur. Sicut qui ignem effugisset, & in aquam demergeretur, aut vicissim. Vide querelas Pauli, 2.Cor.11. v.29. & cæteris.

Hic verò ignis à Domino succenditur non ad perdendum

dum pios, sed ad probandum, vt patet ex 1. Pet. 1. v. 7. Syr. 2. Prou. 17. v. 3. Sap. 3. v. 6.

Atque vult Deus suos igne tentationum vstulare, vt ab igni inextinguibili Esa. 66. v. 24. praeseruentur. Huc referenda etiam illa corporalis calamitas, si quis incendio pereat. Grauis quidem est, sed non talis, quae animam etiam possit adurere. Et tanto tolerabilior, quod plures Christiani in ignem (si non corporaliter, spiritualiter tamen, sicut modò diximus) deducuntur. At sequitur liberatio.

II. Pars.

Eduxisti nos & refecisti. Sic enim habet versio germanica, pro eo quod Latinus habet, eduxisti nos in refrigerium.

CONSOLATIO hinc peti potest maxima, quod in maximis tribulationibus Deus suos non sinat perire, sed clementer liberet. Sic enim promisit, flammae te non absument & aquae non submergent. Quia ego tecum. Esa. 43. Nouit enim suos de tentatione eripere. 2. Pet. 2. Eripiam. Psal. 50. & 91. Vide etiam Thren. 3. vers. 31. Ose. 6. v. 2. 1. Sam. 2. v. 6.

At inquis, Nescio quomodo hoc verum sit, apud omnes, aut omni tempore? Videmus enim multos perire in tribulationibus illis. Prophetae, Apostoli, Stephanus & alii Martyres in tormentis illis miserè interierunt? Respondeo. Non vna tantum est Dei liberatio, temporalis scilicet, sed etiam alia, & multò illa gloriosior, cum ad aeternam vitam transmittit suos. Nemo rapiet animas illorum. Ioan. 10. Interim custodit Psal. 34. vers. 21. numerat, Psalm. 56. vers. 9. & absterget, Esa. 25. Apocalyp. 21. Patienter ergò feramus omnia exspectantes refrigerium. De quo etiam Christus Matthaei 11. Ego reficiam.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS IV.

De fulmine ictis, aut de cœlo tactis.

EXEMPLVM I.

Hiob.1.v.16.

Ignis de cœlo oues puerosq; consumpsit.

DISPOSITIO.

In Prouerbium abiit, cum de tristi aliquo nuncio sumus dicturi, vt nuncium Hiobis vocemus. Nota enim est historia, quod vna die Iob acceperit nuncium de quatuor casibus aduersissimis: quod scil. hostes Sabæi boues & asinas arantes, Chaldæi verò camelos abduxerint, & vtrique seruos occiderint. His verò non contentus Satan, filios & filias Iobis ruina ædium fratris primogeniti excitato vento horribili oppressit.

Vtque omnibus simul bonis exuatur, igne de cœlo tactas oues simul & pastores peremisse legitur hoc loco.

Cum itaque his diebus simile aliquid acciderit, non quidem in multis sed vna tantum persona de cœlo tacta, (aut pluribus) cuius funus iam comitati sumus, ideoque ad doctrinam & consolationem nostram præsentem historiam considerabimus, & ostendemus:

1. Qualis ille ignis, vnde accendatur, & quomodo, quando item & quare de cœlo mittatur.

2. Quid de his sentiendum, qui igne cœlesti absumpti vel suffocati pereunt.

I. Pars.

1. Ignem cœlitus demissum non semel ex sacra historia patet. Ignis demissus à Domino incendit sacrificium Aaron, Leuit.9. Et 1.Reg.18. Ignis Eliæ sacrificium absumit. Sic Salomonis, 2.Paral.7. Item 2.Reg.1.absumit milites Ahasiæ. Sic hoc loco oues & seruos Hiobis.

Ignis etiam Gomorrham & Sodomam, atq; vicinam regionem vastat, Gen.19. [Sæpè

[Sæpè aliàs ignis à Domino egressus legitur, vt Leuit. 10. Num.16. & 26.&c.]

Neque desunt exempla nostri seculi, vbi ignis cœlitus demissus visus est.

Sed & omnibus constat, quid possint fulmina, siue clara (vt vocant Physici) siue incendentia. Tria enim fulminum genera faciunt Physici: Clarum, fuliginosum, & incendens. Multos sic periisse compertum est.

Anno 1604. 31. Iulii propè Stutgardiam in campo duo pueri cum duobus equis, quos illi pascentes custodiebant, fulmine perierunt.

2. At vnde ille cœlestis ignis? A quo accenditur? Certè à Deo. Licet enim physici variè de his rebus disputare soleant, tamen quia Deus in sua manu habet ignem, glaciem &c. Psal.148. Ideo Psal.18.v.15. dicit, Dominum mittere fulmina sua.

Nec semel ipse Dominus apparet in igne, vel in aut cum flamma, vt Exod.3. & 19. & 24.v.17. Psalm.97.v.3. In igne apparebit quoque Dominus, & igne mundum est absumpturus. Esa.66.2.Pet.3.

3. Quomodo verò ignem demittit? Vel immediatè vt Leuit.9.1.Reg.18.2.Reg.1.

Vel mediatè excitatis tempestatibus. Interdum etiam Satanæ tantum permittit vt ciêre tempestates & ignem elicere possit, vt hoc loco. Et eleganter exprimit Textus hanc rem. Licet enim Satanæ opera in deiiciendo igne vsus fuerit Dominus, tamen ignis DEI dicitur decidisse. Quia is in manu sua habet.

4. Quando ignem Dominus demittit & quare? I. Olim hoc modo signum gratiosæ præsentiæ ostendere voluit, vt Leuit.9.1. Reg.18.2.Paralip.7. II. At eodem signa iræ suæ dedit, vt Gen.19. delendo Sodomam, & 2. Reg.1. perdendo milites. Olympius Episcopus Arianus, cum Trinitatem blasphemaret, ignito triplici iaculo cœlitus veniente, multis videntibus ictus est. III. Sed interdum etiam probaturus suos (aut alias etiam ob causas,)

Satanæ, vt noceat igne, permittit, ei tamen terminum præfigit, vt hoc loco. Et quod hæc planè ſint in ipſius arbitrio poſita, hinc patet, quod in ictu fulminis mirabiliter agit contra & præter omnem rationis noſtræ intellectum.

Interdum hominem necat fulminis ictu, vt ne veſtigium vllum cœleſtis iniuriæ appareat in corpore.

Exempla poſſent adduci, vbi monile aureum in collo nobilis mulieris liquefactum, & læſum fulmine, ipſa muliere nullatenus, nec læſa nec occiſa.

Hieronymi Fracaſtorij mater, dum ipſum infantem in vlnis geſtat, fulmine tacta periit, ipſo infante illæſo.

Martia Romanorum princeps, teſte Plinio, cum grauida eſſet, fulmine icta eſt, exanimatoque partu citra omne aliud incommodum vixit. Quin & dolia fulmine claro exhauriuntur intactis eorum operimentis: aurum & argentum in ſacculis liquatur, nec ſacculi aliquo modo amburuntur, ne confuſo quidem ceræ ſigno, quo erant obſignati, &c Miranda hæc exempla teſtantur mirabilem illum Dominum hunc ignem accendere, demittere & dirigere pro lubitu ſuo.

I. Docent itaq; Dei prouidentiam in his caſibus conſiderare, vt intelligamus, neminem fortuito caſu ſic lædi, cum capillus capitis cuiuſque Dei manu ſit numeratus, Matth. 10. Luc. 12. Nemo itaq; ſine Dei voluntate aut ignorante vel ipſo de cœlo tangitur. Dañ er iſt kein blinder Schütz/ vnd weiß wohl wen er treffen will: Auff den zihlet er auch.

II. Impij ſunt, qui nec fulgura nec fulmina Dei tonantis timent vel curant: cum exemplis teſtetur, quid poſſint illa Dei tela.

III. Pari impietate laborant, qui non Deo ſed ſagis & miſeris mulierculis tribuunt tempeſtatum & fulgurum atque grandinum ſimul & fulminum coctiones, vt ipſorum verbis vtar. Quamuis enim non negari poſſit, poſſe Diabolum Deo permittente (alias enim planè eſt impotens,

tens, vt patet exemplo Matthæi 8.) ciere tempestates, & damnum dare, sicut ex hac ipsa historia manifestum est, vicissim tamen certum est, miseros homines à Satana fascinatos, planè nihil horum suis herbis & verbis atq; coctionibus (quæ sunt gramina cocta Medeæ) &c. efficere posse.

IV. Nec absunt ab eadem impietate hi, qui nescio quibus superstitionibus, aut Magicis artibus, ridiculis etiam interdum suis commentis (quæ referre pudet) fulmina & diuina illa tela posse auerti, & aliorsum dirigi fabulantur. Cum apud Christianos extra omne dubium sit, non posse iram & supplicia Dei, nisi seria pœnitentia & piis precibus auerti aut inhiberi.

Legimus Anastasium Imperatorem, cum ex oraculo sibi fulmine pereundum didicisset, Tholotum ædificium construxisse, in quo degit, sed frustra. Quia fulmine ictus in eodem ædificio mortuusq; inuentus legitur. Sic enim ipsum pœnas suæ impietatis dedisse referunt.

II. Pars.

At quid de salute eorum sentiendum, qui vel fulmine icti, vel igne cœlesti absumpti sunt?

Duo genera hominum de cœlo tactorum nobis scriptura proponit.

Alij planè sunt impij & impœnitentes, de quorum impietate constat, vt Sodomitæ, Genes. 19. Tales sic pereunt corpore & anima. De his enim nulla spes superest. His ira Dei est ignis consumens & deuorans.

Et post hunc ignem sentient ęternum illum & inextinguibilem. Cuius vult interdum signa ponere ob oculos, vt pœnitentiam doceat.

Sed & alij leguntur igne cœlesti absumpti, de quibus non constat, quod fuerint impœnitentes & reprobi. In horum numero sunt hi serui Hiob, igne absumpti.

Ita Nadab & Abihu igne à Domino pereunt, Leuitic. 10.

De horum ſalute benè ſperamus, quod Dominus corporali pœna ſit contentus.

Quod ſi piis aliquid tale accidat, ſciendum, Deum ſuos interdum igne tribulationum corporalium probare, & electos reddere, & ab igne infernali præſeruare velle.

His ignis etiam in bonum cooperatur, vtpote Deum diligentibus, Rom. 8. nec poteſt ignis ſeparare à dilectione Dei, Ibidem.

Et niſi conſtet fulmine ictos omninò fuiſſe malos & impœnitentes, non ſunt temerè iudicandi. Idque ex ſententia Luc. 6. v. 37. Rom. 14. v. 4.

Huc pertinet id Chriſti, Luc. 13. v. 2. Et ſi pij fuerunt, cogita quid futurum de impiis, 1. Pet. 4. v. 17. Luc. 23. v. 31. Impiis alius ignis exſpectandus, qui Diabolo paratus eſt, Matth. 25. Apoc. 20. & 21.

F I N I S.

Appendicis Classis VII.

Casvs IV.

De fulmine ictis aut de cœlo tactis.

EXEMPLVM II.

Leuit. 10.

Hiſtoria de Nadab & Abihu igne egreſſo à Domino abſumptis, poteſt huc etiam referri, ſua quadam ratione. Etenim licet non per omnia reſpondeant præſentis caſus exempla, tamen doctrinæ ab inſtituto non ſunt diuerſæ, aut alienæ. Hiſtoria autem hæc ex Leuit. 10. capite ſupra tractata eſt in hoc Appendice, inter exempla caſus Tertii.

AP-

Appendicis Classis VII.
Casvs IV.
De fulmine ictis aut de cœlo tactis.
EXEMPLVM III.
2.Reg.1.verſ.10. & 12.

De duobus Quinquagenariis igne cœleſti abſumptis propter Eliam.

DISPOSITIO.

Horrenda eſt hiſtoria, qua deſcribitur, quomodo duo SemiCenturiones ſinguli cum quinquaginta militibus igne cœleſti fuerint abſumpti. Crudelis etiam videtur magnus ille Propheta Domini Elias, qui illis hoc malum fuit imprecatus. At ſi hanc rem paulò altius conſiderauerimus, patebit, nec inique egiſſe Prophetam, nec iniuriam factam militibus.

Primum igitur, Quinam hi fuerint milites, & quid acturi venerint ad Prophetam.

Deinde quid illis acciderit, &c. videbimus.

I. Pars.

Paucis hoc loco recitanda hiſtoria ex 2.Reg.1. cap. Æger ex caſu quodam Ahaſias Rex Iſraël, mittit ad Idolum Baalſebub legatos, vt conſulant oraculum, an poſſit ſanitati reſtitui. Legatis obuiam fit Dei mandato Elias, & iubet illos Regi mortem denunciare, & eundem reprehendere grauiſſimè, quod Idolum vellet conſulere. Legati domum reuerſi referunt & verba Eliæ, & quo is ſit vultu atque veſtitu indicant.

Ex habitu agnoſcit Rex, eſſe ipſum Eliam, quem cum patre Ahabo haud ſemel viderat.

Iratus itaque mittit SemiCenturionem cum cohorte, vtque Eliam captiuum ipſi ſiſtant ilicò, mandat grauiter in ipſum animaduerſurus.

Cum quinquaginta igitur militibus egreditur Quin-

quagenarius,&cum Eliam offendiſſet ſedentem in monte, ipſum compellat, Vir Dei, Rex mandat, vt deſcendas. Et niſi id feceris, ego te manu armata comprehendam atque regi ſiſtam. Cumq; primus periiſſet, ſecundus mittitur cum totidem militibus. Et is fere iiſdem verbis compellat Prophetam. Inquiat aliquis, Quid quæſo hi SemiCenturiones cum ſuis militibus peccarunt?

1. Exſequuntur ſui Regis mandatum, Numquid faciendum quod Rex præcipit?

2. Non integrum illis erat diſputare cum Rege, quid velit ipſe ſtatuere de Elia. Potuiſſet forſitan Propheta ſe Regi excuſare.

3. Præterea titulum honoris præmittunt, & vocant virum Dei. Numquid non rectè hoc? Quid igitur in îllis deſiderat Elias quod tantoperè ipſis iraſcitur, vt perdere velit?

Reſpondeo. Ex hoc ipſo titulo cognoſci poteſt, quod grauiter peccarint hi milites.

Vel enim ſerio ipſum ſic vocat primus & ſecundus Capitaneus, (Dannes iſt einer wie der ander) & agnoſcit (quod potuit ex miraculis quibus celebris erat Propheta) Dei Miniſtrum eſſe Prophetam. Ideoque malè agit, quod Dei Miniſtrum vult vi pertrahere ad necem, & in capitis diſcrimen adducere. Neque excuſat ipſum mandatum Regis, Deo magis obediendum, quam hominibus. Act. 4. & 5. Et debuiſſet ipſum humiliter alloqui, ſicut fecit Capitaneus tertius. At hic armata ſe ipſum manu comprehendere poſſe & inuitum ad ſupplicium rapere putat. Imò quia conſtitit ipſi Regem iratum Prophetæ, ideoque Regem potius mittigare debuiſſet, & hanc legationem detrectare aut deprecari. At miles eſt, qui Regi etiam impio pro offa ſeruit.

Aut ſi non ſerio ſed per Ironiam, (vt plerique ſentiunt) ſic compellat Prophetam, impius eſt irriſor Dei. Qui enim vos ſpernit me ſpernit. Luc. 10. Et non leuius peccatum committit. Vult enim illius vaticinium de morte ſui

ſui Regis irridere, quaſi id Propheta non ſciat, tanquam Dei oraculum.

LOCVS. Nihil hic de Rege dicemus, ſed tantum de militibus & Capitaneis eorum.

Qualis autem capitaneus tales etiam ſunt milites, qui nec ipſi in capiendo viro Dei ſuam obedientiam debuiſſent præſtare. At ſunt omnes prompti & parati, vt miſerũ Dei miniſtrum rapiant ad ſupplicium. Sie haben eben ein guten Luſt zum Pfaffen. Sic plerumque fit. Quia miniſtri vaticinantur impiis quæ non placent, ſicut Ahab de Michea queritur. 1. Reg. 22. verſ. 8. Eſa. 30. verſ. 11. & Mich. 2. Si eſſem mendax. verſ. 11. At diſcamus Deum ſic irrideri Luc. 10. v. 16. Ideoque non procul abeſſe pœnam: quod hi ſunt experti. Et pueri deridentes Eliſæum. 2. Reg. 2. Et illudentes Ieremiæ. 1. Theſ. 4. verſ. 2. Mandata dedimus per Ieſum. Voluntas hæc Dei eſt. &c. Et verſ. 8. Qui contemnit non homines ſed Deum ſpernit.

Et ſi maximè non cadat ignis de cœlo mox vbi peccaſti, tamen ignis infernalis aduret te.

L. II. Impia nec Regum quidem mandata ſunt exſequenda. Vide Ex. 1. v. 21. & 1. Sam. 22. verſ. 17. Nec excuſati erunt tales ylla ratione. Act. 5. v. 29. At nemo ferè eſt qui contradicat. Principem magis timent quam Deum.

II. *Pars.*

Intelligit Elias ipſos irridere Deum, ideoque ipſo facto vult illos experiri, vtrum ſit Miniſter Dei. Si ſum vir Dei, decidat ignis. &c. De repentè ignis abſumpſit vtrumque Capitaneum cum ſuis.

Quæritur, an non peccauerit Elias vindictæ cupiditate? Reſ. Fuit zelus diuinus. Et Propheta non ſuum, ſed Dei honorem ſic voluit aſſerere. Et diuinitus fuit excitatus Elias multaque eius facta ſunt ſingularia & heroica, quale illud etiam 1. Reg. 18. v. 40. ideoq; non imitanda. Et diuina fuit hęc pœna, ideoq; dicitur v. 12. de cœlo ignis Dei cecidit. Neque verò quiſquam debet ex cupiditate vin-

vindictæ imprecari proximo malum, & ignem cœlitus (si posset) euocare. Ideò Christus reprehendit Apostolos, Lucæ 9. idem tentantes, v. 54.

Et non facta fuit iniuria illis militibus ex causis supradictis. Ideoque metuendum, ne corpore & anima simul perierint.

DISCIMVS autem, Ignem quoq; interdum seruire & militare Deo contra peccatores: vel cœlitus demissum, vel quoquo modo ad nocendum à Deo destinatum, Psal. 148. Exempla extant Leuit. 10. Num. 16. & 26. v. 10. Alia verò plura exempla supplicij per ignem extant alibi, vt Iosuæ 7. Achan. Ossa Prophetarum 2. Paral. 34. v. 5. Et Simri Rex, 1. Reg. 16. v. 18. Et qui sic in sua impietate pereunt, etiã perpetuo igni reseruantur, Esa. 66. Apocal. 20. & 21. Nec hi tantum, quos hîc ignis adussit, ibi sentient vstulationem (piis enim nec ignis damnum dabit animæ, vt supra ex Rom. 8. v. 28. & ibid. v. 39. sæpè dictum) sed quibus hic Deus parcit, illi maioribus flammis reseruantur.

Si itaque non times fulmen, si non incendium, tamen metuas æternum illud gehennæ incendium. Si vis effugere, pœnitentiam age, &c.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS V.

De dolosè occisis.

EXEMPLVM I.

2. Sam. 3. à v. 26. ad 28.

Historia Abneri occisi à Ioabo.

DISPOSITIO.

Describitur nobis in hac historia tristis admodum & luctuosus casus, vbi Princeps quidam Israëlis & Vir Magnus (ipso Rege teste, versu cap. huius 38.) occubuit.

Neq; verò id factum in bello & ab hostibus, quod fuisset

ſet tolerabilius, ſed in pace nefariè occiſus eſt à filiis iniquitatis, (verſ.34.) ſub prætextu amicitiæ.

Cum autem & occiſus & occidens fuerint magni viri & Principes militię atque in aulis ſuorum Regum primarii, vtriuſque perſonam conſiderabimus, vt ſic 1. in Abnero iuſtum Dei iudicium, 2. in Ioabo autem exemplum hominis ſubdoli videamus, atque multa quæ in ipſo concurrunt vitia vitare diſcamus.

I. *Pars. De Abnere.*

Abner fuit vir bellicoſus & ſtrenuus, Dux militiæ temporibus Regis Saulis, & vir magnæ authoritatis apud Iſraelem. Et ipſe verè eſt Rex. Iſboſeth tantum titulum gerit regis. Erant autem Saul & Abner patrueles. At iuxta Pſalm. 62. verſ. 10. Viri magni etiam haud raro hallucinantur grauiſſimè.

1. In hoc igitur peccauit Abner, quod contra Dei voluntatem conatur regnum Iſraëlis transferre ad Iſboſethum cognatum ſuum, filium Saulis, quãuis non ignoret, reprobatam à Deo familiam Saulis, & electum Dauidem, quod ipſe tandem coram ſenioribus fatetur. v. 17.

2. Deinde quod deficit à Rege & cognato ſuo, nec id quoque laudari poteſt. Quia non habet eius rei iuſtam cauſam. Satius fuiſſet primùm dehortari Isboſethum, ne regnum affectaret. Quia omnia erant in manibus Abneri, ipſum etiam cor regis. At reprehenſus Abner propter ſcortationem cum Rizpa concubina Saulis, vindictam meditatur. Et iurat ſe translaturum regnum ad Dauidem. Quamuis igitur videatur rectè feciſſe Abner, quod Dauidi regnum Iſraëlis à Deo deſtinatum reſtituit, tamen alium finem habet Abner, ſcilicet, vt reprehenſionem Isboſethi iuſtam vindicare iniuſtè poſſit. Ideò hoc non fit amore Dauidis, ſed odio Isboſethi.

Hæc ideò dicuntur, vt cum ſumus audituri cædem Abneri, intelligamus Dei iudicium. Licet enim Ioabus malitioſè egerit: tamen Deus ſic ſuum exſequitur iudicium.

cium. Joab hat nit recht gethan. Dem Abner aber ist nit vnrecht geschehen. So strafft Gott allzeit einen bösen Buben mit dem andern.

Sed & alia causa fuit quare Deus patiatur occidi Abnerum, hæc sc. vt intelligant omnes, non hominis Abneri scilicet (licet is multa prolixè de hoc polliceatur) sed Dei beneficio Dauidem regno Israëlis potitum fuisse.

Discimus autem in Abnero, Neminem quicquam vel sibi vel aliis posse promittere de futuris euentibus, quia nesciat, de se quid futurum sit. Abner putat se in pace abiturum à Rege, & omne Regnum se ad Dauidem translaturum. At eadem die occiditur antequam Sol occidat. Notanda itaque in omnibus actionibus hæc scripturæ loca. Prou. 27. v. 1. Iac. 4. v. 13. Psal. 146. v. 4.

Et hanc quidem ob causam omninò necesse est, vt ad hunc scopum dirigamus omnia nostra consilia, vt seruiant gloriæ Dei, saluti proximi, & pacatam atque tranquillam nostram faciant conscientiam, vt quacunque hora, & quocunque mortis genere pereundum sit, nos habeamus Deum propitium, & relinquamus nomen bonum in terris, quod omnibus thesauris est pretiosius. Prou. 22. Syr. 42.

L. II. Quod si etiam alii cuidam viro honesto & pio idem accidat quod hic Abnero, non debemus de tali casu temerè iudicare. Semper enim Deus habet suas causas quare id permittat. Iudicium autem Dei, Augustino teste, occultum esse potest, iniquum esse non potest. Nec potest talis aliquis licet tristis & aduersus casus nocere saluti piorum. Quia mors non separat. Rom. 8. v. 38.

II. Pars. De Ioabo.

Pessimè cum Abnero agit Ioabus, & ipse vir magnus atq; cognatus Dauidis, Dux militiæ & magnæ authoritatis apud populum &c. propter peritiam belli & fortitudinem, quam demonstrauit 1. Chron. 12. v. 6. & alibi passim.

Peccat autem multifariam. 1. Quod reuocat Abnerum,

tum, & quem Rex in pace dimisit, ipse in bellum (vt sic dicam) vocat. Et quod non parcit illi, cui Rex parcit.

2. Quod ex vindicta priuata occidit Abnerum, propter Asahelem fratrem. Cui tamen non erat facta iniuria. Vide 2. Sam. 2. v. 22. Er wolt nit anderst.

3. Metuit Ioab ne Abner ipsi præferatur à Dauide. Sicque ex ambitione peccat.

4. Pessimum est, quod simulat amicitiam, & non aperto Marte pugnat cum Abnero, sed dolosè occidit.

Ideoq; etiam suo tempore pœnas dedit, 1. Reg. 2. v. 34.

Locvs I. Cauendum ne peccemus vindicta priuata. Mea est vltio. Ego retribuam, Deut. 32. v. 35.

II. Tuta frequensq; via est per amici fallere nomen,
Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.

Osculum Iudæ. Dolosi non dimidiabunt, Psal. 55.

III. Cauenda homicidia. Non tantum propter vindictam Magistratus, qui non potest nec debet parcere. Gen. 9. v. 5. Ab altari rapiendi, Ex. 21. v. 14. quod experitur Ioab, 1. Reg. 2. Sed & propter id 1. Ioan. 3. v. 15.

FINIS.

Appendicis Classis VII.

Casvs V.

De dolosè occisis.

Exemplvm II.

2. Sam. 20. à v. 8. ad 11.

Historia Amasæ occisi à Ioabo.

DISPOSITIO.

Syracides noster capite octauo de iracundis & audacibus pronunciat, quod illis fundere sanguinem humanum res nihili sit. Vide v. 19. Id profectò tanquam in speculo cernitur exemplo Ioabi Ducis militiæ Dauidis. Is enim cum pro re ludicra habuisset cædem viginti quatuor virorum, in Helcat Hazurim, 2. Samuel. 2. vers. 16. suaque insu-

insuper manu magnum illum Abnerum (à quo Asahel frater interfectus erat) occidisset, iam etiam cognatum suum Amasam dolosè confodit, à quo ne vno quidem verbulo læsus erat. Parum enim ipsi est fundere sanguinem humanum.

Quia verò etiamnum hodiè reperiuntur homines adeò cruenti aut crudeles, (quod præsens funus docet) historiam præsentem & factum Ioabi examinabimus, & doctrinas inde nostro tempore admodum necessarias extruemus.

Paraphrasis Textus.

Verè vir sanguinum erat Ioabus, vti scriptura tales vocat. Et sanè quod in bello est strenuus & hostes sui Regis necat, id ipsi vitio non vertitur. 1. At hoc nomine reprehenditur à Dauide morituro (qui ipsum propterea vult rapi ad supplicium 1. Reg. 2. vers. 5.) quod effuderit sanguinem belli in pace. &c. Et à Salomone, cap. eodem v. 29. quod occiderit meliores se.

2. Videturque scriptura hoc illi vitio vertere, quod gladium gestarit ad hoc fabrefactum (sunt verba scripturæ quæ sequuntur) vt leui motu egredi posset & percutere. Sein Schwert steckte jhme gar leyß.

3. Hoc verò demum intolerabile est, quod Amasam commilitonem suum, Ministrum Regis Dauidis, à quo non erat læsus, occidit, dum in itinere est, vt exsequatur mandatum Regis, & insequatur Seba seditiosum.

4. Crudele est quod occidit eum, qui erat sanguine ipsi iunctus. Consobrini erant Ioab & Amasa. Erat enim Amasa filius sororis Dauidis Abigailis. Sic & Ioab filius alterius sororis Dauidis, Saruiæ.

5. Quodque aliam sui homicidii causam nullam habet, quam ambitionem & inuidiam. Metuit enim ne ipsi præferatur Amasa, quia in locum illius à Dauide erat surrogatus. 2. Sam. 19. v. 13.

6. Plane Diabolicum autem est hoc, quod simulat ami-

amicitiam. Salutat Amasam: Osculatur ipsum. Et interim subdole nihil talè metuentem aut cogitantem occidit, atque tanta vehementia ipsum configit, vt ex primo & vno hoc vulnere mox expirârit Amasa.

Quantum verò attinet ad Amasam, in ipso cernitur iudicium Domini: qui permisit ipsum occidi propterea quod sese Absoloni seditioso coniunxit. Ignouit quidem hoc illi Dauid, vt patet 2. Sam. 19. v. 13. Et licet excusari sua quadam ratione videatur cum cæteris, quod Absolom ipsis furatus fuit cor, (vt est in 2. Sam. 15. v. 6.) tamen Deus illum punit. Quia verò ad Dauidem rediit, puto illum etiam agnouisse peccatum, & cum Deo quoque rediisse in gratiam, sicut cum Rege. Ideoque ipsum non condemnabimus.

LOCI.

I. Pauci cogitant quàm grande & inexpiabile scelus coram Deo sit, fundere sanguinem humanum. Patet id ex Gen. 9. vers. 5. Exod. 21. v. 14.

Vide quam execrandum sit, Gen. 4. v. 11. Exod. 21. v. 28. & seqq. Deut. 27. v. 24. Prou. 6. v. 17. Ezech. 33. v. 25. Patet inde etiam grauitas & atrocitas huius delicti, quod leges dedit de expiando homicidio, cuius author ignorabatur, Deu. 21. v. 1. & seqq. multis. Nec omninò immunis ab omni pœna est etiam qui homicidium inuoluntarium commisit. Exod. 21. v. 13. Num. 35. v. 22. Deut. 4. v. 41. & 19. v. 4. Tam pretiosus coram Deo est sanguis humanus.

Hoc pauci cogitant. Denen die Rappir so leiß stecken / wie dem Joab. Nec possunt excusari, qui hodie gladios gestant, fabrefactos ad perdendum homines primo ictu, in pace. [Nam in bello iusto & legitimo alia est ratio, ibi valet regula illa, Ierem 48. v. 10.]. Nec excusat illos coram Deo quando dicunt, Es ist vor der Faust geschehen. Quasi verò propter leuē offensam liceat occidere hominem. Es sey vor der Faust / oder hinder der Faust / satis est te esse homicidam. Vita ergo æterna indignus

es.1.Ioan.3. Quod si Magistratus non facit officium, tamen Deus puniet, vel in hac vita, ignominia & cæde, iuxta id Gen.9. v.6. vt Ioabum: vel tamen in altera, Apoc.22. foris homicidæ, v.15. Apoc.21.v.8.

II. Diabolicum illud vitium Ioabi & Iudæ, qui sub osculo fidem fallunt, caueant omnes. Etenim illos singulariter detestatur Dominus, Psal.5.v.7. & 55.v.24.

Multò autem magis hodiè communia sunt illa homicidia, quæ sub prætextu amicitiæ, & sub osculo plerumq; committuntur lingua [Ier.18. v.18.] quàm violenta illa. Quantò autem vsitatiora, tantò deteriora. Vide Ier. 18. v.23. Væ illis.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS V.

De dolosè & nefariè occisis.

EXEMPLVM III.

2. Sam. 4.

Historia Isbosethi, à Baena & Rehob fratribus perfidè occisi.

DISPOSITIO.

Miserabilis est historia, quæ docet, quàm miserè Isbosethus ille filius Regis Israel, atq; adeò vir illustris, & iustus (sicut Dauid ipsum vocat vers.11.) à suis ministris in lecto dormiens, occisus fuerit. Facinus sanè auditu horrendum & crudele. Quia verò nonnullæ circumstantiæ principaliter sunt considerandæ, hanc historiam ordinè tractabimus, & memoriæ iuuandæ causa tres personas obseruabimus.

Primò, occisus miser Isbosethus considerandus.

Secundò, considerandi perfidi parricidæ & latrones.

Tertiò, Rex Dauid, mercedē dans parricidis pro nuncio, (vers.10.) was er jhnen zum Bottenbrodt gegeben.

I. Per-

I. Pars. De Isbosetho.

Ex filiis Saulis vnus videtur superstes fuisse Isbosethus; vir regno parum aptus, qui forsitan istud non affectasset, si non Abneri consiliis & auspiciis res gesta fuisset.

Confidit autem in Abnero suo Duce & quasi prorege. At is iam deficit, & occiditur. Iam miser neminem habet qui ipsi ferat opem, præter Capitaneos illos fratres, Baena & Rehob. Illi sunt homines perfidi. Tandem itaque videt & experitur, Deum ipsi regnum non destinasse. Et debebat sanè iam ante illud in manus Dauidis resignasse, quem sciebat regno magis aptum, & à Deo electum. Debebat exemplo parentis sui edoctus rectius sapere, & sceptrum tradere vncto Dei. At ipse Dauidi bellum infert, & contra voluntatem Dei regnum paternum sibi seruare cupit.

Grauiter ergo Deum offendit. Ideoque etiam grauiter punitur. Occiditur miserè: At non in bello, sicut Ionathan, qui fratre multò est felicior. Nec ab hostibus, sed à seruis. Non pugnans, sed dormiens in lecto suo, ipsa meridie. Fortassis etiam ebrius, aut tamen de peccatis non pœnitens necatur. Verè igitur miser Rex fuit, & nunquam fœlix.

LOCVS I. Videmus verum esse istud Syracidis cap. 10. & 40. Cinerem & puluerem atque adeò mortalem & miserum atque omnibus miseriis æquè subiectum eum, qui coronam gestat in capite, ac eum qui induitur cilicio.

Hoc si considerare possent personæ illustres, nobiles atque potentes, fortassis minus peccarent superbia, iniusta oppressione pauperum, voluptatibus, &c.

L. II. Videmus quàm incerta sit vita nostra & quàm inconstans: vt non semper de lecto surgat qui cubitum iuit in pace. Ideoque necesse, vt Deo animam corpore dormiente custodiendam piis precibus commendemus: & cum Deo redeamus in gratiam. Quia media vita in morte sumus.

III. Videmus Deo inuito neminem nec vitam, nec

regnum nec opes, &c. posse seruare. Nec valere consilium aduersus Dominum. Prouerb.21.vers.30. Itaque viuat quilibet sua sorte contentus. Magnus quæstus pietas. 1. Tim. 6.vers.6. Satius fuisset Isbosetho viuere apud Dauidem, & haberi in honore & pretio, sicut Mephiboseth, quam Regem esse miserum duorum annorum & miserabiliter occidi.

Itaque rectè monet Syr.3.v.22. Altiora non quæsieris, &c. Et ibidem v.19. Humili loco manendum.

IV. Hominibus non fidendum vltrà quàm par est. Nunquam autem in ipsis confidendum. Ierem.17.v.5. Abner erat cognatus, Baëna & Rehob custodes corporis Isbosethi: at perfidè agunt omnes, erga virum iustum, scilicet quantum ad ipsos attinebat, cum quibus non iniquè egerat Isbosethus.

II. De parricidis

Filij Rimmon vocantur Baena & Rehob, & haud dubiè fratres fuerunt.

1. Connumerantur Beniamitis, atque adeò contribules Isbosethi. 2. Imò sunt ipsius serui: nec vilioris conditionis homines, sed officiis honestis ab ipso præfecti & Capitanei. 3. Atque his patet aditus ad Regem omni tempore. 4. Et iam hoc ipso tempore accipiunt sua stipendia, triticum è domo Isbosethi. 5. Patet ipsis aditus in cubiculum Regis. 6. Ipsum & dormientem & vigilantem debebant custodire. 7. Ecce hi perfidè occidunt Dominum suum. 8. Nec satis. Sed caput abscindunt. 9. Et quasi re benè gesta properant ad Dauidem: Ecce caput inimici tui, &c. Quæ causa huius cædis nefariæ? Sperant præmium, & locum honoris se apud Dauidem inuenturos opinantur: cum videant iam omnia ad Dauidem spectare. Itaque deficiunt à Domino suo, &c.

LOCUS I. Videmus qualia sint ingenia humana, inconstantia & ad fortunæ nutum propendentia. Cum Isbosethi res adhuc viderentur benè habere, cum ipso sunt

ſunt Abnerus & hi Capitanei. Mox verò reſiliunt, imò occidunt Dominum perfidi. Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris. Itaque non confidendum hominibus, ne quidem coniunctiſſimis. Pſal. 118. verſ. 8. 9. ſed Domino, qui non fallit fidem. Aut enim non poſſunt homines iuuare, morte præuenti, Pſal. 146. v. 4. aut non volunt perfidi. Ier. 9. verſ. 4. & ſeqq.

II. Videmus nullum eſſe tam grande facinus, quod committere non auſint homines, ex cupiditate alicuius lucri, vel honorum aut gloriolæ, vel nummorum. At quid prodeſt homini lucrari mundum? Matth. 16. v. 26. Non itaque malè agendum propter lucrum terrenum. Es wirdt dich zu schwer ankommen. Pſal. 49. verſ. 9. Koſtet zu viel.

III. De cauendis homicidiis ſupra ſuo loco. Vitam æternam amittunt. 1. Ioan. 3. Magis id fiet de parricidis. Grande nefas. Dauid rectè ſentit. 1. Sam....

III. Pars.

Sperant parricidæ mercedem nuncij & præmium. Itaque cum præfatione pompoſa tradunt caput Iſboſethi Regi Dauidi. At is mercedem dignam ſe illis daturum promittit, quale dederit nuncianti, ſe occidiſſe Saulem. Truncatis igitur manibus & pedibus ſuſpendi ipſos præcipit in Hebron, vt intelligatur quantoperè deteſtetur Dauid iſtud parricidium. Caput verò Iſboſethi ſepeliri curat. Et ſic Deum ſentit propitium.

Locvs. O dignum factis præmium. Exemplum imitandum omnibus Magiſtratibus, vt non tantum ſanguinem effuſum vindicent, ſed & omnibus aſſentatoribus, & delatoribus, qui lingua occidere alios tentant, Ierem. 18. v. 18. talem reponant mercedem.

Si id fieret, multi boni viri de vita & honore non periclitarentur. Si id non fiat, iudicabit Dominus ſuo tempore omnes iniquos.

FINIS.

Appendicis Classis VII. Casvs VI.

Continens præcipitatorum aut casu vel lapsu pereuntium exempla.

Exemplvm I.

1. Sam. 4. à v. 13. ad 19.

Eli Sacerdos senex de sella cadens ceruicem fregit.

Dispositio.

Describitur hoc loco mors magni illius viri, qui caput Israëlis erat, in Ecclesia & Politia, Heli videlicet. Is enim simul & summus Sacerdos & Iudex, hoc est, Dux Israëlis erat. Habet autem plerumque mors magnorum virorum singulare aliquid, sicut etiam hoc loco cernitur.

Dicemus igitur primùm de morte Heli.

Deinde, quæ huius violenti casus fuerit causa.

I. Pars.

Fuit Eli Iudex Israëlis annis quadraginta continuis: Vir nonagenarius, atq; quantum in ipso, non malè administrauit Rempublicam, vir bonus & iustus, neque ingratus Israëli. Indulgentior autem erga filios quàm par erat. Is hoc loco expirasse legitur, non subitò tantum, sed etiam miserè. Fracta enim ceruice cadens de sella moritur, in loco publico, sedens ad ostium tabernaculi.

Locvs. Magnorum virorum haud rarò tragici sunt exitus, & mortis violentæ talium non desunt exempla, si maximè inter impios non possint numerari.

Miserandus sanè est casus huius tanti viri, qui Iudex fuit Israëlis, & tam senex est, vt videre non possit præ senectute. Huic quietus & tranquillus exitus omninò fuisset optandus. At miserè perit fracta ceruice. Iosias optimus alioquin Princeps, & is quidem iuuenis, sagitta confossus interiit. Sic Samson vnus ex prædecessoribus

Eli

Eli Iudex Iſraelis, ſic & Ionathan, 1. Samuel. 31. Sic Iudas Machabæus perit, 1. Mac. 9.

Ratio huius eſt, quod ipſi etiam magni viri interdum hallucinantur, Pſal. 62. v. 10. Suntq; illi etiam peccatores. Et tantò conſpectius eſt illorum peccatum, quantò illi habentur maiores.

Quia autem apud DEVM non eſt reſpectus perſonarum, ideoque illos interdum corripit, vt cæteri indè exemplum ſumant, & cogitent, ſi id ſit in viridi, quid fiet in arido? Luc. 23. v. 31. Et ſi iuſtus vix ſeruatur, 1. Pet. 4. verſ. 18. Si naturalibus ramis non pepercit, Roman. 11. verſ. 21.

Interim tamen aduerſi iſti caſus corpori quidem damnum dant: animæ verò non. Etiam anguſtiæ & pericula, & gladius, atque mors violenta non ſeparant à DEO, Roman. 8. De his autem loquimur, qui agnoſcunt peccata, & cum Deo per pœnitentiam in gratiam redeunt. Sicut Eli corde pœnitenti ſuſcipit illud triſte nuntium, 1. Samuel. 3. verſ. 18. & reſpondet, Ipſe Dominus faciat quod vult. Itaque ex his caſibus boni viri non iudicandi temerè. Habet enim Dominus etiam alias cauſas, cur id fieri permittat, quod patet exemplo Ioſiæ, 2. Paralipom. 34. v. 28. Et tenenda hæc Regula, Roman. 8. in talibus caſibus, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

II. Pars.

Non immeritò quæri poſſet, quæ fuerit cauſa, quæ mortem accelerauit tam violentam magno illi viro Heli? Multæ quidem concurrunt cauſæ, ſed vna principalis eſt, 1. Senium. 2. Corpus prægrande. 3. Nuncium illud triſte de occiſis filiis, & fuga populi. 4. At hoc inprimis illum de ſella deiicit, quod de capta arca Domini audit. Hoc enim diſertè innuit verſu 18. Pro hac etiam ſolicitus eſt magis, quam de filiis, verſu 13.

Audit igitur gloriam Domini translatam ab Israële, quod & nurus illius conqueritur vers. 22.

Etiam memor est verbi Domini ad ipsum facti, 1. Samuel. 2. vers. 29. & sequentibus. & capite 3. vers. 11. & sequentibus.

Quodque ipse sua lenitate & præpostera erga filios indulgentia causa huius mali fuerit, id bonus iam senex agnoscit, & hoc illi ceruicem frangit, &c.

LOCVS I. Nemo oneret conscientiam suam peccatis, ne illa, vbi conscientia mordere cœperit, negotium facessere possint viuenti, vel morituro. Quomodo enim peccatum angat & torqueat bonum hunc senem, omnibus patet. Beatus igitur quem non mordet conscientia. Iob. 27. v. 6. Iuge conuiuium, Prou. 15. v. 15. Beatus, Syr. 13. in fine. Studemus habere bonam conscientiàm, Act. 24. v. 16. 1. Tim. 1. v. 19.

LOCVS II. Inprimis cauenda peccata, quibus gloria Domini imminuitur aut conspurcatur. Hoc vitio vertitur Heli, quod propter malitiam filiorum ipsius blasphemetur sacrificium, Malachiæ 1. Vbi honor meus? Quod si is sic angitur, qui lenitate sua (erga liberos præpostera) occasionem dedit malo, quod post euenit, quid de his fiet, qui ipsi gloriam Domini volentes & scientes conculcant. Semper itaque hoc cauendum, ne gloria Domini per nosmetipsos, vel per nostram concessionem, aut offensionem ab aliis labefactetur. Nam qui gloriam Dei minuit, inglorius erit, 1. Sam. 2. vers. 30. Dauidi gladium minatur Dominus, quia spreuit gloriam Dei, & blasphemari fecit nomen Domini, 2. Samuel. 12. vers. 10. & 14. Ob hanc causam pereunt Hophni & Pinehas.

L. III. Parentes non nimium indulgeant liberis, sed asperius corripiant quàm Heli, si non eadem de illis audire voluerint, quæ hic miser senex.

FINIS.

AP-

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS VI.

Continens præcipitatorum aut casu pereuntium exempla.

EXEMPLVM II.

Actor.20.à verſ.7.ad 13.

Eutychus ſomno depreſſus, & è tertio cœnaculo delapſus, mortuuſque ſublatus, à Paulo vitæ reſtitutus.

DISPOSITIO.

Caſum primò mirabilem, poſt triſtem, & lætum tandem narrat nobis Lucas, hoc loco. Mirabile enim videtur, quod audiens ſacras conciones, in præſentiſſimum vitæ diſcrimen adducitur.

Triſtiſſimum autem hoc, quod deuotus iuuenis, dum concionem audit, graui lapſu perit. At lætus euentus omne malum mitigat, in fide multos confirmat, atq; vitæ reſtitutus iuuenis magnam affert cęteris conſolationem.

Hanc verò hiſtoriam vt diligenter excutiamus, operæ erit pretium. Itaq; hunc adoleſcentem 1. viuum, 2. mortuum, 3. & reſuſcitatum conſiderabimus.

I. Pars.

Paulus Apoſtolus prædicauit Euangelium CHRISTI Troade. Illinc verò poſt paucos dies abiturus, concionem (vt ita dicam,) valedictoriam habet ad illos, vno quodam die Sabbatorum. Congregantur itaque ad ipſum Chriſtiani, qui erant Troade, audiunt ipſius concionem in quodam cœnaculo ſublimi. Et protraxit Paulus ſermonem vſque in mediam noctem: ita vt lucernis illis opus fuerit in cœnaculo. Aſſidet autem inter cœteros auditores hic noſter adoleſcens, nomine Eutychus, concionem Pauli audiens in mediam vſq; noctem, donec tandem ſomno degrauaretur profundo. Quamuis autem

non sine causa Euangelista hoc loco videatur reprehendere dormientem in concione sacra, forsitan tamen posset aliqua ratione excusari hic iuuenis, quod post tot horarum spacium, quibus concioni interfuit, & post mediam noctem (vbi plerumque somnus irrepere solet etiam inuitis) somno (haud dubie contra voluntatem) fuit oppressus

LOCVS. Condemnabit hic adolescens in nouissimo die plurimos ex nostris iuuenibus, quorum planè nullus est zelus in audiendis concionibus sacris: & qui dum conciones habentur abeunt ad potandum, ludendum, &c. His paulò sunt meliores cæteri qui in hoc vno imitantur Eutychum, quod dormire solent, dum conciones habentur: sed non post multas horas, aut post mediam noctem demum somno grauantur, verum ante mediam horulam, &c. Nullus enim apud plerosque zelus.

Contra monet Salomon, memento creatoris in iuuentute tua. Eccl. 12. Et commendatur Iosias quod puer adhuc quæsiuerit Dominum. 2. Par. 34. v. 3. sicut Christus puer in templo hæret aliquot diebus. Luc. 2. A teneris assuescere multum. Monendi itaque etiam parentes vt assuefaciant liberos ad sacras conciones, lectiones. Deut. 6. v. 7. Acue filiis. Et Exod. 10. Filiis tuis dices. Vide vers. 2. Gen. 18. v. 19. Scio quod præcepturus filiis.

II. Pars.

Somno profundo oppressus Eutychus decidit è fenestra in qua sederat, ex tertio cœnaculo deorsum in terram. Er ist von dem obern Saal dreyer Stock hoch herunder gefallen. Atque ex illo casu subitò expirauit.

Magna inde oritur apud omnes auditores tristitia: non tantum propter huius iuuenis pii casum, sed etiam propter aduersariorum calumnias, qui hoc nomine Euangelij doctrinam essent traducturi, & conuentus ipsorum nocturnos magis exagitaturi. At mox refocillantur.

L. Monere voluit Dominus hoc casu, non esse dormiendum dum sacra tractantur. Estque hoc loco magna & pla-

&planè inexcuſabilis noſtrorum hominum erga verbum Domini ingratitudo, qui prius ſomno grauantur, quàm vnius ſemihorulæ concionem audiuerint.

Imò magis dolendum hoc, quod non pauci quamprimum initium concionis factum eſt, ſeſe ad quietem componunt, non aliter ac ſi propterea Eccleſiam ingreſſi eſſent, &c. Bone Deus, ſi omnes illi cum Eutycho ad terram præcipitandi eſſent, plures interdum in templis reperirentur mortui quàm viui.

Corrigenda iſta ſomnolentia & excutiendus veternus. Non aures tantum feriat ſermo ſacer, ſed penetret ad cor. De auditoribus Petri dicitur, compuncti ſunt corde. Act.2.v.37. Cuſtodiendum ſemen in corde puro. Luc.8.v.15. Precibus itaque opus, ne Diabolus tibi claudat oculos, & in ſomnum declinet lumina tua.

II. Videmus quam neceſſarium ſit vigilare, ne mors incautos obruat. Nam ſicut hîc temporalis mors ſomnolentum Eutychum, ita æterna mors illos perdit, qui ſomnolenti ſunt, dum animæ ſuæ prouidere debent. Hinc tot admonitiones, Vigilate. Matth.24 25.26. Marc. 13.1. Cor.16.1. Pet.5. Id non de vigiliis nocturnis intelligitur, cum quod caret alterna requie, non ſit durabile, ſed de vigiliis cordis ad Dominum. De quibus Pſ.63.v.2. Eſa.26. v.9. Ne ſcilicet curis huius mundi, tãquam ſomno depreſſi negligamus ſalutem noſtram. Ideoquè Paulus monet Rom.13.v.11. vt ſurgamus de ſomno. Et cauendum ne quis inueniatur dormiens. Apoc.3.v.3.&16.v.15. Mar.13.v.36.

III. Mors non parcit cuiquam, nec iuueni, nec ſeni, nec locus eſt, in quem non mors etiam irrumpat: nec cœnaculum ſuperius vel inferius. Itaque ſemper & vbique memento mori, Syr. 7.

III. Pars.

Solatur Paulus mœſtos, & aſcendens exemplo Eliæ atque Eliſæi 1.Reg.17.2.Reg. 4. incumbit ſuper puerum & precibus effuſis (abſque dubio) petit à Deo reſtitutionem

vitæ

vitæ pueri. Et respondet euentus exspectationi. Anima enim mox ad corpus redit. Ideoque inquit, anima ipsius in ipso est: licet adhuc in deliquio iacente puero non appareat signum vitæ. Mox verò post adducitur iuuenis viuus. Atque ex hoc miraculo magnam Christiani acceperunt consolationem.

L. I. Sicut qui hîc turbati fuêre, inexspectata morte iuuenis, magno cum gaudio illum recipiunt viuum: ita qui suos hîc per mortem amiserũt liberos, cognatos, &c. eosdem illic sunt recepturi, 2.Sam.12. v.23. Ergo non tumultuentur, quod hîc Paulus vetat vers.10. id est, in luctu non excedant modum.

L. II. Solatur hosce Christianos resuscitatio adolescentis. Sit & hæc nostra consolatio in vita & morte, 1. Thess.4.v.18.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.
CASVS VII.

De his qui sagittis vel telis confossi, aut vulneribus confecti pereunt.

EXEMPLVM I.
2. Paralip.35. à v. 22. ad 25.

De Iosia Rege Iuda ex vulnere mortuo.

DISPOSITIO.

Psal.4.v.4. affirmat Dauid, quod Deus mirabiliter ducat sanctos suos. Id verum esse, præsens historia Iosiæ docet. Cum enim optimus Rex hactenus occupatus fuisset restauratione templi, & reformatione Ecclesiæ, ecce iam bello implicatur & perit. Est & aliud quod videtur mirabile in oculis nostris. Hoc scilicet, quod cum promisisset Dominus Regi piissimo, [In pace infereris in sepulchrum tuum, 2.Par.34.v.28.] is iam in prælio vulneratur, & ex illo vulnere moritur.

Præ-

Præsentem itaque historiam considerabimus, & has duas quæstiones examinabimus.

1. Quo genere mortis Iosias abreptus fuerit.

2. Et quid de hoc illius casu aduerso iudicandum. Vtramque ad nostrum institutum accommodabimus.

I. *Quæstio.*

Pugnaturus Rex Ægypti Nechao contra Regem Assyrium, transit cum exercitu per fines regni Iuda. Huic armata manu occurrendum, & transitu ipsum prohibendum statuit Iosias. Quamuis autem Ægyptius missis ad Iosiam legatis significarit, se non petere bello regnum Iuda, sed Assyrium, tamen Rex Iuda illum aggreditur cum exercitu, prope Megiddo, & vult experiri Martis aleam.

Ibi tum Ægyptiorum telis petitus, vulneratur grauissimè. Sentiens vulnus lethale, mandat vt currui alteri impositus transuehatur ex prælio. Mox ibi in Megiddo moritur ex illis vulneribus 2. Reg. 24. v. 29. & mortuus deducitur Hierosolymam, ibique honestè, at magno cum luctu omnium bonorum, sepelitur.

DOCET tristissimus hic casus & toti regno Iuda luctuosus, non rarò etiam pios aduersis casibus interire. Et verum omninò illud esse quod Ecclesiastes habet cap. 8. vers. 14. & cap. 9. vers. 2. Euenire piis ac si haberent opera impiorum. Eandem etiam sæpè esse fortunam piorum & impiorum.

Telo configitur impius Ahab. Sic & pius Iosias. In bello occumbit impius Ioram. 2. Reg. 9. vers. 24. Occumbit pius Ionathan. Sagitta percussus Iulianus perit. Sagittis bonus etiam Vrias Hetthæus petitus occubuit. 2. Sam. 11. Decollatur seditiosus Seba filius Bochri. 2. Sam. 20. Decollatur etiam optimus Ioannes Baptista. Marc. 6. Hęc dicuntur ne offendamur, videntes eandem esse fortunam iusti & iniusti, pij & impij, si casus externos spectemus. (Quare verò talia permittat Dominus sequens tractatio docebit.)

Vsus

Vſus autem huius loci duplex eſſe poteſt.

1. Vt intelligamus, reſtare aliam vitam, in qua piis benè, & malis malè erit: cum in hac vita eadem ſit omnium fortuna. Interdum etiam melior impiorum.

2. Vt moneamur his caſibus de illo Chriſti dicto; Luc.13. Niſi pœnitentiam egeritis, v.3.& 5. & Luc.23. Si hoc fit in viridi, &c.

II. *Quæſtio.*

Quid autem de hoc aduerſo caſu Ioſiæ ſentiendum?

1. Numquid certo peccato, & temeritate ſua, ſibi hoc attraxit malum, & mortem accerſiuit? Hoc ego nolim credere. Quia repugnat id, quod Dominus promiſit, ſe illum citius euocaturum ex hac vita, propter pietatem. Ne videant oculi mala. Vide 2. Paralipom.34. Neque peccatum contra Deum velim ego vocare, quod occurrit (pugnaturus pro patria) Nechao. Vel enim non fidem habuit ipſi, & arcere voluit hoſtem à finibus ſuis: Nec ſciebat, ipſum à Domino iuſſum, (quod Textus quidem oſtendit factum, 2. Paralipom. 35. verſu 22.) quia idem etiam falsò prætendit Sanheribus, Eſaiæ 36. verſ. 10. Forſitan etiam in gratiam Aſſyrij, qui amicus erat Ioſiæ, non volebat tranſitum concedere Ægyptio. Quicquid igitur peccauit optimus Ioſias, errorem conſilij vocare mallem, quam temeritatem. Fuerunt enim rationes in vtramque partem. At in delectu conſilij errat Rex. Non itaque dicemus, ipſum à Deo punitum propterea.

2. Sed nec infelicem ipſius obitum dicere poſſumus. Etenim moritur pugnans pro patria & ſubditis. Er ſtirbt als ein redlicher Kriegsmann. Nec morte fœda perit, ſi maximè ſit violenta.

Et certè felicius moritur, quàm ſi lectulo affixus, & graui morbo conſumptus interiiſſet. Sic enim abbreuiat Dominus ipſi dolores.

Ideoque nec impatiens eſt, nec indignatur hoſtibus.

Gibt

Gibt kein vngedultig Wort auß. Sed agnoſcit Dei conſilium.

Et moritur quidem ex vulnere, ſed cum recto iudicio rationis: Er nimbt ein vernünfftig End.

3. Ex quo conſequitur, verum adhuc conſiſtere verbum Domini, quod inferendus ſit ſepulchro patrum in pace.

Etenim in ipſo eſt pax conſcientiæ, & pax Dei. De qua Gal.5.v.22.Phil.4.v.7. Habet Deum propitium, vt patet ex verbis Huldæ.2.Par.34.

Quod maturius moritur anno ætatis 39. Dei beneficio fit. Et in pace moritur, quia ad pacem tranſit, (Eſa.56. in fine) & quieſcit in pace. Non videt lacerationem regni ſequutam ipſius mortem. Moritur in honore. Sepelitur honorificè & anima quoque in pace ſeruatur, iuxta id Sap.3.verſ.3.

DOCEMVR quomodo iudicare debeamus de piis ſi contingat (vt ſæpè quidem fit, ſicut in prima parte eſt dictum) illos aduerſis caſibus (ita nobis quidem videtur) perire.

Mundus quidem iudicat, ſicut illi de cœco Ioan.9.v.2. & Melitenſes de Paulo, Act. 28. v.4.

At Paulus aliter iudicat: Diligentibus Deum omnia: Rom.8.v.28. Non ſeparat mors à dilectione Rom.8.v.38. qualiſcunque ſit vitæ exitus. Et felicius multi moriuntur, quorum videntur exitus eſſe tragici, quàm nonnulli qui placida morte decedunt in lectulis ſuis. De impiis Hiob. 21.v.13. quod vix momento ſentiant inferni terrores, dum hîc viuunt. Pij verò multas ſentiunt anguſtias, teſte Pſal. 71.v.20. At illi poſt hanc vitam cruciantur, hi verò fruuntur ſolatio. Luc.16.v.25.

Itaque non dicas: Modò non tam miſerè interierit? Reſpond. Sic Deo viſum eſt. Ergo non miſerè. Quia ſtulticia Dei, &c. 1. Cor.1.v.25. At præmatura morte deceſſit? Et hoc Dei beneficio fit. Sap.4.v.10.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS VII.

De telo confoßis aut vulneribus confectis.

EXEMPLVM II.

2. Sam. 11. verſ. 24.

Nuncium Dauidi allatum, de quibuſdam ſeruis Dauidis ſagittis confixis, & in his occiſo Vria Hetthæo.

DISPOSITIO.

Omnibus conſtare arbitror, quomodo dolo & inſidiis Dauidis Regis, Vrias Hetthæus, mediante Ioabo Duce militiæ, in obſidione Rabba, obiectus fuerit periculo, & derelictus à ſuis commilitonibus, (qui ſic edocti erant) vt occideretur. Neque verò hîc diſputabimus de facto illo Dauidis, (welcher das thewer genug müſſen bezahlen) & Ioabi ac cæterorum, ſed quia audimus nuncium referentem Regi de obitu Vriæ & nonnullorum aliorum, agite de morte huius boni viri, telo confixi & ſagitta confoſſi, quædam dicemus.

Dicemus autem 1. Quàm miſerè occiſus fuerit Vrias Hetthæus.

2. Quare Dominus iſtud permiſerit.

I. Pars.

Fuit Vrias vir piiſſimus, & fidelis Domino ſuo. Ciuis Hieroſolymitanus, vir ſtrenuus. Militat pro Rege ſuo cõtra hoſtes Ammonitas. Domum vocatus, non vult indulgere voluptatibus, licet iuſſus & compellatus à Rege: quia indignum iudicat, ſi Dux Ioabus & commilitones ipſius foris cubent ſub dio, aut tamen in papilionibus, & ipſe domi dormiat in lecto ſuo.

Deſtinatus à Ioabo ad pugnam, non detrectat pugnare contra bellicoſiſſimos: nec recedit à ſua ſtatione etiam cum ſentit vitæ periculum præſentiſſimum.

Telis

Telis itaque petitus occumbit cum nonnullis aliis, viris bonis & fortibus: quia ipsi non erant pares ferendo oneri, quod multis incumbebat. Erant enim à cæteris derelicti, ita mandante Ioabo Duce, ex instinctu Regis.

Innocens itaque & præter omnem culpam, atq; etiam sine causa vir bonus obiicitur periculo, nec est quem hoc perturbet, nec Rex, nec Ioab, nec vxor. Neque etiam legitur honestè sepultus. Der gute man muß entgelten dessen er nie genossen hat/ vnd weiß nit wie jme geschicht.

Locvs. Recurrit hic locus idem, qui in præcedentis Dispositionis parte 1. tractatus est, videlicet, Non rarò piorum exitus esse tragicos, si iuxta humanæ rationis ductum velimus iudicare: & idem accidere piis quod impiis. &c. Vide ibi.

L. II. Posset etiam tractari locus de officio pii militis. A quo requiritur.

1. Fortitudo. Non sit meticulosus sed strenuus.

2. Temperantia & abstinentia. Vt possit ferre & tolerare dura.

3. Promptitudo. Ne detrectet labores & pericula.

4. Obedientia. Etiam cum vitæ periculo coniuncta sui Ducis exsequatur iussa.

Hæc omnia cernuntur in Vria: imprimis verò pietas in Deum, honor erga Regem, & amor patriæ atque commilitonum, siue proximi. Rara sunt hæc in militibus nostri seculi.

L. III. Verum esse id Esaiæ cap. 56. Iustus perit & non est qui recogitet, exemplum Vriæ docet. Pars pœnæ est, si Deus auferat fortes, bellatores, doctores &c. Vide Esa. 3. v. 2. maximè si pios & cordatos, qui iram Domini auertunt, Num. 25. v. 11. & sese opponunt ruinæ. Ezech. 22. v. 30. At nemo propterea angitur, imò multi in sinum suum effusè gaudent, hi scilicet qui bonos auersantur.

Sed malè hoc. Quæ enim sublato Iosua, mortuo Samuele, defuncto Ioiada, extinctoque Iosia &c. sequutæ sint calamitates, sacræ historiæ docent.

II. Pars.

Quare autem permisit Dominus trucidari hominem innocentissimum? Resp. Deus pro infinita sua bonitate etiam mortem boni Vriæ ipsi voluit in bonum cedere. Rom. 8. v. 28. Et pro inscrutabili sua sapientia malum direxit ad bonum finem.

Nihilo enim infelicior est Vrias quàm si domi in lectulo suo & in sinu vxoris fuisset mortuus.

1. Is namque occumbit in bello pro patria, dum fortiter pugnat. Maior illi honor contingere non posset.

2. Quia semel illi moriendum, felicius hic moritur quam alibi, quia moritur in officio. Ideoque piè, & in Domino. Beatus ergo. Apoc. 14.

3. Non diu torquetur morbis acerbissimis, sed vno quasi momento mortis vim superat.

4. Et quia pius, anima in manus Dei assumitur.

Estque in memoria æterna cum iustis. Psalm. 112. Optimè itaq; factum cum ipso, vt subtraheretur his quæ contingere potuissent malis.

1. Etenim domum reuersus inuenisset vxorem ab alio grauidam. Quæ maior potuisset illi accidere calamitas, cum salua esse non possit mulier amissa pudicitia?

2. Aut illa deserenda, aut perpetuo adulteræ cohabitandum. Infamia illa morte esset grauior.

Sic igitur benè actum cum ipso. Er weiß nichts von denen sachen/ so thuts jme auch nicht wehe.

Discimus Deum semper habere sui consilii certas & satis graues causas, si permittat bonos interire casibus aduersis. Quasdam nobis occultas esse vult Dominus, qui in ius vocari non debet propterea. Rom. 11. v. 33. Quasdam reuelauit in verbo, præsertim Esa. 56. in fine. Sap. 4. v. 10. & 2. Par. 34. v. 28. De his suprà suo loco. Sicut itaq; Deus non accusandus, ita etiam sic peremptus non iudicandus. Et in hoc vno acquiescendum semper, si homines pii sunt, Es geschicht jhme zu gnaden vnd gutem. Manet enim regula: Rom. 8. v. 28. Diligentibus Deum &c.

AP-

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS VIII.

Continens loca scripturæ tractanda in funeribus submersorum, vel in aquis pereuntium.

LOCVS I.

Ionæ 1.cap.v.4.ad 16.

Historia Ionæ, propter quem mare nauigantibus reddebatur infestum, donec is eiiceretur.

DISPOSITIO.

Insignis est hæc historia Ionæ, in qua præter cætera hoc admodum est mirabile, quod qui in aquis periisse videtur, in aquis viuus conseruatur. Nos hac vice non quidem integram historiam, neq; ea principaliter, quæ de vocatione Ionæ sonant, tractabimus, sed hæc tantùm notabimus.

1. Quantum Ionæ & sociorum periculum fuerit in mari vel nauigatione.
2. Vnde illud periculum.
3. Quomodo mare sedatum & socij Ionæ periculo hoc liberati. De cæteris sequens Dispositio tractabit.

I. Pars.

Per mare nonnulli profecturi in terras longinquas, & cum his etiam Ionas filius Amithai de Geth, Propheta Domini (σύγχρονος Esaiæ, Oseę, Amos, & Ioeli, &c. de quo etiam 2.Reg.14.v.25.) nauigaturus, in magnum adducuntur discrimen. Nam in mari tanta oritur tempestas subitò, vt nil nisi mortem & naufragium exspectare possint. Tantaq; est trepidatio nautarum & omnium, vt cum ad portum appellere non possint, omnia quæcunque in naui habent, merces scilicet, vasa & cætera, proiiciant in mare, vt nauis onere nonnihil subleuata tutius possit in mari consistere, vel ad portum venire. At frustrà

omnia fiunt, nec tempestas cessat, sed de vita ipsorum actum videtur.

DOCTRINA. Videmus etiam ea interdum nocere & perdere posse, quæ alioquin sunt salutaria, & ad vsum atque necessitatem hominis à Deo creata: vt est aqua, insigne certè Dei donum, & qua carere non possumus. Insignis creatura Dei est id mare magnum, teste Psal.104.v.25. Qui autem per mare nauigant experiuntur insignia & magna illa Dei opera, vt habet Psal.107.v.24. cum videntur vno momento ascensuri ad cœlum vsque & mox ad abyssos deiiciuntur, vt tabescat anima illorum.

Sed vbi Deus in aquis perdere vult, non necesse est vt semper vtatur mari magno, verùm exempla testantur riuum quemcunque paratum ad suffocandum hominem, vbi Deus voluerit. Atque sicut omnia Elementa, imò omnes creaturæ Dei voluntatem exsequuntur, ita etiam mare non tantum sed & omnis lacus, omnis riuulus, & quodlibet vasculum aqua repletum. Sicut constat puerulos interdum in situla aqua repleta periisse, dum illi in aqua (spectaculum gratum) suam imaginem exprimi videntes, præcipitati fuêre incauti, absentibus parentibus & custodibus. &c. Orandus itaque Dominus qui fecit mare & aridam, Ion.1.vers.9. vt nos permittat vti creaturis sine noxa.

II. Pars.

Quæ autem fuit causa huius periculi? Primum quidem excitata tempestas. At vnde illa? Deus excitauit ventum illum, Iona teste. Sed nondum satis. Adhuc non habemus causam illius excitati venti. Est verò in naui dormiens, qui causa huius tanti mali. Idque hi qui in naui sunt non tantum sorte inquirunt, & deprehendunt, sed & ipse reus hoc postmodum fatetur vers. 12. Ionas scilicet, is sua inobedientia Deum offendit & eò adegit, vt excitaret illam tempestatem in mari.

L. I. Videmus iam secundò loco, quæ causa sit, quo d

crea-

creaturæ Dei bonæ (vt eſt aqua ſicut ſupra dictum) & ad ſalutarem vſum hominum creatæ, in malum & ad perniciem cedant hominibus, peccatum ſcilicet. Illud certè tale eſt venenum, quod omnia inficit & exitialia nobis reddit. Diſcamus itaque deteſtari & vitare peccatum: & erunt nobis omnes Dei creaturæ ſalutares.

II. Diſcimus etiam, interdum propter vnius peccatum multos puniri: ſicut hîc propter Ionam periclitantur omnes. Et propter Achan Ioſ.7. cæduntur viri 36. Nec id iniuſtè fit. Quia cæteri etiam aliis peccatis Deum offenderunt, non minus quàm ille vnus ſuo peccato. Viciſſim propter vnum pium Deus etiam malis aliquot parcit. Act. 27. propter Paulum ſeruantur in naui animæ 275. Et conſtat quod propter decem pios voluerit Dominus parcere toti populo. Gen.18.v.32.

Vſus huius loci eſt, vt vitemus conſortium malorum, propter quos periclitari poſſemus facilimè, & aggregemur ad amicitiam bonorum, propter quos nobis etiam benefaciat Deus.

III. Pars.

At quomodo ſedatur mare? Varia tentant nautæ. 1. Merces & vaſa eiecerunt. Nec ſatis. 2. Clamant vnuſquiſque ad Deum ſuum. Excitatur etiam Ionas vt oret, Sed illorum preces non ſunt gratæ, quia non ex fide proficiſcuntur, & quia verum Deum ignorant, quem Ionas non neſcit. 3. Nec conquieſcit mare donec eiiciatur, qui cauſa eſt huius mali. Itaque Ionas peccatum ingenuè fatetur, & ex charitate mauult ſolus perire, quàm cæteros etiam perdere. Tandem illi etiam Deum Ionæ agnoſcunt, & non mox eiiciunt Prophetam (cui mallent parcere) ſed vbi prius omnia tentarunt. Tandemque ad Deum conuerſi gratias agunt & deprecantur culpam. &c.

Plurima hîc notanda, quorum nonnulla paucis attingemus.

L. I. Si quem contingat incidere in periculum aquæ, oret ad Dominum. Etiam ex aquis audit Dominus. De hoc Psal.107.v.28.egregiè. Sic & in omnibus angustiis.Esa.26.v.16.Atq; seruabit Deus Animam, si maximè corpus pereat. Maximè verò peccata confiteatur quisq; cum Iona.Et remittet Dominus, Psal.32.v.6.1.Ioan.1.v.9.

II. Nemo manum Domini effugere potest, etiamsi in alto mari sit, Psal.139.v.9. Amos 9.v.3. Timendus itaq; Deus, & obediendum ipsi.

III. Nemo sibi consciscat mortem, si maximè videat sibi moriendum, vt Ionas cum esset proiiciendus in mare, sed exspectet voluntatem Domini.

IV. Magni æstimandam vitam hominis docent nautæ, vers.13.huius capitis. Itaq; nemo vel seipsum vel alios sine grauissima causa in discrimen vitæ adducat. Et hoc agendum, si possibile est, vt vita hominis ad imaginem Dei conditi seruetur.

At multi suam & aliorum vitam vili pendunt.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII. CASVS VIII.

Continens loca scripturæ tractanda in funeribus eorum, qui in aquis perierunt.

LOCVS II.

Ionæ 1. & 2. capp. à v. 1. ad finem cap.

Ionas in mare proiectus excipitur à ceto, in cuius ventre ad Dominum orans seruatur, & tertia die ad littus eiicitur incolumis.

DISPOSITIO.

Meritò magnifacienda & cum voluptate audienda hæc historia, quia non tantum grandia continet miracula, sed etiam à Christo allegatur Matthæi 12. Quodque

Io-

Ionas à ceto abſorptus, in ventre illius ſeruatus, & tertia die ab eodem eiectus typus fuerit mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Christi, ibi manifeſtè oſtenditur.

Tria igitur notabimus.

1. Quomodo cetus Ionam proiectum in mare exceperit.

2. Quid in ventre ceti Ionas fecerit.

3. Quomodo cetus Ionam ad littus eiecerit.

I. Pars.

Multa hoc loco miracula concurrunt. 1. Quod in mare proiectus non ſuffocatur Ionas. 2. Quod à balena excipitur. 3. nec tamen ab ea conſumitur aut concoquitur cum aliis cibis. 4. & quod in ventre piſcis in magnis ſordibus & tenebris viuit, cum ſpiritum non potuerit attrahere. 5. Quodq; integro triduo viuit & incolumis eſt, cum naturaliter vix vno momento viuere in ceto potuerit.

Vnde hæc omnia? Ab eo qui præparauit hunc cetum ſeu piſcem magnum, & ad hoc iam deſtinauit vt exciperet & per profundum mare veheret Ionam.

DOCTRINA I. Rectè dicuntur mirabilia Dei eſſe innumerabilia Iob, 9. verſ. 10. Hinc autem non tantum omnipotentiam creatoris (quæ propter illa grandia cete ſingulariter commendatur Pſal.104.v.26.) ſed & ſingularem ipſius prouidentiam cernere licet: quod non tantum creaturas omnes in manu ſua habet, vt ad nutum ipſius ſeruire cogantur, ſed inſuper crudeliſſimarum beluarum opera ad conſeruationem ſuorum vtitur.

Faciunt hæc 1. ad conſolationem, vt nunquam etiam in aduerſiſſimis caſibus deſpondeamus animum, quia in ventre ceti & in medio mari ſeruare poteſt Deus nos. In fornace ardenti viuunt tres viri. Dan.3. 2. Admonitionem etiam continent hæc, vt ſcilicet timeamus eum, qui omnibus creaturis præcipere, & vbi vult punire omnes in nos armare poteſt.

Vide quomodo omnia faciant voluntatem Domini, Psalm. 148. vers. 7. & 8. & quis exercitus eius, Ioëlis 2. vers. 25.

II. Pars.

In tantis angustiis, quas hominem posse eloqui impossibile, orat Ionas, & suspirat ad Dominum. Summatim autem illius precationem referre libet, breuitatis causa.

1. Miseriam suam recenset & proponit, quomodo in abysso maris circundatus fuerit aquis & procellis, vers. 4. 6. 7. Et quod se à facie Domini abiectum putârit, v. 5.

2. Nec tamen se omnem spem abiecisse, sicut faciant Idololatræ (v. 9.) sed recordatum Domini Dei sui, & clamasse ad ipsum gemitib. seriis, ex ipsis quasi inferni claustris, vers. 3. & 8.

3. Atque Dominum clementer audiuisse & iuuasse, vers. 3. & 7.

4. Pro hac verò clementissima liberatione Dei se gratum fore omnibus diebus vitæ suæ.

Locus. Docet Ionas methodum precandi in omnibus grauissimis etiam angustiis & tentationibus: cum maior vix esse possit, quàm quæ fuit Ionæ in ventre ceti. Da saß er recht in der Höll: Anima & corpus ibi cruciabantur. Tentatus erat propter peccatum de Dei erga ipsum animo. Et corpus ipsius intra viscera piscis coarctatum, non sine dolore erat.

Quid verò faciendum? 1. Arripiendæ preces, quibus Deo nostras angustias proponamus. Licet enim is antea nouerit: tamen consolationis loco est, si in sinum ipsius effuderimus miseriam nostram.

2. Firma fide teneamus Domini misericordiam. Qui vel corporaliter, vel tamen spiritualiter, iuuat, ne pereamus. Et sciamus, ex profundis ipsum audire clamantes, Psalm. 130. vers. 1. Et extrahere ex inferis, Psalm. 71. vers. 20.

3. Li-

3. Liberati autem gratitudinem non verbis tantum, sed ipso opere testemur.

Hanc methodum plerumque obseruat Dauid in Psalmis: Estq; vt Deo gratissima, sic nobis etiam vtilissima.

Locvs II. Non malè sperandum de salute illorum, qui in aquis pereunt, si prius pij fuerint. Quia illorum gemitus in aquis profundis DEVS audit & iuuat. Imò possunt & impij, & qui propter peccata sua in illas angustias coniiciuntur, in aquis sese ad Deum conuertere. Sicut non est dubium, quin in ipsis diluuij aquis multi sint seruati (quoad animam) qui pœnitenti corde ad Dominum clamauerunt. Et cum aquæ intrauerunt ad animam (quod Psalm. *69.* de omnibus aliis etiam angustiis pronunciat) ibi tum ardentes sunt preces, Esaiæ *26.* vers.*16.*

III. Pars.

Quia opera Ionæ Dominus in conuertendis Niniuitis vti vult, ideò viuum ipsum ex ceto producit, post tres dies. Mandat ceto vt exspuat Prophetam incolumem, non in mare, sed ad littus. Miraculum sanè inauditum & ineffabile, de quo in prima parte. Et verè omnipotens is, qui pisci mandat, & cui piscis obedire cogitur. At de his alibi.

Locvs I. Docere voluit Dominus illos etiam, qui in aquis perierunt, & vel à piscibus consumpti sunt, iterum reuicturos in die nouissimo. Apocal.20. Mare reddit mortuos. Ergo propter illos non simus soliciti. **Es wird keiner dahinden bleiben.**

Locvs II. Ionas typus resurrectionis Christi, à qua nostra etiam dependet resurrectio, Paulo teste, 1. Corinth. 15. Explica hæc latius.

FINIS.

Appendicis Classis VII.

Casvs VIII.

Continens LOCA scripturæ, accommodanda funeribus eorum, qui in aquis perierunt.

Locvs III.

2.Cor.11.v.26.

In periculis fluminum.

Cui addendum id, verſ. 25.

Noctem ac diem in profundo egi.

Ter naufragium feci.

DISPOSITIO.

Inter omnes mortales vix quiſquam grauiora paſſus eſt Paulo Apoſtolo. Catalogum paſſionum ſuarum recenſet hocipſo capite vndecimo, ex quo verba prælecta deſumpſimus.

Libet autem in præſenti funere N. qui hiſce diebus in aquis ſuffocatus, & inde extractus, iam terræ communi noſtræ matri, Syrach.40.demandatus eſt, charitati veſtræ proponere verba Pauli, quibus nos docet, quanta etiam ipſe in aquis paſſus mala.

De his periculis Pauli 1. dicemus, qualia & quanta fuerint.

2. Quomodo ex iſtis fuerit liberatus. Atq; quid nobis inde diſcendum ſingulis partibus ſubiiciemus.

I. Pars.

Primum generaliter Paulus ſua pericula exprimit, quæ ipſi imminebant ab aquis: Fui, inquit, in ſummo diſcrimine vitæ, dum flumina & mare transfretaui. Etenim ter naufragium faciens, quid fuerit perpeſſus, facilè eſt conÿcere, vt de vita non ſemel deſperârit, iuxta rationes humanas. Vnum ipſius periculum ex naufragio extat à Lu-

ca deſcriptum, Act.27.vbi pluribus diebus neque Sol neque ſydera apparuerunt, vt iam omnis ſpes ſalutis ablata eſſet. Vide v. 20. ibi.

De cæteris naufragiis nihil habet Euangeliſta. Neque tamen dubium eſt, quin vera ſint, quæ Paulus hîc narrat. Nec minus etiam vitæ periculum tum erat.

In ſpecie autem Paulus hoc loco ſingulare aliquod atque ingens periculum exprimit, dicens: Noctem & diem in profundo egi.

Hoc nonnûlli ex Theologis factum putant, cum immineret naufragij periculum: & in alto atque profundo mari Paulum cum ſociis, vitę dubium, hæſiſſe exiſtimant.

Alij ſecundum literam intelligunt, Paulum aquis immerſum & obrutũ in profunditate maris integram diem & noctem fuiſſe verſatum. Quæ ſententia mihi videtur propius accedere ad verba hæc Pauli, quibus ſingulare aliquod periculum, & à naufragij periculis diuerſum, atque longè maius, (quo ipſe ſolus non cum aliis implicitus fuerit) vult exprimere, &c.

LOCVS I. Videmus non impios tantum & inimicos Dei, ſed & pios Deoque dilectos & chariſſimos homines, in aquis interdum ita periclitari, vt alij quidem euadant, alij verò ſuffocentur. De quibus non eſt iudicium ferendum tale, quale eſt Melitenſium de Paulo, Actor. 28. Sed ſciendum Deum variis modis ſuos exercere, dum alios in igne, alios in aqua interire ſinit. Neque etiam exiſtimemus pios infeliciores eſſe propterea, quia in aquis perierunt. Etenim Deus, qui in terris adeſt morientibus, etiam in aquis præſens eſt. Is audit preces Ionæ ex aquis, imò ex ceto in aquis, Ion.2.v.3.& 8.

Quocunque igitur modo aut genere mortis Dominus nos alioſvè abripiat, non murmurandum, ſed humiliter in voluntate ipſius acquieſcendum. Ipſe Dominus faciat quod vult, ait Heli, 1.Sam.3. v.18.

L. II. Sciendum, etiam interdum aquas penetrare ad animam eorum, qui verſantur in terra ſicca & arida. Spi-

Spiritualis illa suffocatio grauis est Dauidi. Ideò conqueritur, Intrauerunt aquæ ad animam, Psalm. 69. vers. 2. Libera me de aquis multis, Psalm. 144. vers. 7. Item Psalm. 18. vers. 17. & 124. v. 4. Denotant hæ aquæ graues angustias & tentationes. Et vt summatim dicamus omnia, Multæ sunt iustorum tribulationes, Psalm. 34. vers. 20. In his omnibus optimum medium emergendi est oratio ad Dominum seria & ardentissima. Et eripiet inuocantes, Psalm. 50. vers. 15. & 91. vers. 15. De quo sequitur.

II. Pars.

In maximis periculis liberatur tamen Paulus diuina prouidentia & omnipotentia, & extrahitur ex profunditate maris. Vide Act. 27. v. 23. quomodo ipsi astiterit angelus Domini, & consolatus fuerit.

Locvs. Etiam ex profundis liberat Dominus omnipotens, miserator & misericors. Id Ionas expertus grato animo agnoscit, Ion. 2. vers. 10. & Psalm. 107. v. 31. Inquis: Videtur itaque Dominus tantùm eripere & liberare suos, quos diligit. Cæteros verò qui in aquis pereunt, non eodem amore prosequi videtur? Respon. Omnes inuocantes se liberat, Psalm. 145. v. 19. Et vel corporaliter, vt Paulum, Ionam, vel spiritualiter liberat, animam scilicet, ne pereat: Sicut credimus tempore diluuij pœnitentes liberatos, quoad animam. Et ipse Paulus iam liberatus, post occiditur. Tamen dicit se liberatum à Domino, 2. Timoth. 4. v. 18.

Non itaque dubitandum, quin Dominus etiam liberet animas seruorum suorum, Psalm. 34. versu 23. in aquis pereuntium. Quia illi verè cum Dauide clamant de profundis, Psalm. 130. Da gehts freylich von hertzen. Audit ergo & iuuat, Psalm. 66. vers. 12.

FINIS.

AP-

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS VIII.

De his qui in aquis pereunt.

LOCVS IV.

Exod. 2. verſ.1. ad v.11.

Hiſtoria de Moſe puero expoſito ad ripam fluminis, & inde extracto.

DISPOSITIO.

Admirandam hiſtoriam de Moſe in aquis ſingulari Dei conſilio ſeruato, non Stephanus tantùm Actor.7.ver.20. ſed & Epiſtola ad Hebræos cap. 11. verſ.23. allegat, vt ſcilicet intelligeremus, illam non ſurdis auribus prætereundam eſſe hominibus Chriſtianis. Etenim inde non tantùm magna parentum fides, ſed maior Dei prouidentia, & clementiſſima conſeruatio eorum, quos magnis rebus præficere decreuit, conſpicienda venit. Nos pauca tantùm breuitatis cauſa delibabimus, ea ſcilicet, quæ potiſſimum ad præſens noſtrum inſtitutum ſpectant. Videbimus 1. Moſen cum ſummo vitæ diſcrimine aquis expoſitum.

2. Deinde etiam inde extractum contemplabimur.

I. Pars.

Vt ſequentia rectius intelligamus, ſciendum id, quod in fine cap. præced. de Edicto regio extat, quo præceptum erat, vt omnes Hebræorum maſculi abiicerentur in profluentem.

Natus igitur erat Amram & vxori ipſius Iochabed (ex familia Leui prognatis) filiolus admodum elegans, qui ab euentu poſtea Moſes fuit nominatus. Ioſephus antiquit. lib.2.cap.5. refert, fuiſſe puerum tàm gratioſum & formoſum, vt multi viſa ipſius pulchritudine obſtupuerint. Sie haben ſich an jhme vergafft. Parentes itaq; non obſtante edi-

edicto regio puerum domi clam nutriunt, nec in flumen abiiciunt. Id fidei tribuitur Heb.11.vers.23.

At quia (vt refert Lyra) tribus mensibus Ægyptii scrutabantur domos Hebræorum, & masculos inde raptabant ad necem, vltra tres menses occultare non possunt boni parentes puerulum dulcissimum. Itaque ipsum impositum fiscellæ scirpeæ [lectulum vocat Iosephus] bitumine illinitæ, (ne aqua ad infantem penetrare posset) exponunt ad ripam fluminis, diuinæ prouidentiæ commendatum. Et iubetur soror Mosis, Miriam scilicet, quæ maior nata, & iuuencula tum erat, obseruare ad ripam fluminis, quid de fiscella seu vasculo & puerulo fiat, & quo deportetur à flumine.

Quanto cum mœrore piissimi parentes puerum suauissimum inter iuncos & carices hærentem reliquerint, & quàm ardentibus suspiriis atque gemitibus ipsius vitam Deo commendarint, facilè quiuis cordatus coniecturam facere potest.

Locvs I. Hinc possunt parentes, quorum interdum liberi in aquis pereunt, consolationem petere: quod non soli ipsi sint, quibus hæc à Deo immittatur calamitas. Neque se propterea Deum habere infensum cogitent. Fidem parentum Mosis, quæ Hebr. 11. commendatur, imitentur omnes alii. Nec aduersus Deum murmurent, sed ipsius voluntati omnia committant: dicentes Iob. 1. Dominus dedit & abstulit. Nec etiam propterea de salute suorum liberorum, & gratia diuina dubitent: cum Amram & Iochebed fuerint piissimi, & tamen coacti fuerint filium abiicere in profluentem. Quæ grauior fuit calamitas, quàm si, nescientibus parentibus, pereat in aquis vnus ex liberis.

Sciendum liberos à Deo datos, quos potuisset vtique is qui extraxit ex vtero Psalm. 22. v. 10. statim ad se recipere, quàm primùm lucem aspexerunt. Quod paucis annis tibi reliquit, cogita, Mosen tantum tribus mensibus, non sine ingenti metu & trepidatione in ædibus mater-

maternis occultatum, & mox vt in profluente periret; parentibus eripiendum fuisse ab Ægyptiis.

Et magis tenerè Deus amat ipsos, quàm vel parentes: Esa. 49. vers. 15. Cur autem sic perimat, habet suas causas: Vel vt cito finiatur vita, ne corrumpantur Sap. 4. vers. 11. vel vt ad beatiorem vitam transferat. Nec separat illa mors à dilectione Dei. Rom. 8.

L. II. Quomodo Deus etiam in aquis clamantes (vt hic eiulantem Mosen) audiat & iuuet, in præced. vide.

II. Pars.

Vidimus Mosen aquis expositum. Extrahamus nunc illum, aut extractũ ab aliis, mirabile Dei opus consideremus. Nihil hic fortuitum. Omnia regit prouidentia Dei. 1. Circa ripam fluminis filia Pharaonis, (Iosephus Termuthin vocat) deambulans, vt lauaret in aquis, conspicata vasculum, iubet istud ad se deferri per ancillam. Videns puerulum elegantem & flentem, agnoscit esse puerum Hebræum. Non enim latebat illam patris edictum. 2. Miserata itaque fortunam pueruli tam elegantis, non vult ipsum perdere: sed lactari curat, & sibi postmodum ablactatum tradi. 3. Vbi mirabili Dei consilio factum, vt mediante sorore iuuencula Miriam, traderetur matri lactandus puer. [Iosephus addit, quod Mose auersante mãmas Ægyptiarum, tandẽ vocata fuerit, ita monente sorore pueri, mulier Hebræa.] 4. Ablactatus traditur filiæ Regis, quæ ipsum vocat Mosen, hoc est, Extractum, scil. ex aquis. Hunc filium adoptauit. Et Stephano teste Act. 7. eruditus est in omni sapiẽtia Ægyptiorum Moses. [Addit Iosephus, quod filia Regis hunc successorẽ patris in imperio futurum parẽti nunciauerit, & cum dicto patri infantem in manus imposuerit, quodq; Rex pectori appressum dilexerit, atque filiæ gratificaturus diadema suum capiti pueri imposuerit, illud verò Mosen detractũ & in terram proiectum conculcasse pedibus refert. Hinc ipsum occidendum consuluisse sapientes. At à filia Regis liberatum.]

L. I. Sic

L. I. Sicut cum gaudio recipit Iochebed puerum ex aquis extractum: Ita parentes etiam suos pueros cum maiori gaudio recipient in altera vita.

Vbi non denuò ab ipsis auellendi erunt, sicut hic Moses ablactatus, sed perpetuò cum ipsis mansuri. Solatur se Dauid hoc argumento, 2.Sam.12.v.23.

L. II. Mirabilis Dei prouidentia in conseruandis infantibus etiam hodiè durat. Angelos adhibet custodes, Matth.18.v.10.

Quod autem interdum discedit à regula, singulari consilio fit, vt agnoscamus id Dei beneficium, de quo aliàs pauci cogitant, & vt diuinæ protectioni ardentius commendemus.

L. III. Omnes infantes sunt Moses, id est, Extracti, scil. ab vtero materno, Psal.22.v.10.& Psal.71.v.6.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS VIII.

De his qui in aquis pereunt.

LOCVS V.

Ex Psal.66.v.12.

Hic locus supra tractatus est in hac ipsa Appendice, Casu III. De igne absumptis. Illuc lectorem remitto, ne nimium excrescat libellus. Pergo itaq; ad tractationem loci sequentis.

LOCVS VI.

Ex Psal. 107. vers. 23. ad 33.

Qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis.

DISPOSITIO.

Commendat nobis hic Psalmus diuinam prouidentiam,

tiam, quæ ex omnis generis calamitatibus tam clementer liberat. Enumerat autem grauiſſimas calamitates, quæ ferè poſſunt accidere hominibus, vt ſunt. 1. Exilium. 2. Carceres. 3. Morbi. 4. Pericula nauigantium in mari. 5. Sterilitas & fames. 6. Tyrannorum ſæuitia. Et liberatos ex his malis ad gratitudinem erga Deum liberatorem & protectorem hortatur.

Nos in præſentia tantum de quarta calamitate aliquid ſumus dicturi: ſcilicet de periculis nauigantium in mari. Seruabimus autem ipſius Prophetæ ordinem & dicemus 1. De periculis maximis. 2. De precibus afflictorum, atque clementiſſima Dei liberatione. 3. De gratitudine liberatorum.

I. *Pars.*

Inter maxima Dei opera & miracula numeratur mare. Pſal. 104. v. 25. Eſtque hoc ſingulare quod Deus illud fecit nauigabile. Hinc viam in mari monſtrare dicitur. Sap. 14. verſ. 3. Et humanæ mentis acie inueſtigari via illa non poteſt. Prou. 30. v. 15.

Ibi vero Dominus interdum oſtendit ſuam maieſtatem, quomodo ſcilicet mare vel tranquillum vel infeſtum nauigantibus reddere poſſit.

Hoc experiuntur illi qui in mari victum quærunt, & mercimonia faciunt in aquis multis. Vident illi quid poſſit Dominus, quando ex improuiſo ventus oritur, qui fluctus excitat, vt nauis videatur tanquam in cœlum conſcenſura, & mox iterum in abyſſum demerſura.

In his periculis certè anima funeri tradenda videtur. Vacillant ibi & titubant hinc inde quaſſati in naui, tanquam ebrij.

Et ſæpè vel nulla vel exigua ſpes vitæ ſupereſt. Exemplum videmus Ion. 1. v. 4. & Actor. 27. v. 20. & 41.

LOCVS I. Videmus tempeſtates non oriri temerè nec ex meris cauſis naturalibus: ſed a Deo excitari & ſedari etiam. Teſtatur id hiſtoria Ionæ. Producit is ventos.

Tt Pſal.

Psal.135.v.7.&turbat mare.Ier.31.v.35.Et sicut securitatem potest præstare his, qui in aquis sunt, ita etiam periculum creare potest. Agnoscenda hæc opera Domini, vt innuit versus huius Psalmi 24.

II. Sicut hi, qui victus causa vel officij, vel peregrinationis, vel alia honesta & legitima ex causa, coguntur conscendere naues & experiri opera Domini in aquis multis, vt nautæ, piscatores, mercatores, &c. consolationem habent, quod cum ipsis etiam sit Dominus in mari & aquis, qui ipse nauis structuram monstrauit Nohæ Gen.6.v.14. & transeuntes per mare liberat, sicque facit, vt ligno credant homines vitam. Sap.14. Ita vicissim qui (vt solet iuuentus petulans) vel ex malitia aut curiositate, vel tamen nulla necessitate cogente, sese committunt aquis, maximum sibiipsis creant periculum. Et his sæpè accidit id, Qui amat periculum peribit in eo. Syr. 3.vers.27.

II. Pars.

Porrò, quid in periculis constituti facere debeant docet. Clamabunt ad Dominum. Non sanctum Nicolaum, non Castorem & Pollucem, de quibus Act.28.v.11.non varios Deos sicut illi Ion.1.v.5. non idola fragiliora nauigio, Sap.14.v.1.non Neptunum inuocabunt: sed Deum. Is audiet etiam (quod nec gentilium Diis nec Diuis illis Pontificiis conuenit:) & liberabit ex omnibus angustiis. Deus enim solus sedare potest mare & compescere fluctus. Quod patet exemplo Christi Matth.8.v.26. Psal.89. v.10.& 65.v.8.

Docet Psaltes, Arripiendas preces, vt in omnibus aliis calamitatibus, sic etiam in aquis. Illas etiam ex aquis audit, sicut lachrymas Mosis. Exod.4. Et suspiria atq; preces Nohæ Gen.8.v.1. De quo recordatus est Dominus, &c. Nec maior misericordia filiæ Pharaonis extrahentis suum Mose, quàm Dei, qui liberat ex aquis multis. Et tum demum preces dicuntur ardentissimæ, cum aquæ

intra-

intrauerunt os hominis. Vide preces Ionæ. Ion. 2. Sic excitatur Dominus vt iuuet, qui videtur alias dormire, ſicut Chriſtus Matth. 8. excitatus à diſcipulis, &c. At quia tum ardentiores preces, ideoque Dominus etiam audit attentius. Hinc non malè ſperandũ de his qui in aquis pereunt. Certum enim quod tunc didicerint orare, iuxta Prouerbium. Neq; etiam exiſtimãdum irritam eſſe in ipſis hanc Pſalmi particulam, vbi dixit, & de tribulatione exripuit. Si enim non ad hanc vitam ſeruantur, tamẽ ad meliorem, & nihilominus audit Dominus, ſi non ad voluntatem, tamen ad vtilitatem ipſorum. Neque profunditas [etiam in medio mari] ſeparat à dilectione Dei. Rom. 8.

III. Pars.

Liberati ex illis anguſtiis lætantur, ſi ad portum potuerunt appellere. At non ſatis. Celebrent Dominum, &c. Vide verſ. Pſalm. 31. & 32.

LOCVS. De gratitudine pro Diuina liberatione ex omnibus malis, ſiue naufragiis, ſiue morbis, &c.

Eſtq; illud præceptum, Eripiam, & tu glorificabis me. Pſal. 50. Sacrificium Deo gratum. Pſal. 69. verſ. 31. Hebr. 13. verſ. 15.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS IX.

De occiſis vi & armis, vel in bello, vel in pace.

EXEMPLVM I.

Geneſ. 4. v. 8 & ſeqq.

Abel occiſus à fratre Caino.

DISPOSITIO.

Diabolum Chriſtus Ioan. 8. v. 44. vocat homicidam ab initio. Vnd der hats freylich zeitlich angefangen. Cum enim dolo occidiſſet & perdidiſſet Protoplaſtos, mox etiam aperta vi homicidium committit. Is enim Caino author eſt eius parricidij, de quo hoc loco legimus.

1. Dicemus ergò de hoc casu crudelissimo.
2. Quæ huius causa. Warumb es zugegangen.
3. Quomodo hæc cædes manifestata.
4. Quomodo parricida in ius vocatus, accusatus & condemnatus fuerit.

I. *Pars*.

Paucis verbis grande scelus explicat Moses.
1. Insurrexit Cain contra Abelem.
2. Contra fratrem Habelem, cui debebat parcere.
3. Occidit fratrem Abelem.
4. Cum essent in agro, scilicet soli, absentibus parentibus & sororibus, qui vel pacem mandare, vel alterum impedire, alterum iuuare possent.
5. Et quod grauius est, Cain occidit fratrem nihil tale metuentem.

Obiurgatus enim à Domino, quod excandesceret erga fratrem, rursum cum illo familiariter conuersatur, sermones confert, vt nihil mali boni parentes suspicari potuerint.

Locvs I. Videmus interdum etiam piissimos occidi ab improbis. Habel enim vt fidelis commendatur, Hebr. 11. Occiditur etiam Vrias pius, 2. Sam. 11. &c. Non ergò infeliciores. Pretiosa mors illorum, Psal. 116. Animæ verò ipsorum hic casus non potest nocere, Rom. 8. v. 38. Itaque nec iudicandi temerè.

L. II. Videmus ingenium homicidarum, quod simulant amicitiam, & interim meditantur cædem. Exemplo est Ioab, Vide 2. Sam. 3. & 20.

L. III. Cauendum ab homicidio. Et homicidæ fugiendi atq; detestandi. Omnia autem homicidia vitanda. De hoc cogitandum nobis paulò accuratius. Neq; enim est quod quis dicat, ego non sum homicida, quid isthæc ad me? Plures enim Christo, Matth. 5. v. 21. & Ioanne, 1. Ioan. 3. testibus, sunt homicidæ: scil. qui Racha dicit, qui odit fratrem, & qui lingua percutit proximum, Ierem. 18. v. 18. homicida est coram Deo.

Neque

Neque melior Caino fratricida. Quia omnes ſumus fratres, Epheſ. 4. Hæc itaq; homicidia etiam cauenda. Et de hoc ſæpè cogitandum, ne quis ſibi perſuadeat, quod Caino ſit melior? Vide 1. Ioan. 3.

II. Pars.

Quæ huius homicidij cauſa? Odium & æmulatio. Vnde id? Quod Deus reſpexit ſacrificium Abel. Vide verſ. 4. cap. Quia ſcilicet ex fide obtulit, Hebr. 11. v. 4.

Loc. Qui vult cauere homicidium, caueat odium & inuidiam. Fratres Ioſephi propterea occidere ipſum volunt, quia inuident, Gen. 37.

Principiis itaq; obſtandum. Odium & inuidia ſunt opera carnis, Gal. 5. v. 20.

At plurimi odium pro peccato non habent, aut tamen pro leuiſſimo, ſed malè.

Taceo, quod odium eſt homicidium. De quo iam in 1. parte dictum.

III. Pars.

Cain cum fratre ſolus fuit in agro. Nec quiſquam eſt, qui viderit, audiuerit, homicidium. Illud tamen fit manifeſtum, quamprimum fuit perpetratum. Clamat ſanguis de terra ad Deum. Deus enim videt & audit gemitus innoxij Abelis. Et ſicut omnis creatura ingemiſcit, Roman. 8. ita ſanguis hic clamat. Illos gemitus & clamores Deus intelligit, licet nos neſciamus quomodo fiat. Mox etiam Dominus oſtendit Caino, quod ipſe parricidium iſtud exactiſſimè nouerit.

Locvs I. Nemo cupiat vllum peccatum deſignare, multò minus occidere proximum, hac ſpe fretus, quod iſtud poſſit occultare. Etenim Deus videt, Pſalm. 139. verſu 11. ſi maximè fiat in angulo remotiſſimo. Et reuelabit id omne, Matth. 10. verſ. 26. Sæpè etiam in his terris mirabili conſilio in lucem producit homicidas, ſicut hic Cainum.

Nota est historia Ibyci. Hinc Prouerb. Ibyci grues. Es müste es noch ein Vögelein auff einem Zaun singen.

L. II. Consolatio hinc peti potest ab his, qui tali cæde in magnum coniiciuntur dolorem, quod Deus audit gemitus occisorum, videt scelus commissum in occulto, & suo tempore vlciscitur grauissimè. Huic vindicta commendanda, Deut. 32. v. 35. si nesciatur latro, aut Magistratus non faciat officium.

IV. Pars.

Cum nemo esset, qui Parricidam posset rapere ad supplicium, tamen Deus hoc munere fungitur.

1. Accusat homicidam. Quid fecisti?
2. Negantem conuincit. Vox sanguinis clamat.
3. Conuictum condemnat. Maledictus tu de terra.

Indignus enim homicida, quem terra ferat. Quod non occiditur, causa est, ne genus humanum deficiat, & Adam atque Eua magis affligantur. Grauius autem punitur, quàm morte tantùm corporali.

Locvs I. Docet iustus ille iudex, quàm grande scelus sit homicidium, morte piandum, sicut expressum exstat mandatum, Gen. 9. v. 5. & 6. Peccant itaq; non tantum qui committunt homicidium, sed & omnes hi, qui tale factum excusant, defendunt, & quocunque possunt colore pingunt. Quia enim Deus maledicit homicidis, & à regno cœlesti excludit, 1. Cor. 6. Gal. 5. Certè etiam maledicti erunt, quicunq; homicidis benedicunt. Sic enim Deo in faciem contradicunt.

L. II. Docet ipse Dominus Iudex viuorum & mortuorum processum, qui debet obseruari erga homicidas, quod 1. Accusandi, 2. Conuincendi, 3. Condemnandi sint ad mortem. Et ab altari auellendi, Exod. 21. v. 24. Non parcendum cuicunq; personæ conuictæ. Terra enim inficitur. Si parcit Magistratus, ipsi non parcet Deus in iudicio extremo.

FINIS.

AP-

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS IX.

De occisis vi vel armis.

EXEMPLVM II.

2. Sam. 1. v. 25.

Dauid deplorat casum optimi Ionathani.

Quia verſ. 26. ſupra etiam in Claſſe IV. num. 2. tractatus eſt, paucula tantum hic notabimus ex verſ. 25.

DISPOSITIO.

Hæc quæ legimus verba pars ſunt illius Epicedij, quod Dauid compoſuit ſuper obitum amici, & fratris ſui integerrimi, Ionathani ſcilicet filij Saul, qui occubuit in prælio contra Philiſtæos. Et in his deplorat caſum amici & fortiſſimi herois, atque viri piiſſimi, quem oculis chariorem habuit.

Audiemus itaq; 1. Quis fuerit ille Ionathan, quem hic luget Dauid defunctum.

2. Quomodo perierit.

I. Pars.

Fuit Ionathan filius regis Saul, impij patris optimus natus. Quem vno verbo Dauid vocat Heroem. Et repetit id iiſdem penè verbis in fine capitis.

Quantus vir fuerit, colligi poteſt ex 1. Samuel. cap. 14. verſ. 13. & 14.

At non tantum fortis, ſed & ſyncerus eſt atque candidus, qui veritatem aſſerit, etiam cum indignatione patris. Vide cap. 19. v. 4. & 20. v. 32. Eſtq; piiſſimus, qui humiliter agnoſcit peccatum parentis, & quod ipſe propterea regno priuandus ſit. Vide caput 23. v. 17.

Sunt etiam alij fortes, ſed iuxta ſubdoli & impij, aut ſuperbi vel crudeles, vt Ioab, Abner, &c.

Huius verò pietas in Deum, (1. Sam. 14. v. 6.) fides erga

amicum, (1.Sam.19.20.& 23.) fortitudo aduersus hostes (1. Sam.14. & 31.v.2.) vix satis laudari potest.

Meritò itaque hunc Dauid luget peremptum. Idque ex syncero corde facit. Et quia aliter non potest, filio benefacit, (2.Sam. 9. v. 7.) atque laudes illius decantat, sicque nomen illius immortalitati consecrat.

L. I. Exemplum Dauidis imitari debebant omnes, & deplorare mortem virorum fortium & bonorum. Etenim pœnæ loco minatur Dominus, se ablaturum fortem. Esa. 3. v. 2. Et sunt pij instar muri, qui iram Domini auertunt. Ezech.13. vers.5.& 22.vers.30. Illis occisis aut ablatis plerumque succedunt mali, & haud rarò etiam sequitur πανολεθρία, aut penuria illa, de qua Esa.13.v.12. Si de bonis & fortibus illud velimus accipere.

At hodiè id fit quod Esa.56. in fine habetur, Iustus perit & nemo est qui recogitet. Pauci etiam sunt fortes & iuxta boni, qui super contritione Ioseph patiuntur Amos.6.v.6.

Multi hodie vel oderunt bonos, qualis Ionathan, vel contemptim habent, & defunctos calumniantur atque conuitiis proscindunt, pro eo, quod laudes illorum decantare debebant: imò nonnulli etiam mortuis insultant. Cum tamen lugere debebant istorum hominum casus. Lugete, Rom.12.v.15. Syr.38.v.16.

Pauci illorum posteris benefacere student.

Magna hæc est mundi ingratitudo, quæ interdum solet remorari etiam fortes, vt non faciant quod possunt, quia omnia sunt ingrata, &c.

Nos virtutes bonorum agnoscamus, prædicemus & imitemur. Et erit memòria nostra in benedictione Prou. 10. atque iustus in memoria æterna Psal.112. cum Ionathano. Est hæc fama honesta auro pretiosior. Prou.22.vers.1. Syr. 42. v. 15. Benefaciamus posteris bonorum & quoquo possumus modo ipsos iuuemus. Hoc Dominus etiam compensabit.

L. II. Iuuentus inprimis nobilis, & filij Magnatum atque

que fortium, & magnis honeſtiſque familiis orti, & quicunque alij, ſtudeant imitari virtutem Ionathani: vt ſiue viuant ſiue moriantur, audiant heroes, fortes, &c.

At non ſint heroes ſiue fortes ad bibendum vinum, de quibus Eſa.5.v.22. quales hodie plerique. Non potentes in blaſphemando, ſcortationibus, &c. Non ſapientes ad faciendum mala. Ier.4.v.22.

Sed heroum filij noxæ, & rari Ionathano ſimiles heroes, qui veram pietatem ſectantur.

II. Pars.

Quomodo tantus ille vir Ionathan perierit, paucis audiemus. Occumbuit heros. Occiſus in excelſis. Cecidit fortis in prælio. Vide hiſtoriam. 1.Sam.30.

Locvs. Hîc cum Dauide boni omnes & pij deplorant miſerabiles hoſce & luctuoſos, atque infelices, (ſic enim nobis videntur) virorum fortium & bonorum caſus. Et id quidem rectè fit.

In hoc verò multi errant, quod vel aduerſus Deum murmurant, & iniquè ipſum cum talibus egiſſe putant: vel quod hos aliis multò infeliciores iudicant, quos aduerſis caſibus periiſſe cognouerunt. Et plerique tum tantùm de genere mortis diſputant, & amicum infeliciter periiſſe dolent. Nonnulli etiam extinctos ab euentu iudicant, & ſcrupuloſè admodum inquirunt in omnes ipſius actiones; imò Dei quoque arcana conſilia ſcrutari conantur.

Hoc loco notanda ſunt ſequentia, de piis.

1. Sciendum omnes eſſe mortales. Et neminem mortuum qui non aliquando fuerit moriturus. Heb.9. verſ.27.

2. Nihil intereſt quocunque genere mortis vita iſta finiatur. Fiat igitur voluntas Dei.

3. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum Rom. 8. Felicior mors Ionathani, quàm ſi ſuperſtes fuiſſet. 1. Non videt ſe excludi à regno. 2. non diu torque-

tur morbo. 3. Gloriosè ſimul & piè moritur. Pugnat pro patria, pro parente, & occumbit vt heros. 4. Imortalis eſt famæ & ſalutis ratione.

4. Mortis genus qualecunq; ſit, non ſeparat à dilectione Dei, Rom. 8. Etiam in morte iuſtus ſperat, Prou. 14.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS IX.

De occiſis vi vel armis, in bello aut in pace.

EXEMPLVM III.

Ex 2. Sam. 3.

De Abnero occiſo gladio Ioabi.

Huius Thematis diſpoſitionem vide ſuprà in hac appendice, Caſu V. num. 1. Illuc remitto lectorem, & pergo ad ſequens.

EXEMPLVM IV.

Ex 2. Sam. 2.

De Aſahele occiſo per Abnerum.

Poteſt hoc Thema accommodari funeribus eorum, qui ſua temeritate perierunt, occiſi ab aliis.

DISPOSITIO.

In hiſtoria 2. Sam. 23. & 1. Par. 11. numeratur Aſahel inter heroes, qui tempore Dauidis ſeſe fortiter oppoſuerunt hoſtibus. At is hoc loco miſerè occiſus legitur.

Quia verò illius caſus ad noſtram doctrinam deſcriptus exſtat, operæ pretium erit de illo aliquid hoc loco diſſerere.

1. Dicemus, quis ille Aſahel.
2. Quomodo Abnerum perſecutus.
3. Quomodo ab eodem haſta traiectus perierit.

I. Pars.

Aſahel, qui hoc loco occiſus legitur, ratione ſuæ pro-

ſapiæ

ſapiæ 1. honeſto loco natus erat. Erat enim filius ſororis Dauidis Zeruiæ, atque ſic Regis ex ſorore nepos.

2. Fratres habet viros fortiſſimos, Duces militiæ Dauidis, Ioabum & Abiſai.

3. Sed & ipſe inſignibus corporis donis à Deo fuit ornatus. Dicitur enim fuiſſe velociſſimus curſor, quaſi vnus de capreis quæ morantur in ſyluis: verſu capitis huius 18.

4. Habet quoque peritiam rei militaris: Et vir eſt fortiſſimus, inter triginta horoes non minimus, vt videre eſt locis initio citatis, Is tamen hic vno ictu perit & occumbit miſerè.

DOCET hoc exemplum Aſahelis, neminem tam velocem, qui poſſit effugere mortis ſæuitiam: neminem tam robuſtum, qui contra vim mortis ſeſe poſſit tueri. Hîc enim nec robur corporis, nec cæteræ dotes animi, nec illuſtris familia quicquam præſidij adferre poſſunt.

Magna hæc eſt & effuſis lachrymis deploranda miſeria, in quam coniecti ſumus propter peccatum. Diaboli enim inuidia peccatum, & per peccatum mors intrauit in mundum vniuerſum. Sap. 2. v. 24. Rom. 5. v. 12.

Deteſtandum itaq; peccatum, cuius ſtipendium mors eſt. Rom. 6. v. 23.

Deinde nemo promittat ſibi longæuam vitam propter corporis agilitatem, fortitudinem ſiue robur, iuuentutis florem, valetudinis firmitatem, &c. Vana enim ſunt hæc omnia. Terminum non præteribit. Hiob. 14. v. 5.

II. *Pars.*

Pugnat exercitus Dauidicus cum his qui ſtabant à partibus Iſboſethi, & in fugam actos inſequitur. Aſahel itaque ipſum militiæ Ducem Abnerum inſequitur, & confidens in velocitate pedum ab ipſo non vult diſcedere: ne monitus quidem. Videatur Textus à verſ. 19. ad 23. Sperat ſe poſſe ipſum vincere.

LOCVS I. Plerumque pereant cum ſuis donis, quibus à Deo

à Deo ornati ſunt, homines illuſtres, fortes, docti & cæteri. Hinc Prouerbium apud nos: Die beſte Schwimmer erſauffen: Beſte ſteiger fallen todt/ꝛc. In hoc enim plerique peccant, quod vel ſuperbiunt ſuis donis, vel abutuntur iiſdem, vel confidunt in eis. Hinc fit, vt ipſis non cedant in bonum, ſed ad pernitiem. Exemplo eſt Aſahel, confidens in pedum velocitate: Ahitophel in ſua ſapientia, Benhadad in ſua potentia & copiis inſtructiſſimis, 1. Reg. 20. v. 10. Sanherib in ſuis victoriis, Eſa. 36. v. 18. & ſeqq.

Sic alius in viribus corporis, alius in diuitiis, alius in ſplendore familiæ ſuæ, alius in dignitatibus gloriatur aut confidit. Et ſic ſeipſum perdit: atq; ita illis accidit, quod Ierem. 3. v. 25. extat.

Itaq; 1. ſtudendum humilitati, 2. & agnoſcenda dona merè gratuita, 1. Cor. 4. v. 7. & 3. cauendum, ne abutamur illis. Vide etiam Ierem. 9. v. 23.

Locvs II. Multi hodie Aſaheli ſimiles reperiuntur, qui amicum faciunt hoſtem, & ne moniti quidem à pugna deſiſtere volunt. Abner nō cupit occidere Aſahelem, quem cum fratre non ſibi inimicum facere vult. Aſahel autem vi quaſi cogit Abnerum, vt occidat ipſum. Sic hodie multi ex amicis data opera ſibi faciunt inimicos: ſi forſitan vno verbulo ſunt offenſi. Da muß es mit der Klingen außgetragen ſeyn. Nec audiunt rectè monentes. Et hi plerumque vel cæduntur, vel pereunt. Vide hiſtoriam Amaziæ laceſſentis Ioas, 1. Reg. 14. v. 9. & ſeqq.

III. Pars.

Quia renuit Aſahel diſcedere ab Abnero, haſta traiicitur. Et ſubitò ibi perit, qui modo victor & heros erat fortiſſimus. Sua autem culpa perit, quia non vult pace oblata frui & diſcedere, &c.

L. I. Qui amat periculum, peribit in eo, Syr. 3. v. 27. & 28. Potuiſſet Aſahel honeſtè declinare hanc cum Abnero pugnam, præſertim toties monitus. Non enim cupit ipſi nocere Abner, nec ſe hoſtem declarat, ſed amicum, qui

qui nolit offendere Ioabum fratrem. Sed dum nimium ſibi tribuit, vincitur.

1. Ideoque nihil temerè ſuſcipiendum, quod poſſit afferre damnum. 2. Nec maiora viribus audeat quiſquam. 3. Et rectè monentibus obtemperandum ſemper. 4. Neque pacem oblatam reſpuat quiſquam: ſed potius perſequatur eam, 1.Pet.3. v.11.

L. II. Nemo laceſſet, aut etiam laceſſitum contemnat aduerſarium. Quia neſcit quantum poſſit alter. Es ſind jenſeid deß Bachs auch Leut. Aſahel velox: ſed nec Abnero deeſt animus. Videatur hiſtoria 1.Reg.20.v.10. & ſeqq.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS IX.

De occiſis vi vel armis.

EXEMPLVM V.

Ierem.41.v.1. & 2.

De Godolia occiſo ab Iſmaele.

DISPOSITIO.

Triſtis admodum eſt hæc hiſtoria, quæ nobis refert caſum illum miſerandum, quomodo ſcil. optimus Godolias à perfido & nequiſſimo nebulone Iſmaele fuerit occiſus. Vt autem hiſtoriam rectius intelligamus, nonnullæ circumſtantiæ erunt conſiderandæ.

1. Quis. Perſonæ ſcil. ocidens & occiſa.
2. Quid. Ipſum factum ſeu homicidium.
3. Vbi. Quo loco iſtud fuerit commiſſum.
4. Quibus auxiliis. Quinam Iſmaelem iuuerint, vel ſocij.
5. Cur. Quæ huius tam nefariæ cædis cauſa.
6. Quomodo. Occaſio & modus huius latrocinij.
7. Quando. Quonam tempore acciderint hæc omnia.

Quia

Quia singulæ circumstantiæ aliquid poterunt monere, de singulis aliquid dicemus.

Qui vult in pauciores contrahere potest, & præcipuas tantum tractare.

I.

De personis initio dicendum, vt atrocitas facti clarius constet.

Ismael Iudæus erat, & de stirpe regia, agnatus scil. regũ Iuda. At homo nequissimus, subdolus, perfidus, latro: qui neq; Deum neq; Magistratum timet, & bipedum sanè nequissimus. Vixit ad tempus in aula Regis Ammonitarum, cui suam addixit operam, contra propriam gentem.

Godolias verò Iudæus & ipse, vir eximiæ pietatis, amãs iusticiæ, humanus & liberalis. Iam in magna authoritate constitutus, & vicarius Regis Babylonij (Statthalter) in Iudæa. Cuius virtus omni populo nota fuit, ideoq; dispersi omnes ad ipsum confugiunt. Vide Ier. 40. v. 7. & 11. Vide etiam ipsius orationem ad populum Israeliticum planè paternam, v. 9. Et sub ipsius tutela potuissent vtiq; Iudæi superstites felices esse in patria. Ipso verò occiso omnis simul felicitas euanuit, vt ex sequenti historia Ieremiæ patet.

Locvs I. Non semper magno loco nati meliores sunt cæteris. Nec rarò Heroum filij noxæ. Exemplo Ismaelis patet, & Absalonis, &c.

Itaque viri magni maiori solicitudine suos liberos educare, & ad pietatem assuefacere discant.

II. Godoliæ virtutes imitentur omnes, & erit ipsorum gloria immortalis. Quod si maximè non semper rebus magnis adhibentur, & exaltantur in his terris, tamen suo tempore inter Angelos collocabuntur.

III. Bonis etiam hostes coguntur fauere. Vide Prouerb. 16. v. 7.

II.

Bonus dux populi à sceleratissimo nebulone Ismaele per-

perfidè occiditur. Et cui parcit hoſtis, Rex Babylonius, eum necat ſympatriota Iudæus.

Locvs. Sæpè hoſtibus crudeliores domeſtici, & barbaris gentibus nequiores, qui volunt eſſe populus Dei & Chriſtiani. Grauior erit horum damnatio.

II. Sæpè imò plerumque plus damni Eccleſiæ dederunt falſi fratres, quam aperti hoſtes.

III. Godoliæ quidem corpus perit: anima non item. Quia vir fuit pius. Si idem piis hodiè accidat, ſancta crux erit. Pretioſa mors ſanctorum. Pſal.116.

IV. Indignus erat populus ille tam bono principe, propter impietatem, quæ cernitur Ierem. 43. v. 2. & ſeqq. Ideoque orbantur tali principe. Magiſtratus itaq; bonus magni faciendus. Orandum pro illo.1. Tim.2.verſ.2. Hoc enim ſublato, omnis diſparet felicitas.

III.

Occiditur optimus Princeps in loco habitationis ſuæ, in Miſpah, in domo ſua, & eo in loco, vbi adhuc erat habitandi magna commoditas, vt patet Ier. 40. v. 10.

L. Nullus locus eſt, qui à perfidis & proditoribus nobis poſſit præſtare ſecuritatem. Ne quidem ipſe lectus noſter. Vide hiſtoriã Iſboſethi à ſuis occiſi in Lecto.2.Sam. 4.v.11. Idem tentant duo cubicularij Ahaſueri. Eſth.6.v.2.

Quod ſi non violenter occidamur, tamen à morte imminet periculum vbique, in domo, in menſa, in lecto, in campo, &c. Semper itaque & vbique vigilandum & orandum. Matth.24. Mar.13.& 14.1.Pet.5.

Nec vnquam ſimus ſecuri, ne incauti opprimamur. Luc. 21.

IV.

Socios etiam impietatis ſuæ habet Iſmaël, viros decem, & præter hos, optimates quoſdam regis Ammonitarum, cuius inſtinctu hæc omnia fiunt.

L. Nullum tam grande ſcelus à quoquam fuit tentatum, qui non inuenerit ſocios ſceleris.

Caue-

Caueat autem vnusquisq; , ne sese aggreget malis, nec iuuet aut promoueat conatus sceleratorum , si non velit eiusdem cum ipsis particeps fieri pœnæ, Syr.13.v.1.

V.

Causa tàm nefariæ cedis annotatur paucis vers.2. propterea quod præfecerat eum Rex Babylonius terræ Iuda. Id ægrè ferebat non Rex tantum vicinus Ammoniticus, sed & ipse Ismael inuidebat Godoliæ hunc honorē, quem ad se potius pertinere opinatur, cum ipse de Regia stirpe natus sit. Ideò vt expleat inuidiam, facilè paret mandato Ammonitæ. Vide Ierem.40.v.14.

L. Qui vult cauere scelera cuncta , caueat ab inuidia & æmulatione seu ambitione. Inuidus enim nihil curat pietatem. Vide exempla Ioabi, 2.Sam.20. Adoniæ, 1.Reg. 2. Et alterius rebus marcescit opimis.

II. Non inuideamus his, qui in authoritate sunt constituti. Præsertim si pij sint. Imò veneremur ipsos, propter Deum, qui eos euexit, Rom.13. Habent illi sua onera, nobis non optanda.

VI.

Quomodo aggressus fuerit suum parricidium Ismael , etiam annotatur. Simulat fidem & amicitiam, cap.40.v.8. & hoc loco. Fuit conuiua Godoliæ. Is nil mali suspicatur, etiam monitus, cap.40.v.16.

L. I. Tuta frequensque via est per amici fallere nomen. At grande crimen habet. Dolosi abominabiles Deo. Psal.5.v.7. & 55.v.24. Candor decet Christianos.

II. Non nimium fidendum omnibus. Benè monentibus obtemperandum. Quod vtinam fecisset Godolias.

VII.

Factum hoc mense 7. cum quarto esset vrbs capta: & cum iam hostes recessissent, & pax esset restituta Israelitis.

L. Vna superata calamitate, alia mox exspectanda.

F I N I S.

AP-

Appendicis Classis VII.

Casvs X.

De furiosis, & melancholicis.

Exemplvm I.

Daniel. 4. v. 13. &c.

Cor eius ab humano corde commutetur, & cor feræ dabitur ei, &c.

Dispositio.

Admirandam Metamorphosin descripsit Propheta Daniel in hoc capite, cuius simile exemplum non exstat. Legitur enim, Rex alioquin prudens & honoratus sic immutatus, vt & rationis vsum & dignitatem omnem amiserit, atq; vix formam humanam retinuerit. Quamuis autem talia hodiè non per omnia appareant spectacula, tamen videmus non rarò sensus hominum atque rationem ita turbari, vt sibiipsis amplius non sint similes.

Ad nostram itaque doctrinam examinabimus præsentem historiam, & duo considerabimus in Rege.

1. Quomodo is furore correptus.
2. Quomodo mania liberatus fuerit.

I. Pars.

Nebucadnezar fuit Monarcha potentissimus, sed iam agnoscit se habere superiorem, videlic. Deum, qui ipsum humiliauit. Is enim audiit vocem de cœlo, quæ immutationem ipsi grauissimam minatur. Et hoc vult, ita explicante Daniele:

1. Cor humanum ab ipso auferendum. Et illum priuandum vsu rationis.
2. Furore correpto compedes iniiciendos, &c.
3. Cor bestiale ipsi dandum, vt eiiciatur ex consortio hominum. Idque septem annis duraturum. Hæc omnia sic accidisse sequens historia docet.

Causa huius iudicij est illa, quam Daniel refert vers. 22.

vt humilietur coram Deo, in cuius manu ſunt regna mundi, qui hactenus Deum omnipotentem non rite coluit, ſed ſuperbè (in ſua potentia confiſus) gloriatus fuit de ampliſſima Metropoli.

LOCVS. Videmus, vnde fiat, quod haud rarò ſapientes fiunt amentes, & docti interdum ſtolidi, ſani inſani, hilares triſtes &c.

Deus eſt qui immutat vel aufert cor, & diſturbat rationis iudicium, & pro corde humano dat beſtiale. Qui enim dat ſenſus & membra integra, is etiam poteſt mutare & mutilare pro ſua voluntate.

Et hac in parte variè agit Dominus. Vel enim Satanæ permittit, vt exagitet hominem & adigat ad inſaniam, quod factum legitur Marc. 5. v. 2.

Vel quod frequentius accidit, per morbum aliquem turbat hominis rectam rationem. Sicut verè Melancholia ipſa morbus eſt. Nec rara eſt mania, vbi læſa imaginatiua facultate homo ſibi perſuadet diuerſum apparere. Et ſic de cæteris.

Cauſas autem habet Deus, quare ſic agat cum hominibus, eaſque varias, pro qualitate hominum.

1. Vel ſic punit ſuperbiam, (vt hoc loco, v. 27.) aut abuſum donorum Dei. De quo 1. Corinth. 1. v. 19.

2. Vel pios ſic exercet ſancta cruce, & ſimul his exemplis alios inuitat ad pœnitentiam, vt cogitent, ſi hoc fit in viridi. Luc. 23. v. 31.

3. Interdum pios ſic corripit, & iudicium rationis turbat, vt ſic alias & maiores calamitates non curent, &c.

Eſt verò hoc conſolatione pleniſſimum, quòd Dominus non tantum ſic affligit, ſed ſimul etiam terminum præfigit, quàm diu hæc afflictio durare debeat. Hoc loco ſeptennium. Tempus ſanè coram noſtris oculis longum, at in conſpectu Dei breue, coram quo mille anni ſicut vna dies. Pſal. 90.

1. Patienter itaque ferenda illa calamitas. 2. Et rogan-

gandus Dominus pro miseris illis afflictis. 3. Condolendum illis ex animo. Non irritandi. 4. Media non negligenda, vt restituantur 5. Custodiendi (sicut hic de compedibus dicitur) ne sæuiant in propria viscera. 6. Illorum exemplis moniti discamus Deum timere, & donis ipsius vti in vera animi humilitate.

II. Pars.

Post septennium liberatur Rex Nebucadnezar à mania illa. Humiliat se coram Deo. Restituitur regno & sanitati. Quæritur a Consiliariis & Proceribus regni, & pristino honore atque ampliori etiam ornatur.

LOCVS. Fidelis Deus non sinens tentari vltra vires, sed dans cum tribulatione euentum, 1. Cor. 10. Idem plerumque ante finem vitæ iudicium rationis restituit Melancholicis, vt possint cum Rege hoc loco Dominum agnoscere, & prædicare illius miracula.

Quod si id non fiat, tamen de salute piorum, qui furore correpti fuêre, nihil dubitandum.

Non enim requiret Dominus ab iis, vltrà quàm dedit ipsis. Quod si loquantur vel faciant, quod Christianum non decet, non ipsis hoc sed morbo tribuendum. Facit hoc inhabitans malum, Roman. 7. Nec culpa furoris aut insaniæ ipsis tribuenda, sed Domino, qui cor immutat, prout vult. De piis autem loquimur. Illi infantibus similes sunt, & non imputatur illis delirium.

II. Non contemnendi aut irridendi, qui aliquando furore correpti ad se redierunt, nec illis exprobranda dicta aut facta: sed consolandi & erigendi, atq; exhilarandi. Sicut Principes regni suum Regem quærunt, venerantur restitutum, &c.

III. Restituti sanitati, & qui intellectum receperunt, exemplo Regis huius, laudent & glorificent Deum cœli, quia omnia opera eius veritas, &c.

Vide vers. 33.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.
CASVS X.
De furiosis, insanis aut melancholicis.
LOCVS II.
2. Corinth. 12. v. 9.
Virtus mea in infirmitate perficitur.
NOTA.

Explicatio huius Thematis suprà reperitur in Classe septima, numero 16. Placet tamen hoc loco paucula verba ad præsens institutum accommodare. Sequitur ergo hic alia

DISPOSITIO.

Multas & varias esse infirmitates, ægritudines atque afflictiones, vt cuique diei, Matth. 6. in fine, ita ferè vnicuiq; homini; nemo est qui negare possit. Inter illas non minimum locum obtinet illa animi ægritudo, quæ hominem mente captum & insanum reddit, & ferè totum immutat: quod in melancholicis & amentibus fieri videmus: vt ex sapientissimo fiat stolidus, ex doctissimo ineptissimus, & qui seipsum vix nouerit, &c. Cuius rei exemplum præsens funus nobis exhibet.

Hoc loco multi disputant, vnde sit talis affectus & corruptio intellectus hominis.

Deinde etiam multi sunt, qui de æterna salute talium minus benè sperandum putent.

Ad vtramque quæstionem nos iam respondebimus, ex dicto illo quod legi audiuimus ex Corinthiis.

I. *Pars.*

Variè disputatur passim, à doctis pariter & indoctis, vnde fiat ista rectæ rationis & iudicij perturbatio.

Alij tribuunt hoc humoribus prauis: alij aliis affectibus corporis humani, & cerebri potissimum. Alij exter-

nas

nas causas quærunt, vt sunt, Philtra, venena, terror, consternatio, metus, casus aduersi & inopinati, & infinita alia.

Et habent hæc omnia suam quandam rationem. At verum principium inuestigandum est, à quo cætera omnia dependent.

Vnde igitur ista? Ab eo qui dixit Apostolo vasi electo, quod etiam circa infirmitatem sit occupatus, à Deo scilicet, à quo bonum & malum, sanitas & ægritudo, vita & mors, Syra. 11.v.14. Amos 3.v.6. Esa.45.v.7.

Qui dat iudicium rectæ rationis, is etiam corrumpit quando vult.

Atqui variis mediis hoc perficit Dominus. Nec rarò etiam Satanæ permittit vt sic affligat homines, siue per morbos varios, siue alia ratione. Is certè ligauit filiam Abrahami mulierem incuruatam. Luc. 13. Sic ligat intellectum hominis internum. Et Act. 10. dicitur, quod hi, quos Iesus Nazaraenus sanauerit, fuerint oppressi à Diabolo. Patet exemplo Iobis Satanæ studium. Imò ipsius Pauli hoc ipso loco, quem colaphizat angelus Satanæ. 2. Corinth.12.v.7.

Et illa infirmitas Deo non est incognita, quam etiam non vult auferre à Paulo, licet rogatus. Ibid.vers.8.

Quæ autem causa est, quod Dominus hoc Satanæ permittit? Hoc loco probè tenenda est differentia, inter electos Dei filios pios, & inter impios. Fieri enim potest, vt vtrisque eueniant eadem. Eccles.9.vers.2. Impii sic puniuntur, idque vi legis Deut. 28. vers. 28. Percutiet te Dominus amentia & furore mentis. Et vers. 34. Adigeris ad insaniam. &c. Pii verò sic exercentur, vt aliis sint quasi viua concio, & inculcent illis id Luc. 23. vers. 31. Si hoc fit in viridi. Atque vt cognoscant omnes, quantum Dei donum sit, si vsum rectæ rationis concedat.

Exemplũ vtriusq; libet proponere, vt res sit manifesta.

Saul turbatur & exagitatur à Satana. 1. Sam. 16. Paulus sentit etiam colaphos Satanæ. 2. Corinth. 12. At huic est sancta crux. Illi vero τιμωρία & vltio diuina.

II. Pars.

Ex his quæ diximus, iam facile erit colligere, quid de æterna horum salute sentiendum, qui sic affliguntur. Et de impiis quidem & impœnitentibus expedita est ratio, quod illi tandem perueniunt ad desperationem, sicut Saul. At de his nihil dicemus iam, quia cum ipsis nobis nihil est negotij.

De piis verò, & qui certis peccatis sibi talem non contraxerunt amentiam, nõnulli dubitant, an saluandi sint, si non redeant ad se, ante finem vitæ, cum non possint animas commendare creatori, nec admittant conciones sacras, nec audiant docentes, nec Sacramentis vtantur, adeoq; mediis ad salutem necessariis careant.

Accedit huc, quod interdum loquuntur & faciunt indigna homine Christiano, qui mente planè alienati sunt. At hoc non ipsis tribuendum, sed Satanæ & vi aut vehementiæ morbi. Non ipsi possunt consentire rectæ rationis iudicio, quo carent.

Similes sunt infantibus, quibus nulla tribuitur culpa, propter iudicij defectum. Sicut autem de salute infantum baptisatorum nemo dubitat, ita nec de his dubitandum. Nec abiicitur Paulus propterea, quod nunquam cessat Satan ipsum colaphizare. Nec permittitur Satanæ, vt possit nocere animæ, si maximè affligat corpus. Patet exemplo Pauli, 2. Corint. 12. v. 9. Gratia mea sufficit. Imò hîc sese exerit virtus Domini in infirmitate illa. Quod licet nos non intelligamus, quomodo fiat, tamen Deo satis constat.

Nec irritæ sunt piæ aliorum preces pro talibus, sicut nec erant apud Christum, Matth. 9. v. 2. Potest in ipsis sicut in infantibus perficere suam virtutem. Et spiritus interne facit officium, Rom. 8. v. 16.

Ergo de salute ipsorum nihil quicquam dubitandum.

FINIS.

AP-

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS XI.

De subitanea morte abreptis, aut vi diuina occulta enecatis.

EXEMPLVM I.

I. Sam. 6. v. 19. ad finem cap.

De Bethsemitis occisis à Domino, propter arcam fœderis curiosè spectatam.

DISPOSITIO.

Luctuosus hac historia describitur casus Bethsemitarum, & aliorum, qui accurrerunt ad ipsos: vbi scriptura nobis ob oculos posuit exemplum subitaneę & improuisæ mortis: & quomodo extrema gaudij luctus occupet, Prouer 14. v. 13. Dum enim illi magno se gaudio perfusos putant, ecce magnus sequitur luctus, quod tanta populi multitudo subitanea & improuisa morte perit.

Nos duas tantùm historiæ partes notabimus, audituri.

Primùm de subitanea morte populi, & causa huius.

Deinde de luctu superstitum, &c. super defunctis contribulibus.

I. Pars.

Repetenda paucis ex hoc capite historia, quomodo arca tempore Eli capta à Philistinis post septem menses (cum hostes sensissent grauem manum Domini) ablegata fuerit in Israel. Et quomodo peruenerit in fines ciuitatis Bethsemes, quæ erat Sacerdotalis vrbs, sita in tribu Iuda, Iosuæ 21. cap v. 16.

Illi magno cum gaudio arcam recipiunt, & Deo sacra faciunt. Erat enim populus tum magno numero in agro, propter messem. At gaudium mox vertitur in tristitiam.

Etenim ſubitanea morte pereunt ſeptuaginta viri de Bethſemitis, & ex reliquo populo, qui turmatim accurrebat, arcæ videndæ cauſa (quæ ab hoſtibus redierat) quinquaginta millia virorum.

Lyra ſequutus Hebræos putat tantum ſeptuaginta viros periiſſe, ſed optimates, qui fuerint inſtar quinquaginta millium, ſicut Dauid dicitur eſſe inſtar decem millium. 2. Sam. 18. v. 3. At Textus manifeſtus eſt, periiſſe primos ſpectatores arcæ 70. Et deinde ex populo 50000.

Et hos quidem ſubitanea morte periiſſe conſtat, qui non tantum erant ex Bethſemitis, ſed ex omnibus finibus Iſraël confluxerant eò.

At vnde tanta ſtrages? Non certè ab hoſtibus. Nec ex infectione aëris? Neque alia contagione. Hic exprimitur id: Percuſſi ſunt à Domino. Deus ſubitò illos extinxit. Quæ verò huius rei cauſa? Lyra aliquot refert cauſas. 1. ineptam læticiam. 2. holocauſtum indebitè oblatum. 3. quod arcam nimis diu dimiſerint ſub diô, ſine luminaribus & cultu debito. &c. At non opus ſolicitè inueſtigare cauſas, cum vera cauſa expreſſe addatur: eò quod vidiſſent arcam Domini.

Ergonè propter rem iſtam leuiculam ſic iratus eſt Dominus, inquis? Quis non cuperet videre tale aliquod ſpectaculum, reductum ab hoſtibus? Numquid non iniquè agitur cum tot millibus hominum propter rem leuiſſimam? Reſpond. Propter transgreſſionem legis diuinæ ſic puniuntur. Sub pœna enim mortis interdictum erat illis, ne quis arcam aſpiceret nudam. Vide Num. 4. cap.

Non itaque propter curioſitatem, ſed ob violatam legem ſic puniuntur; quæ non eſt res leuicula, ſed coram Deo grauiſſima, morte æterna digna. Animas tamen horum ſaluatas non eſt dubium. Fuit enim Deus hac temporali plaga abſque dubio contentus.

L o c v s I. Poſſet hic prolixè tractari Locus hic, Quomodo omnia facta noſtra non iuxta faciem externam,

ſed

ſed iuxta Dei verbum ſint exigenda: alioquin ex graui delicto nos facimus rem leuiculam. Vt exempli cauſa, aſpicere arcam, veſci pomo, non videtur res grauis, at transgreſſio mandati diuini eſt grauiſſima. Et ſic Deus exigit noſtra facta. Ea examinanda ſunt ad verbum ipſius. Et hoc eſt quod peccatum Saulis 1. Sam. 15. v. 11. & Vſiæ 2. Par. 26. v. 18. facit grauiſſimum. Non ergò dicamus, quid tum, ſi maximè hoc feci, eſt res exigui momenti, &c. Minimè verò. Cogita de lege Domini, quam transgredi eſt peccatum æterna morte dignum.

L. II. Hic ad inſtitutum propius accedit, qui eſt de morte ſubitanea & improuiſa. Vbi variè ſolet diſputari, vnde illa ſit. At hîc vno verbo oſtenditur, vnde mors ſubitanea, videlicet Domini eſſe plagam. Percuſſi ſunt inquit textus. Deus eſt qui vno momento multa millia poteſt tollere è medio. Quare hoc?

1. Interdum quidem propter certa peccata ſic punit, vt hoc loco & 2. Sam. 6. v. 7. Act. 5. v. 5. & 10. Leu. 10. v. 2.

2. Interdum verò etiam bonos & electos eodem mortis genere abripit.

3. Nec propterea damnandi qui ſic moriuntur. Quia occulta ſunt Domini iudicia. Et beati qui in Domino moriuntur, quocunq; mortis genere moriantur. Apo. 14.

4. Vel ſic exempla aliis ſtatuit ob oculos, vt cogitent id Luc. 23. verſ. 31. vel corpus perdit vt anima ſeruetur: vel etiam ſic pios abripit, ne diu torqueantur morbis &c. Et tenenda de piis hæc regula: omnia in bonum cedunt diligentibus Deum. Et neque periculum neque mors ſeparat à dilectione Dei Rom. 8.

5. Quia verò tam incerta eſt hora mortis, vt omni momento neſciamus quid futurum de nobis, ſemper vigilandum, ſemper orandum, ſemper anima Deo commendanda. Matth. 24. Mar. 13. 1. Pet. 5. &c.

6. Sic vigilantibus ſubitanea & improuiſa etiam mors mala non eſt. Imò gratiæ Dei tribuendum ſi citò faciat finem, & non diutius excruciet morborum vehementia.

II. Pars.

Breuiter etiam dicendum, quid populus tantam sentiens ſtragem fecerit. Textus ſic habet: Luxitque reliquus populus. Rectè hoc. At quod ſequitur, non laudari poteſt, quod ſc. non acta pœnitentia ad Deum conuerſi ſunt, ſed arcam relegarunt in Kiriathiearim: &c. ſimiles Gadarenis, qui Chriſtum, vt exeat ab illis, rogant, Marc. 5. v. 17.

Locvs I. Lugendum omnibus, ſi Deus plaga aliqua etiam alios punit. Noſtrates dicunt, **Wañ nur niemand auß meinen Schuhen ſtirbt/ ſo frag ich nichts darnach.**

Indigna hæc ſunt Chriſtianis. Flendum cum flentibus, Rom. 12. v. 15. Et malè audiunt, qui nihil patiuntur ſuper contritione Ioſeph, Amos 6. v. 6. Cogitandum ſemper, Hodiè tibi, cras mihi, Syr. 38. v. 23.

L. II. Bethſemitis ſimiles plerique ſunt etiam ex noſtris, qui non hoc agunt, vt per pœnitentiam ſeriam cum Deo redeant in gratiam, ſed id tantum optant, vt Deus recedat ab ipſis, hoc eſt, vt ceſſet ipſos affligere. Et malunt viuere felices abſque Deo, quam cum Deo aliquid pati.

FINIS.

Appendicis Classis VII.

Casvs XI.

De ſubitanea morte, vel vi occulta diuina enecatis.

EXEMPLVM II.

2. Sam. 6. v. 6. ad 9.

1. Paralip. 14. v. 9.

De Vſa percuſſo à Domino, & mortuo iuxta arcam Domini.

Poteſt tractari in funere magni alicuius viri ſubitanea morte abrepti.

DIS-

DISPOSITIO.

Proponitur nobis hoc loco exemplum ſubitaneæ & improuiſæ mortis, qua abreptus legitur vir alioquin pius & Deum colens, Vſa videlicet. Super cuius obitu Rex ipſe Dauid vehementer perturbatus legitur: atque locus iſte etiam cognomen ex hac Dei ruptura accepit. Quia itaque Deus etiam apud nos magnam quoque rupturam rupit (ſic enim in Hebræo eſt hoc loco) ſubitò ſcil. abripiendo virum magnum, cuius iam funus comitati ſumus, agite hanc hiſtoriam excutiamus.

Videbimus 1. interitum Vſæ.

2. Luctum Dauidis.

I. Pars.

Vſa filius eſt Abinadab, frater Ahio, ciuis in Kiriath-Iearim, quô deducta fuit arca poſtquam rediit ex terra Philiſtinorum. 1. Sam. 6. & 7. Fuit autem arca repoſita in domo patris Vſæ annis 20. 1. Sam. 7. v. 2. Tempore Saulis etiam ibi relicta arca parum curabatur. Dauid itaque reſtauraturus cultum diuinum, arcam deducere vult in Metropolim regni, vt magis vigeat cultus.

Cum itaque ex domo Abinadab educeretur, Vſa filius ipſius cum fratre Ahio ſuas quoque operas volunt coniungere. Et Ahio præcedebat currum, Vſa verò regebat plauſtrum.

Cumque à via regia declinaſſent boues, & currus ruiturus videretur, Vſa accedit ſuſtentaturus arcam Domini, ne decidat ex curru in terram.

At tam ægrè fert Dominus hoc factum Vſæ, vt ſubitò illum extinxerit, in eodem veſtigio.

Quæ verò cauſa huius indignationis diuinæ? Nunquid non bona intentione hoc fecit Vſa? Videtur itaque non iuſtè ſic iraſci Deus, cum Vſa potius videatur laudandus quàm culpandus. Reſpond. Meritò indignatur Dominus propter legis transgreſſionem, ſicut & 1. Sam. 6. indignatur Bethſemitis, propter eandem cauſam. Illo exem-

exemplo edocti alii rectius ſapere debuiſſent. Sub pœna mortis enim prohibitum erat, ne quis contrectaret arcam Domini nudam, præter Sacerdotes ex familia Aharonis. Vide Num. 4.

Loci. I. Videmus quàm ſtrictè Dominus ſua velit obſeruari præcepta. Ideoque iuxta ipſius verbum, non iuxta noſtræ rationis ductum examinanda omnia noſtra facta. Vide ea quæ Diſpoſit. Præcedenti habentur, parte 1. Loco Com. 1. Sunt enim eadem hic etiam conſideranda, quia planè ſimilis caſus.

II. Quàm vana ſit bona intentio hominum, ſi nullo verbo Dei nitatur, hîc manifeſtè apparet. Quod ego præcipio, hoc facito. Deut. 12. Non quod tibi rectum videtur. Ibidem. Hinc Chriſtus, Omnis plantatio. Matth. 15. v. 13. Et, fruſtrà me colunt. Ibid. v. 9.

III. Nemo ſeſe ingerat alieno officio. Vſæ non erat commendata cura arcæ. Ideo hortatur Petrus, ne quis patiatur vt ἀλλοτριοεπίσκοπος, 1. Pet. 4. Et Paulus, Propria agite. 1. Theſſ. 4. v. 11.

IV. Non rarò viri etiam pii & magnæ authoritatis hallucinantur grauiſſimè. Sicut hoc loco Rex ipſe (vt mox ſequetur) & bonus hic Vſa noſter. Omnes enim ſumus homines, caro & flos agri. Hinc illud Pſalmi 62. v. 10.

Agnoſcendum hoc, & orandum omnibus, ſemper & vbiq; pro regimine ſpiritus ſancti. Pſal. 51. v. 13. plura Pſ. 119.

Locvs principalis noſtro inſtituto ſeruiens hic eſt, de morte ſubitanea. Quem ſuprà Diſpoſit. præcedenti parte 1. inuenies. Illa huc etiam poſſunt referri. Et de æterna ſalute Vſæ meritò non dubitamus, quia hæc fuit caſtigatio temporalis, cum alioquin pius & bonus fuerit Vſa: quod docent omnes circumſtantiæ, & ſequens etiam luctus Dauidis.

II. Pars.

Super obitu Vſæ vehementer conſternatur Rex Dauid. Partim quod hunc boni viri caſum dolet. Et hinc ad per-

perpetuam rei memoriam Perez Vsa vocat hunc locum, hoc est, Rupturam Vsæ, quem Dominus subito abripuit.

Partim etiam dolet Dauid propter se, quod non iuxta legem curauit gestari arcam. Id enim volebat mandatum Domini. Num. 4. Et hunc errorem agnoscit & corrigit Rex postea. 1. Par. 15. v. 13. Si hîc obseruata fuisset lex, Vsa non periisset.

Locvs. Dolendum ex animo, si proximus aliquid patiatur aduersi. Rom. 12. v. 15. vide Dispofit. præcedentem, parte 2. Loco Com. 1. Etiam si inimico aliquid accidat mali. Samuel & Dauid impium lugent Saulem, abiectum à Domino. 1. Sam. 15. v. 35. & 2. Sam. 1. vers. 17. Et Absolonis casum luget Dauid. 2. Sam. 18. v. 33. Hanc enim συμπάθειαν exigit charitas. 1. Cor. 13.

Præsertim verò dolendum, si talis ruptura bonorum virorum sit damnosa Ecclesiæ vel Reipublicæ, vt est plerunque: cum hi sint qui se opponunt ruinæ Ezech. 22. v. 30. & sustinent iram Domini. Exod. 32. v. 10. Maximè verò dolendum, si nos aliquando ipsos offendimus, vel si mortem promouimus vlla ratione, licet insciis vel inuitis nobis id factum sit.

At maior pars hominum de hoc parum cogitat. Sicut hic præter Regem nemo legitur perturbatus fuisse casu amici aduerso. Ita plerunque fit iuxta Prouerb. **Wer reit der reit/ Wer leit der leit.** Sed malè hoc. Charitas aliud iubet. Et si Deus nobis remetiatur eadem mensura, quàm miseri erimus. Corrigenda ergo hæc ἀστοργία.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS XI.

De morte subitanea aut vi occulta diuina enecatis.

EXEMPLVM III.

Actor. 5.

Ananias cum coniuge Saphira subitò extinctus.

Tra-

Tractari poteſt in funere vnius vel duorum coniugum ſubitanea morte peremptorum, quorum vita non fuit laudabilis.

DISPOSITIO.

Horribile exemplum iudicii diuini cernitur in his coniugibus, de quorum ſubitanea morte nos docet præſens hiſtoria. Ad doctrinam autem & admonitionem noſtram hæc omnia eſſe ſcripta, Apoſtolus author eſt Rom. 15. v. 4. & 2. Tim. 3. v. 16.

Videbimus itaque 1. interitum horum coniugum. 2. Cauſas inueſtigabimus, quare illis hoc acciderit.

I. Pars.

Inter Chriſtianos primitiuæ Eccleſiæ erant Ananias & Saphira. Baptiſati erant & ſuis ornati donis. Cupiebant etiam partem aliquam bonorum ſuorum conferre in commune. Illorum tamen miſerabilis & mirabilis ſimul eſt interitus. Ananias enim audiens grauem Petri reprehenſionem, ſubitò concidens in terram expirauit, ac ſi telo confoſſus eſſet.

Poſt trium horarum ſpacium, cum is iam eſſet remotus ex hominum oculis, & terræ demandatus, coniunx illius Saphira ſimilem Petri obiurgationem audiens, & ipſa ſubitò expirauit, & quaſi fulmine icta corruit.

LOCVS. Nonnunquam talia exempla iudicii diuini ob oculos ſtatuuntur, vt diſcamus, in Dei manu vitam & mortem eſſe. Sap. 16. Syr. 11. Et vt ſciamus quod Deus viuificet & mortificet. Deut. 32. 1. Sam. 2. Id poteſt verbum Petri, quia ex ore Dei prolatum.

Ecquis verò hoc negat, inquis? Multi certè, ſi rem rectè velimus expendere.

Hi ſc. qui vitam noſtram iuxta naturæ decurſum neceſſariò ad metam iuſtæ ætatis deducendam opinantur, nec à Deo decurtari vitæ dies, neque prolongari exiſtimantes, dummodo ipſe homo ſuam non negligat valetudinem. Tales Stoici multi ſunt hodiè. Quibus nihil valens

valent vel promissiones diuinæ illæ, Ex.20.v.12.Ephes.6.v. 2.Prou.3.v.2.&9.v.11.&10.v.27. vel etiam comminationes: Psalm.37.v.2. Psalm.55.v.24.&58.v.8. & seqq.

Ideoque pro lubitu viuunt. Nec est timor Dei ante oculos eorum. Psal.36.v.2.

II. Quamuis etiam pios morte subitanea abripi interdum contingat, quibus quidem illa (vt alia omnia) in bonum cedit, tamen grauis est impiis pœna & vltio, si sic moriantur, vbi nec cum Deo prius reconciliari, nec ipsi animas commendare possunt.

Meritò itaque oramus, à subitanea & improuisa morte libera nos Domine.

Quia verò constat quàm fugax sit & instabilis vita, quàm incerta hora mortis, semper vigilandum cum quinque virginibus Matth. 25. & Deo anima semper piis commendanda precibus Psal.31.v.6.

II. Pars.

At quæ causæ sunt huius tam repentini interitus horum coniugum? Multa quidem concurrunt peccata: hæc tamen sunt præcipua.

1. Hypocrisis. Quod pecuniam in commune conferunt, non ex syncera charitate, studio iuuandi pauperes fratres, sed vt laudem inde reportent, sicut viderant Barnabam consequutum fuisse. cap.4. in fine.

2. Ambitionis igitur laborant vitio.

3. Accedit diffidentia, quod partem pecuniæ reseruant, si forte post aliquod tempus res aliter caderet.

4. Grauissimum autem est, quod mentiuntur Spiritui sancto, negantes se pluris vendidisse agrum. Sic Deo fucum facere conantur. Idque potissimum illis exprobrat Petrus.

L. I. Posset tractari hic locus, Christianis semper admixtos esse hypocritas: scilicet zizania inter triticum. Matth.13.v.30. Cauenda autem hypocrisis. Syr.1.v.36.&38. vers.23.

Locvs

Locvs II. Caueant ab his peccatis, quicunque mortem ſubitaneam, imò æternam effugere cupiunt. Quamuis enim non ſemper Deus in veſtigio, & quod dicitur ἐπαυτοφώρῳ puniat tales, vtpotè ambitioſos, hypocritas, diffidentes, & Deo fucum facere tẽtantes (quot enim paſſim in omnibus angulis iacerent defuncti, quibus vix cæteri ſufficerent, veſpillonum vt officio fungerentur) tamen hæc omnia ſtudioſè notare ſolet, vt producantur ſuo tempore in conſpectum omnium angelorum & electorum. De quo Matth.10.v.26. 2.Cor.5.v.10.

Maximè autem cauendum, ne quiſquam ſibi perſuadeat ſe Deo impunè velle aut poſſe imponere: quod hic conantur Ananias & coniunx. Eſt enim ſatis oculatus. Et qui fecit oculum, non videat? Pſal.94.

Poſſunt iam ſingula illa peccata amplificari & exaggerari.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS XII.

Tempore peſtis tractanda themata continet.

THEMA I.

Ex hiſtoria 2.Sam.24. toto capite.

Et 1. Paralip. 22.

DISPOSITIO.

Horribilis nobis in hoc capite deſcribitur hiſtoria, quomodo ſcilicet tribus diebus 70. millia hominum in regno Iuda peſte fuerint correpti & abſumpti. Quia autem omnia ad doctrinam & conſolationem noſtram ſcripta eſſe Paulus aſſerit, Roman. 15. non eſt dubium, quin præſens hiſtoria magnam nobis vtilitatem adferre poſſit: præſertim hoc tempore, vbi Dominus etiam nos in his locis peſte affligere cœpit. Quia enim non omnes faciunt officium, hiſce temporibus, & alij hæc mala ſtultè con-

contemnunt; alij contra nimium trepidant, alij verò aufugere tentant, ideoque occasione præsentis historiæ de peste sumus dicturi sequentibus concionibus, audituri Deo nos benè iuuante:

1. Quale malum sit pestis, & vnde veniat.
2. Quibus mediis illa immittatur, vel infligatur.
3. Quosnam hoc malum tangat, aut corripiat.
4. Quibus mediis à peste præseruari possimus.
5. Quibus mediis peste correpti vti debeant.
6. Vtrum & quomodo tempore pestis liceat fugere.

[Hæc singula singulis & pluribus etiam concionibus sigillatim tractari possunt & debent, & populo inculcari. Nos breuitatis causa tantum notas concionum breuissimas hîc subiiciemus.]

I. *Pars.*

1. Pestem esse inter alias pœnas grauissimas numerandam, ex hac præsenti historia cõstat, vbi inter tres Dauidi optio datur, & fami atque bello pestis coniungitur.

Et fatetur Dauid, se in magnas angustias hanc ob causam coniici. vers. cap. 2. Sam. 24. v. 14.

Et magna calamitas sanè est, si quotidiè tot funera fiunt, & parentes à liberis, hi à parentibus, coniuges à se mutuo auelluntur, totæ domus vastantur. Quæ calamitas ipsum etiam Deum afficit. Vide vers. huius capitis 16.

Peccant itaque grauissimè audaculi nonnulli, qui se hoc malum planè nihil curare asserunt, nec propterea angi dicunt.

Etenim cum sit indicium irati Dei, meritò extimescenda hæc pœna.

2. A Deo autem immitti pestem propter peccata, non tantum ex præsenti historia, sed innumeris aliis locis constat.

Minatur Dominus se missurum pestem, Leuit. 26. v. 25. Deut. 28. v. 27. Amos 4. v. 10.

Testantur idem exempla harum pœnarum. Num. 14.

verſ.12. Exod.9.v.3. Et hoc loco. Et Aſſyrios illos omnes peſte extinctos eſſe, de quibus Eſa. 37. & 2.Reg.19. legimus, Ioſephus author eſt. Antiq. libr.10. cap.2. Exempla plura comminationis diuinæ paſſim ſunt obuia. Hierem.14.v. 12. Ezech.5.6.7.& 14.

Non itaque fortuitum eſt iſtud malum peſtis, ſed immittitur à Domino, à quo omne malum (pœnæ ſcilicet, non culpæ) eſt, ipſo dicente Amos 3.v.7. Ego Deus creans malum. Eſa.45.v.7. Thren.3.v.37. quis audet dicere hæc ſine Dei mandato fieri?

Iuxtà tamen & hoc notandum, peſtem inter cæteras pœnas eſſe mitiſſimam, & paternam Dei caſtigationem, quæ pœnitentibus & Deum diligentibus in bonum cedit, vt omnia alia. Rom.8.v.28. Ideoque Dauid hanc eligit, & cauſam addit, quod melius ſit incidere in manum Domini, &c. Quia multæ miſericordiæ Domini: qui etiam in ira recordatur miſericordiæ ſuæ.

Neque ſanè fefellit Dauidem hæc opinio, vt patet ex hoc capite Samuelis, v.16.

II. Pars.

Vtitur autem Deus in infligendá hac pœna variis mediis: vel cœli conſtitutione inæquali, & influentiis cœleſtibus, vel aëris infectione, vel contagione, &c. Sicut in ſua manu habet omnes creaturas, quas puniturus contra nos armare poteſt. Vide exequutores mandati diuini Pſal.148.v.8. & exercitum Dei Ioel.2.v.25.

Nec rarò tamen vtitur Deus miniſterio angelorum, ſiue bonorum ſiue malorum.

Angelus vaſtator perdit primogenita Ægypti. Ex.12.

Hoc loco Angelus gladio euaginato apparuit Dauidi, & percuſſit illa 70000.

Angelus in caſtris Aſſyrij occidit 185000. Eſa.37.

Monendi autem ſumus, vt non tantum defigamus óculos in externa illa media, quæ in oculos incurrunt, vel alia: & cauſam mali adſcribamus vel Angelis, vel aëris

infe-

infectioni aut contagio: ſed ſemper reſpiciamus ad cauſam primam, Deum ſcilicet. Sicut Iob non Satanæ culpam tribuit, ſed Deo omnia adſcribit, eumque rogat pro liberatione.

Ipſe enim eſt qui percuſſit & ſanauit. Hoſ.6.verſ.1. Qui ad infernum ducit & educit, mortificat & viuificat. 1. Sam.2.

Sicut qui decollatur nullam culpam tribuit carnifici, &c. ita & hîc, &c. Vtitur quidem Deus ſuis inſtrumentis & mediis, tanquam exſequutoribus mandatorum: ipſe tamen mandat quid fieri velit, & modum atque terminum præſcribit: quod patet hoc loco verſ. 15. & 16. Vbi dicitur peſtilentiam duraſſe vſque ad tempus conſtitutum. Tunc dicit Dominus, ſufficit, &c. Vide ibi.

III. Pars.

Nunc etiam quibus plaga illa peſtis infligatur diſpiciendum.

Certum autem eſt hac pœna non impios tantum ſed & pios quoque inuolui.

Videtur nobis Deus iniquè agere, quod, tum peſtis pœna peccati ſit, non impij tantum hac pœna affliguntur, ſed & pij corripiuntur. Sicut certè etiam Iehiskia peſte correptus legitur Eſa.38.

Et hoc ipſo loco Dauid numerando populum cauſam præbuit huic malo. Is igitur ſolus videtur puniendus. Oues autem illæ quid fecerunt? ſicut ipſe Dauid fatetur, & propterea verti petit manum Domini contra ſe. Vide verſ.17.

Quin imò ſicut hîc Dauid incolumis manet, & cæteri pereunt, ita ſæpe pij abripiuntur & impij ſuperſtites manent.

Quæ huius rei cauſa? aut numquid iniquè agit Dominus? Minimè verò.

Primum enim, coram Deo nemo eſt innocens, nec qui nobis innocens videtur. Exod.34.v.7, Ideo non Dauid

ſolum peccauit, ſed & oues illæ ſua habent peccata, quibus iram Dei in ſe concitarunt. Semper enim manet peccatum, etiam in renatis, Rom. 7. v. 18. Ideoq; iudicium incipit à domo Domini, 1. Pet. 4. v. 17. Hierem. 25. v. 29. Calicē illi etiam bibent, Pſalm. 75. v. 9. qui non ſunt improbi, Ier. 49. v. 12. Eſt autem piis & pœnitentibus hęc tantum paterna Dei caſtigatio, quæ ſeruit ad hoc, ne cum mundo pereant, 1. Cor. 11. v. 32. Et in bonum cedit illis, Rom. 8. v. 28.

Neque enim malè cum ipſis agitur, cum aliàs mori illos oporteat, etiam extra hunc caſum.

Omnibus enim conſtitutum eſt mori, Hebr. 9. Et plerumq; etiam pij in hoc peccant, quod ſe non (tanta animi contentione, quanta omninò decebat) opponunt ruinæ, & tanquam murus ſtant oppoſiti, contra Deum quotidiè minitantem, Ezech. 22. v. 30. & cap. 13. v. 5.

Interim tamen ſuos quos vult, eripit ex mediis malis. Signantur illi, Ezech. 9. v. 4. & 6. Vide etiam Pſal. 91. v. 7. At ſuo tempore moriendum illis, ſi iam maximè euadant.

Deinde verò impios quod attinet, vel abripiuntur illi in impœnitentia, & pereunt etiam æterna morte. Vel ſi ſuperſtites manent, hac Dei longanimitate ad pœnitentiam inuitantur: Rom. 2. v. 4. aut ſi non emendantur, maioribus malis reſeruantur, & indigni cenſentur, qui incidant in manus Domini paternas.

Neque enim virga patris caſtigandi, ſed carnificis gladio mulctandi ſunt. Interdum etiam in deſperatione pereunt: vt Saul, Iudas, Cain, Ahitophel.

IV. Pars.

Solent autem tempore peſtis variæ præſeruatiuæ (vt vocant) ſeu præſeruantia medicamenta adhiberi, ne peſte inficiantur homines ſani. Neque improbamus medicinam, ſi quis ea vtatur legitimè, vel in curando, vel præſeruando, &c. At illa non ſufficiunt: alioquin ipſi Medici, & Pharmacopolæ, atque ditiores & Magnates immunes eſſent ab hoc genere mortis.

Opti-

Optima autem & probatissima præseruatiua est vera pietas & timor Domini. Deut. 28. v. 3. Si obedieris, benedictus eris vbique. Exod. 15. v. 26. Si obedieris non inducam super te languorem, &c. Quando verò peccauimus (non enim est qui non peccet. 1. Reg. 8. v. 46.) mox arripienda est illa ad Dominum conuersio & seria pœnitentia: qua vel auertitur vel mitigatur ira Domini.

Hoc patet exemplo Niniuitarum, Ion. 3. v. 10. imò etiam Achabi quantumuis hypocritæ. 1. Reg. 21. v. 29. Sic enim Dominus. Ierem. 18. v. 8. Si pœnitentiam egerit gens à malo, agam & ego pœnitentiam, &c.

Idem Ioel 2. vers. 14. Conuertetur forsitan & agnoscet Dominus. Etenim mox pœnitet eum mali. Ibid. 2. Par. 12. v. 6. & 12. quia humiliarunt se pepercit ipsis Dominus.

Hierem. 26. v. 19. quia timuerunt Dominum, pœnituit illum mali.

V. Pars.

Quod si Dominus iam irritatus est, & peste percussit, sicut tempore Dauidis, quid faciendum, vt cesset plaga. Quibus mediis repellenda pestis? Hic parùm efficiunt experimenta illa Medica, & curationes, si non prius quæratur medicamen, quod contra venenum peccati valeat. Exemplum Dauidis hoc loco multum docebit.

1. Is fatetur peccatum, ante & post sermonem Gad Prophetæ. vers. 10. Cor percussit eum. Et deprecatur culpam. Stultè egi. Et post etiam v. 17. Ego sum qui peccaui.

2. Accedit fides. Multæ misericordiæ Domini. Incidam in manus ipsius.

3. Fructus sequitur multiplex. 1. Patientia. Non fugit, non indignatur, sed patienter se subiicit sententiæ mortis. 2. Dilectio proximi: Rogat pro subditis. Conuerte manum aduersus me. Hoc vix quisquam alius fecisset. Dicunt alij: Wann nur niemand auß meinen Schuhen stirbt. 3. Sacrificium offert Domino. 4. Nec vult à subdito extorquere aream, nec offerre Domino quod sit alterius. vers. 24. Et multa alia.

 Sic

Sic cessat plaga. Et misertus Dominus populi mandat vt Angelus contineat manum suam, vers. 16.

Ecce, hæc sunt media, quibus pestis curatur, pœnitentia scilicet, & fructus pœnitentiæ, Matth. 3. vers. 8. Hæc omnia Dauidica sunt imitanda. Si quis vult, singula iam latius deducere & accommodare potest ad suam Ecclesiam. Sic cessabit plaga. Vnd da heist es/ Probatum est.

Sic etiam curatur Iehiskia. Vide Dispos. sequent. Hæc vbi obseruata sunt, tum etiam accedant media legitima, medicina videl. de qua Syr. 38. v. 1. & seqq. Hæc methodus medendi obseruatur in Hiskia, vbi postquam cum Deo in gratiam rediit, emplastrum adhibetur, Esa. 38. v. 21. Nostrates inuertunt ordinem, & primum cōfugiunt ad Medicos, & in illorum opera magis quàm in Deo confidunt: sicut Asa, 2. Paralip. 16. v. 12. Ideoque sæpè grassatur pestis diutius: nec mox miseret Dominum populi.

VI. Pars.

Mirum autem, quod Dauid non secedit ex Hierosolyma in aliam ciuitatem: aut si totum regnum affligitur peste, quod non in viciniam concedit, vbi aër salubrior. At scit Dauid, se manum Domini effugere non posse, etiam si trans mare curreret, Psalm. 139. v. 9. neque adeò meticulosus est, vt mortem ita exhorrescat, cum tamen mortalis sit natus: sicut multi ex nostris vix pulsum campanæ ferre possunt, & vel ad nudam mortis mentionem toti cohorrescunt. Alij tantum fuga salutem quærunt, parum curantes, quid de cæteris fiat, quos post se relinquunt.

Licet quidem fugere his, qui officij ratione cum ægris nihil habent negotij: ita tamen vt charitatem suam ergà ægros testentur liberalitate & eleemosynis.

At Ministris Ecclesiæ, Medicis, Chirurgis, & quibus cura ægrotorum commissa est, fugere non licet. Sed & alij magis gratum Deo obsequium præstarent, si visitarent, iuuarent, consolarentur ægros: iuxta id Matth. 25. v. 36. ne dicatur id vers. 43. Magistratus etiam hanc charitatem

tatem Dauidis imitetur, vt non roget tantum pro populo, ſed proſpiciat etiam ſubditis de omnibus neceſſariis. Cætera ab aliis alibi tractantur fuſius.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS XII.

Tempore peſtis tractanda themata.

THEMA II.

2. Reg. 20.
Eſa. 38.

De Hiskia Rege Iuda ægrotante.

DISPOSITIO.

Quia pars aliqua huius hiſtoriæ ſupra Claſſe I. tota verò hiſtoria infra Claſſe X. explicata reperitur, ideò hîc breuiter paucula tantum tractantur.

Verum omninò eſſe illud Syracidis cap. 40. ſcilicet tam miſerum eſſe eum, qui coronam geſtat in capite, quam eſt is, qui cilicina veſte vtitur, præſens docet hiſtoria. Hic enim deſcribitur lethalis morbus, & anguſtia atq; miſeria magni illius & incomparabilis Regis Iuda Iehiskiæ. Quia verò non eſt dubium, quin hæc hiſtoria ſingulari conſilio ad noſtram doctrinam ſit deſcripta, illam iam breuiter examinabimus.

Et ne longum fiat, tantum hæc duo in præſentia notabimus.

1. Qualis morbus, & vnde is.
2. Quibus mediis æger vſus fuerit, contra vim huius morbi.

I. Pars.

1. Ægrum videmus decumbentem Regem Hiskiam. Neq; verò talis eſt ægritudo, quæ nihil habeat periculi, ſed expreſsè dicitur, ipſum lethali morbo correptum. Et ſic etiam Propheta ipſi nunciat, Morieris.

2. Quis verò fuerit hic morbus, & qualis, ex fine historiæ colligitur, vbi vlceris siue apostematis fit mentio. Plerique putant ipsum peste laborasse. Et tale apostema non multum abest à peste. Quicquid fuerit, lethale fuit, periculosum & dolore plenum.

3. Vnde quæso hic morbus? Non ex aëris aliqua infectione, aut contagio. Nemo enim preter Regem sic correptus legitur. Vnde igitur? A Domino. Is enim per Prophetam ipsi dicit, Morieris, licet Rex tum fuerit adhuc in flore ætatis, annos 39. natus.

4. Quare autem Dominus hoc decreuerit, ignoramus in specie. In genere autem scimus, Deum sic fidem illius voluisse probare: ipsique & aliis insigni subsequuto miraculo testari suam omnipotentiam, & quod vitam habeat in manu sua.

Fingunt alij, illum propterea hoc morbo correptum, quod noluerit ducere vxorem. Nugæ hæ sunt Iudæorum.

Locvs I. Videmus etiam pios & Deo charissimos peste affligi, ægritudine & mortis angustia premi. Filium enim quem diligit, castigat. Prouerb. 3. v. 12. Habet autem Deus huius rei causas plures.

1. Ne superbiant, qui Deum sentiunt propitium, sicut Hiskias post fugam Regis Assyrij, & liberationem illam gloriosissimam hîc affligitur. Hanc ob causam Paulus colaphisatur, 2. Cor. 12. v. 7.

2. Vt abiiciant amorem huius mundi præposterum, & desiderent vitam aliam, 2. Cor. 5. v. 2.

3. Vt cogitent, se mortales & peccatores. Ne videaris innocens, Hierem. 30. v. 11. Exod. 34. v. 7.

4. Vt intelligant, nihil esse constans in hoc mundo, sed magnam rerum omnium vicissitudinem. Ideò nec præsenti felicitati fidant, nec propter aliquam aduersitatem desperent, Prou. 14. v. 13. & Eccles. 7. v. 15.

L. II. Videmus, neminem Deo nesciente mori. Capillus non cadit de capite, Matth. 10. v. 30. Is est, qui dicit, Morie-

Morieris. Et is iubet etiam reuerti filios hominum, Psal. 90.v.3.

Stulti igitur sunt qui sibiipsis terminum vitæ vel mortis præfigunt, & qui astrorum positum, aut alias inanes phantasias sequuntur. Vide Iob.14.v.5. In manu Domini sortes nostræ, Psal.31.v.16.

L. III. Neque verò simpliciter fatalis terminus statuendus est, quod nonnulli Stoici faciunt. Hieronymus super hunc locum: Simul fati quæstio soluitur, ac necessitatis vincula atq; causarum: quod nequaquam dies mortis singulis præstituta sit, sed voluntate Dei & ignotis mortalibus causis vel viuat aliquis, vel moriatur: præsertim cum & statuta nunc mortis necessitas differatur, & post mortem resuscitatos plurimos legerimus. Hæc ille. [Qui plura hac de re scire cupit, legat Disputationem illam insignem D. Hunnij, p.m. de vitæ humanæ termino.]

II. Pars.

Sed quid æger ille Iehiskia noster? Flet & ingemiscit, sicut grus & hirundo, vers. Esaiæ 14.

1. Perturbatur inopinato hoc mortis nuncio, sicut omnes naturaliter horrent mortem; & quia non filio tantum successore carebat, sed & de Ecclesia atq; Republica solicitus erat.

2. Sed nondum satis. Orat ad Dominum, & remissionem peccatorum ante omnia quærit, vt patet ex versu Esaiæ 17.

3. A Domino itaque sanitatem & vitæ prolongationem impetrat. Vide vers. Esaiæ 5. & seq.

4. Licet Dei habeat promissionem signo confirmatam, tamen medicinam non negligit. Vtitur emplastro. Vide Esa.38. in fine.

Locvs I. A Domino medicina, & sanitas, & longitudo dierum nostrorum, vita & mors, Sap.16.v.13. Syr.11. v.14. Deut.32.v.39. Itaq; ab ipso petenda sanitas piis pre-

cibus, Syr.38.v.9. Iacob.5.v.14. Ante omnia remiſſio peccatorum quærenda. Hæc methodus medendi apud Chriſtum cernitur, Matth.9.v.2. Non confugiendum ad Magos, incantatores, &c.

Ego medicus tuus, Exod.15.in fine. Et ſi non ſanat corporaliter, addet tamen dies æternos in altera vita.

II. Iuxtà tamen media non negligenda. Id enim eſt Deum tẽtare, cum neſciamus quid decreuerit, Syr.38.v.2.

III. Naturalis eſt horror mortis, quia mors à Diabolo, Sap.2.v.24. & ſtipendium peccati, Rom.6. Vincendus tamen alterius vitæ beatæ gaudio, cum Paulo & Simeone, Phil.1.v.23. Luc.2.v.29. Et mors pro lucro habenda, Phil.1.v.21. Tranſitus enim eſt ad vitam, Ioan.5.v.24.

FINIS.

APPENDICIS CLASSIS VII.

CASVS XII.

Tempore peſtis tractanda themata continens.

THEMA III.

Pſalm.91.

Qui habitat in adiutorio, &c.

Nota. Qui vult duabus, tribus, aut quatuor etiam concionibus, ex hac vna Diſpoſit. deſumptis, hunc Pſalmum explicare, & ſingula beneficia ſigillatim tractare poterit.

DISPOSITIO.

Quamuis hic Pſalmus ſit ἀνεπίγραφος, & inſcriptionem nullam habeat, tamen nemo dubitare debet, quin dictante Spiritu ſancto ſit conſcriptus: quia Chriſtus huius Pſalmi locum, quem Satan Matth. 4. verſ. 6. peruertere conatur, illuſtrat alio ſcripturæ loco. Ideoq; debet nobis eſſe commendatiſſimus. Eſt & conſolatione pleniſſimus, & ſpiritum omnino Dauidicum reſipit. Et iudicant plerique, Dauidem hunc Pſalmum compoſuiſſe in laudem Domini, cum tempore peſtis ipſe fuiſſet in me-

media Hierosolyma conseruatus, 2.Sam.24. Pestis enim singulariter hoc loco facit mentionem.

Summa huius Psalmi est, quod describit beneficia illa ingentia, quæ habeant à Deo, qui in tutelam ipsius recepti sunt. Duo autem nobis erunt tractanda potissimum.

1. Quid sit esse in adiutorio vel tutela altissimi: Et quinam perueniant in tutelam Dei altissimi.

2. Ordinè examinabimus beneficia, quæ à tutela Domini proueniunt.

I. Pars.

Loquitur Psaltes de latibulo seu tutela altissimi. Et quid velit, aliis verbis explicat, vmbram omnipotentis vocans.

Quibus verbis diuinam protectionem & defensionem in omnibus malis intelligit. Sicut enim qui sub latibulo aliquo, seu vmbraculo tutus est ab iniuria tempestatum, ita quem Deus recipit in suam clientelam, omninò tutus est ab omnibus malis.

Idem clarius ostendunt verba sequentia. Talis enim verè dicere potest, Meum refugium, pręsidium meum, arx mea est Dominus Deus meus, in quem confido. Sicut enim qui in arce munitissima est, aduersariorum minas & insidias non curat, ita qui Deum habet protectorem, nec Diabolum, nec mundum timet. Hoc est, quod Prouerb. 18. vers. 10. habetur, Turris fortissima nomen Domini, &c.

Qui autem recipiantur in Dei clientelam, hinc colligere possumus, quod dicitur, Deus meus in quem sperabui. Credentes intelliguntur, & qui sperant super misericordiam ipsius.

In his enim beneplacitum est Domino, Psal. 147. Psal. 18. v. 31. Protector omnium sperantium. Idem ferè Psalm. 28. v. 7. & 33. v. 20. & 21. Hi sunt iusti illi, de quibus Prou. 18. v. 10. ad illam currit iustus.

Vsvs huius loci is erit, vt, si ab omnibus periculis & tem-

tempestatibus tuti esse volumus, omnem nostram fiduciam in solo Deo collocemus. Non in hominibus, qui sunt caro Ier. 17. v. 5. non in diuitiis Iob. 31. v. 24. non in quibuscunque aliis præsidiis. Quia nemo præter Deum gratam vmbram præbet, nemo latibulum tutum præstat. Is enim solus altissimus, vt rectè ex hoc Psalmo canit Ecclesia, solus Dominus, solus omnipotens.

Illi etiam nunquam diffidendum; de voluntate & potentia illius nihil dubitandũ, sed dicendum, non confundar in æternum, quia petra & refugium & protector est Dominus. Psal. 27. v. 1. & 28. v. 7. 8. Implorandum autem ipsius auxilium piis precibus, Esto mihi in Deum protectorem. Psal. 31. & 71. Currendum ad ipsum. Prou. 18. v. 10. Faciem meam quæratis. Psal. 27. v. 8. Quærendus Dominus. Esa. 55. v. 6.

II. Pars.

Omnem protectionem tanquam in præsidio & arce munita habent à Domino, qui in ipso sperant.

Id generaliter iam initio Psalmi dixerat.

In specie autem recenset quædam singularia beneficia, quæ contingant his qui sunt recepti in tutelam Dei.

I. Tempore pestis non peribunt cum cæteris. De hoc eleganter loquitur Psaltes, similitudinibus rem proponens.

1. Pestem exitialem nominat. Illam vocat laqueum venantis. Post etiam sagittam volantem, quia peste infecti tanquam sagitta confossi mox pereunt. Et sicut laqueo feræ capiuntur, ita pestis ex improuiso nunc hunc nunc illum abripit, atque vastat domos & familias.

2. At Deum suos tegere inquit, tanquam gallina alis suis pullos suos. Etiam similitudo ferè Deut. 32. v. 11. Estq; illius tutela tanquam clypeus excipiens istas sagittas. Quia verax est, seruans promissa.

3. Cumque non tam ipse morbus pestilentialis affligat, quàm metus etiam & horror ille ceu panicus, vbi homo

mo interdiu vix audet domo egredi: de nocte vero non securus quiescit, quia semper metuit ne sagitta ista pestilentiali & lethali percutiatur, ideò promittit Psaltes fidelibus, Deum etiam hunc metum & trepidationem (ipsâ ferè morte grauiorem) animis illorum velle eximere, vt & interdiu & noctu nihil timeant, vt hilari vultu & alacri animo possint facere officium.

4. Et ne quis obiiciat, qui possum esse alacri animo, quomodo non trepidem, & vitæ meæ metuam, si videam circa me quotidiè tot homines quasi à latere meo abripi? Numquid illud periculum præsentissimum non extimescam?

Respondit. Etiamsi cadant à latere tuo mille, &c. ad te tamen non appropinquabit.

5. Nescio sanè inquis, vtrum me Dominus in istis turbis sit conseruaturus? Imò verò inquit, longiorem huius lucis vsuram fidelibus est concessurus Dominus, vel hanc vnam ob causam, vt videant retributionem impiorum oculis suis. Du must zuvor deine Feind hinrichten/ vnd an jhnen deinen Lust sehen/ wie Gott mit jhnen vmbgehet/ etc. Repetit initium: Quia Domino confidis, ideoq; is est propugnaculum tuum. Es kan dir nicht fehlen. Dann dein Gott/ dem du vertrawest/ steht fur dich.

LOCI.

Antequam pergamus, hîc de peste quædam erunt notanda.

I. Magnam esse calamitatem pestis, patet ex hoc loco, quod illa non tantum exitialis vocatur, sed laqueo venatoris & sagittis comparatur.

Et graue sane hoc, si tot funera parentum, liberorum, propinquorum quotidiè efferantur.

Et nec noctu nec interdiu vel vno momento quisquam tutus est. Agnoscenda hæc.

III. Grauis quoque & non contemnenda Dei pœna est perpetuus ille horror & terror. Sap. 7. v. 13.

Illius

Illius causam non longè debemus petere aut inquirere, sed pœnam diuinam esse sciamus. Vide exemplum trepidantis Dauidis. 1 Paral.22.v.30. peccant itaque qui se hæc nihil curare temerè asserunt, vt solent nonnulli audaculi.

III. Sicut autem non audacter contemnenda est calamitas illa pestis, ita nec nimium trepidandum piis & pœnitentibus, qui in sua vocatione ambulant, & vitam suam diuinæ voluntati committunt. Sciant enim se sub vmbra alarum Altissimi satis esse tutos, etsi cadant à latere decem millia. Nec morientur ante tempus constitutum, & descriptum in libro Dei. Iob. 14. vers. 5. Psal. 139.vers.16.

IV. Quod si maximè & ipsi peste abripiantur, tamen pestis non erit noxia, quia Christus pestis est inferno. Ose. 13. Et moriuntur Domino, Rom.14. vers.8. atque in Domino. Apocal.14.v.13.

Beati itaque sunt. Ibid. Quibus valet illa consolatio Psal. 73. Dommodo te habeam. vers. 25. Et omnia cooperantur in bonum diligentibus Rom.8.

Et bonum incidere in manus Domini. 2. Sam. 24. v.14. Quia multæ misericordiæ illius.

V. Beneficium eorum, qui recepti sunt in tutelam altissimi, est præseruatio ab omnibus aliis etiam malis. Non appropinquabit ad te malum. &c.

Imò super aspidem & basiliscum. &c. Hoc est, etiam ab ipsis feris bestiis tutus eris: Siue id iuxta literam, siue de Tyrannis persecutoribus aut maleuolis & aliis hostibus intelligatur, qui bestiis comparantur. Psal. 140.v.4. Ezech.19.v.2.

Quomodo autem securitatem in his malis præstare velit Dominus, additur. 1. Angelis suis mandauit. 2. vt custodiant. 3. In omnibus viis TVIS, hoc est, in vocatione tua legitima. Hoc enim omisit Diabolus mendax. Matth.4.vers.6.

4. Quomodo autem illi custodiunt? In manibus porta-

portabunt. &c. Sicut matres cum magna ſolicitudine geſtant infantulos tenellos in manibus & vlnis, ita ſpirituali ſua potentia defendent angeli. &c.

L. De cuſtodia ſanctorum Angelorum. Sunt illi parati ſemper ad exſequendum mandata Dei. Pſal.103.v.20. Spiritus Miniſtratorii fidelium. Hebr.1.v.14.

Caſtrametantur circa electos. Pſal.34.v.8. & pueris etiam adhibiti cuſtodes. Matth.18.v.10.

In illorum cuſtodia magna nobis conſolatio. Exempla paſſim ſunt obuia. Gen.32. Exod.13. &14. Gen.19. 2. Reg. 7. &c. Pro illa etiam orandum manè & veſperi.

Ita viuendum ne Angeli ſpiritus mundi & ſancti diſcedant, & ad faciem altiſſimi referant peccata. Non tamen adorandi. Apoc.19.v.10. Deus enim ſolus adorandus Mat. 4.verſ.10.

L. II. In vocatione ſna quiſque ſit intrepidus & faciat officium animo præſenti, ſi maximè vocatio ſit periculoſa. In viis tuis cuſtodient Angeli. Syr.10.v.31. In vocatione non deſperandum.

III. Beneficium. Id multa ſimul complectitur & ſpiritualia maximè beneficia, quæ ex clementia Domini ſentiunt pii. Vult autem ſummatim Propheta congerere omnia, & ipſum Deum introducit loquentem.

1. Liberabo. Protegam. Quia in me ſperauit & nomen meum nouit. Recurrunt ea quæ in 1. parte ſunt tractata.

2. Exaudiam inuocantem.

3. In ipſa tribulatione cum ipſo ero, ne deficiat.

4. Eripiam non tantum, ſed & glorificabo, vt ex diuina liberatione omnes ſentiant, me ipſi fauere, quod illi futurum eſt glorioſiſſimum.

5. Longitudine dierum implebo, vel in hac vita longæuus erit, vel tamen aſſumam eum ad me, vbi æternum viuet.

6. Oſtendam ſalutare. Saluum ipſum faciam in ęternum.

L. Quid

L. Quid vltra desideras, ô Christiane, à Domino? Numquid non sat præmiorum pietatis? 1. Tim. 4. vers. 8. Numquid non abundans consolatio? Quam cum omnibus thesauris nemo commutabit pius. In mediis itaque tribulationibus ne desperes. Si Dominus tecum, quis contra? Rom. 8. Dummodo te habeam, Psalm. 73. At nihilominus dira patior miser?

Clama ad Dominum. Audiet, Eripiet, Glorificabit. Si non hîc, tamen æterna gloria restat. Reposita corona, 2. Tim. 4. Iac. 1. 1. Pet. 5. Apoc. 2.

FINIS.

SEQVITVR

CLASSIS VIII.

CONTINENS THEMATA TRACTANDA IN FVNERIBVS EORVM,

qui licet aliquando non honestè vixerint, ante finem tamen vitæ per seriam pœnitentiam cum Deo in gratiam redierunt: vt sunt Manasses, filius perditus, latro in cruce, &c. quorum exempla hîc reperiuntur.

THEMA I.

Deuteron. 30. v. 6.

Circumcidet Dominus Deus cor tuum, &c.

DISPOSITIO.

In hoc capite Moses populo varias promissiones proponit, quod Deus pœnitentes Israelitas in gratiam sit recepturus, pœnas mitigaturus si resipiscant, & in pristinam dignitatem eos etiam qui aliquando captiui abducti fuerunt restituturus. Inter cætera verò etiam hæc verba, quæ de circumcisione sonant, leguntur.

Dicemus itaque 1. Qualis hæc circumcisio. 2. Quis illius effectus, & quæ vtilitas.

I. Pars.

I. Pars.

Sępius ſcriptura meminit circumciſionis, eamque duplicem facit.

Alia eſt circumciſio carnis, quæ fuit ſacramentum initiationis, & ſignum fœderis, mandata ſeueriſſimè, Gen. 17.v.10. Illa tantum ad Iudæos pertinebat, & ad vetus Teſtamentum. Cui in nouo Teſtamento ſucceſſit Baptiſmus. Coloſſ. 2. v. 11. De hac nihil dicitur hoc loco.

Alia eſt circumciſio cordis, vel ſpiritualis, quæ nec manu nec cultro fit. Et hæc pertinet ad omnes in veteri & nouo Teſtamento.

Eſt autem hæc circumciſio cordis immutatio & renouatio mentis, vbi abſciſſis peccatis nouitas vitæ inſtituitur.

Promittit itaque Moſes Deum immutaturum cor populi, ſi ad ipſum conuertatur, vt non amplius incidant in peccata illa grauiſſima, quibus ſibiipſis accerſant iram & vltionem Dei. Et idem promittit filiis ipſorum. Idque ad nos etiam pertinet. Eſtque eadem promiſſio hîc quæ etiam Ezech.11.verſ.19. & ſeqq. Auferam cor lapideum & dabo carneum. Et quid velit ipſe explicat, Dabo ſpiritum nouum. Idem Ezech.36.verſ. 26. Idem aliis verbis Ierem. 32. verſ.40.

Vſus huius loci is erit, vt cum ſciamus Deum eſſe tam promptum ad dandum, nos etiam ſimus prompti ad petendum. Vtque oremus cum Dauide, Pſal.51.verſ.12. Cor nouum crea in me. Et conuerte me, tum conuertar. Ierem.31.verſ.18.

Et dabitur ſpiritus ſanctus omnibus petentibus. Luc. 11. Eſt enim Deus qui dat velle & perficere. Phil.2.v.13. Et qui abundanter facit vltrà quàm petimus. Epheſ.3.v.20. Maximè in his quæ ad ſalutem noſtram pertinent. Ibi nihil denegatur petentibus. Ex me ſalus tua ô Iſraël. Oſe.13. v. 9. Tota die expandi manus. Eſa. 65. v. 2. Quod igitur multi pereunt, ſua culpa pereunt, quod non petunt cor aliud, nec volunt emolliri. Sicut adamantem poſuerunt

cor suum, ne audirent. Zach. 7. v. 12. Et Ier. 5. v. 3. Faciem petra duriorem habent, nec volunt conuerti. Matth. 23. Volui te congregare, sed tu noluisti. Nulla itaque culpa hæret in Deo, sed in hominibus, qui nolunt circumcidi.

II. Pars.

At quis effectus illius circumcisionis, quæ vtilitas? Vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde & ex tota anima, quo viuere possis.

Sic immutabit Dominus cor tuum, vt iam non amplius diligas peccata, sed Deum. Quod non futurum est, nisi ex corde abscindatur dilectio mundi, Satanæ &c. Nemo enim potest duobus Dominis seruire. Matth. 6.

Dilectio autem illa tum erit vera & syncera. Licet enim ea non perfecta & omnibus numeris absoluta in hac vita sit, tamen conatus placebit Deo & pro perfectissima dilectione propter Christum reputabitur.

Quid autem sit ex toto corde diligere Deum, patet ex Ezech. 11. v. 20. & 36. v. 27. vbi idem effectus circumcisionis diuinæ ponitur aliis verbis: vt ambulent in præceptis. Hinc enim cognoscitur dilectio Dei. Et hinc etiam sequitur illud, de quo hîc, vt viuere possis. Hoc est: Sic Deum habebis propitium, vt non excidas iterum gratia ipsius, sed viuas hîc cum bona conscientia in spe saluus, & illic habeas per Christum vitam æternam.

L. Apparet hinc quàm necessaria sit illa, de qua supra diximus, spiritualis circumcisio, quia sine illa nec Deum verè diligere nec viuere possumus. Decipiunt itaque seipsos, qui verbis quidem profitentur se diligere Deum: interim tamen cor habent incircumcisum, ex quo nondum exsciderunt amorem mundi huius, de quo 1. Ioan. 2. vers. 15. non abiecerunt amorem pecuniæ, libidinis, vindictæ, superbiæ, & aliorum scelerum. Hi vere incircumcisi corde & auribus dici possunt. Act. 7. vers. 51. Requirit enim Dominus totum cor, & totam animam. Allein mein/ oder laß gar seyn.

Vt

Vt itaque Deum syncerè diligere & viuere possis, non rogabis tantum pro illa circumcisione Dei, de qua supra in 1. parte, sed & ipse etiam facies officium; sicut vides, Deum velle exsequi quod suum est, ita tu fac quod tuum est.

Ipse etiam circumscindet cor tuum, Ier.4.v.4. & Deut. 10.v.16. ne exeant illa, de quibus Christus, Matth.15.v.19.

Et omnia membra. Aures, Act.7.v.51. Ier.6.v.10. vt audiant, ne dicatur id Ier.6.v.10. Linguam, ne loquatur malum, Ephes.4.v.29.

FINIS.

THEMA II. CLASSIS VIII.

2. Paralip. 33. v. 12. ad 14.

Postquam coangustatus est Manasses, orauit, &c.

DISPOSITIO.

Describitur nobis his verbis pœnitentia Manassis Regis Iuda, optimi illius Iehiskiæ filij impiissimi, qui multum fuit dissimilis patri in pietate. Imò vix est peior & sceleratior inter omnes Reges Iuda, quàm Manasse, de quo scriptura testatur, quod fecerit abominationes pessimas super omnia, quæ fecerunt Amorrhæi in terra Canaan, & peccare fecerit omnem Israelem, 2. Regum 21. Humiliauit autem ipsum Dominus, & per Regem Assyrium sic castigauit, vt tandem peccata sua agnouerit, & per pœnitentiam veram & seriam cum Deo in gratiam redierit.

Videamus ergo 1. pœnitentiam Manassis. 2. Illius effectum seu vtilitatem: hoc est, Quid sua pœnitentia impetrauerit Manasses.

1. *Pars.*

Humiliauit sese Manasses, & orauit ad Dominum. Ecce regem pium,

At quando ſic orauit? quando ſe humiliauit?

1. Hoc notanter addit ſcriptura, nec ſine cauſa, cum eſſet in anguſtiis. Antea enim cum eſſet in ſua maieſtate, ſuperbè contempſit omnes Dei admonitiones, fudit ſanguinem innocentem. &c.

At captiuus abductus in Babylonem, & ferreis compedibus atque catenis vinctus, tum demum cogitauit de peccatis ſuis & humiliauit ſeſe, & deprecatus eſt Dominum. Vide orationem Manaſſis inter fragmenta veteris Teſtamenti, in fine iuxta Bibl. German. Incuruatus ſum grauiſſimis compedibus. &c.

2. Quod autem ſeriò ſe humiliauerit additur, Valdè humiliauit. Erat quoque anguſtia valdè magna. Quotidiè enim exſpectabat ſententiam mortis, à Rege Aſſyrio victore ſuperbo.

3. Ita quod oratio fuerit ſeria inde colligitur, quod ter repetitur: Deprecatus eſt Dominum, & orauit, & obſecrauit intentè.

Et obſeruandæ hîc partes veræ pœnitentiæ in Manaſſe. 1. Contritio. Hanc demonſtrat illa humiliatio. Et in oratione ipſius apertius iſta ponuntur. Maximè enim de remiſſione peccatorum eſt ſolicitus. Interim tamen non deſperat, vt Saul. Accedit etiam altera pars pœnitentiæ. 2. Fides. Orat enim ex fide. Quod inde patet, quia repetitur, orauit Dominum Deum ſuum. Item coram Deo patrum ſuorum.

Nec omittitur in ſequenti hiſtoria fructus pœnitentię, noua obedientia Manaſſis, reſtauratio cultus diuini. &c.

Locvs I. Quia pœnitentia omnibus neceſſaria eſt, imitemur omnes exemplum Manaſſis. Et qui multum peccauit, multùm etiam pœniteat.

Quæ autem ſint partes pœnitentiæ iam audiuimus. Poſſunt illæ iam explicari latius, & illuſtrari exemplis, Dauidis, Petri, Latronis. &c. Vide precationem pœnitentialem Daniel. 9. v. 4. Et breuis formula extat Luc. 18. v. 13. apud publicanum.

Debet

Debet autem pœnitentia eſſe ſeria, & oratio intenta, non talis qualis erat Achabi. 1. Reg. 21. v. 27. ſcilicet hypocritica.

L. II. Videmus etiam quàm neceſſaria ſit peccatoribus illa Dei caſtigatio & anguſtia, quam ſenſit Manaſſes. Nunquam alias fuiſſet conuerſus. **Gott muß jhne bey den Haaren herzu ziehen.** Sicut calamitate domeſtica impulſi ad Chriſtum accurrunt, Regulus, Iairus, &c. Ioan. 4. Luc. 8.

Et hîc cernimus quàm verum ſit illud Eſa. 26. In anguſtia requiſierunt te, & in tribulatione murmuris doctrina tua eis.

Diligenda itaque illa caſtigatio altiſſimi Prou. 3. Heb. 12. quæ tam neceſſaria quàm vtilis eſt. Nam ſic corripimur ne pereamus. 1. Cor. 11. v. 32.

II. *Pars.*

At quid iſta ſua pœnitentia impetrauit Manaſſes? Compedibus & catenis vinctus in ſqualido carcere detinetur. Quid iuuat orare? Rident ipſum Babylonij immiſericordes & ſuperbi.

Atqui Dominus 1. audiuit orationem illius. Ideò etiam cor Regis, quod in manu ſua habet [Prou. 21. verſ. 1.] flectit, vt Manaſſi fauere cogatur. 2. Nec ſatis: Sed regno ipſum paterno reſtituit: quod ne per ſomnium quidem cogitare poterat Manaſſes. Ibi tum Manaſſes cognouit quod Dominus ſit Deus, hoc eſt, & maieſtatem de qua Dan. 4. in fine, & ſimul Dei inſignem bonitatem agnouit, & vitam emendauit porrò, atque piè eſt mortuus.

LOCVS. Agnoſcamus & nos Dominum eſſe Deum noſtrum, miſericordem ſcilicet, bonum & multæ patientiæ, Ex 32. Pſal. 86. & 145. & quem pœniteat mali, Ierem. 26. v. 3. & 18. v. 8. Si homines pœniteat peccati.

Et qui maximos etiam peccatores recipiat. Filius perditus. Luc. 15. 1. Tim. 1. quorum ego maximus ſum. Ipſum enim Deum miſericordia æquat, Syr. 2. in fine

ideoque maxima sit misericordia illius necesse est, cum is sit optimus maximus.

Neq; est manus illius abbreuiata, Esa.59.vers.1. Et qui Deum habet propitium, illi cogitur etiam hostis truculentissimus fauere.

Is omnia mala potest conuertere in bonum, & ex captiuo facere Regem. Dauidem eiectum regno restituit, 2. Samuel. 19. Iechoniam in Babylone exaltat, 2. Reg. 25. vers.28.

Satius autem esset, prius agere pœnitentiam, quàm compedes iniiciantur Manassi. Et felicior fuisset is, si orasset cinctus catenis aureis, quã post catenis ferreis vinctus. Attamen vera pœnitentia nunquam est nimis sera. Neque verò differenda, Syr.18.v.22. quia hora mortis incerta. Nec extant talia exempla, vt in misericordia Dei peccemus: sed ne pœnitentes de illa desperemus.

FINIS.

THEMA III. CLASSIS VIII.

Psal. 32. vers. 1. ad 6.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, &c.

DISPOSITIO.

Ex titulo huius Psalmi non tantum de authore, sed & de argumento nobis constat. Etenim hic Psalmus Dauidi inscribitur, & Eruditiuum carmen vocatur. Estque insignis præ cæteris multis, quia in hoc Psalmo Dauid tractat materiam Iustificationis hominis peccatoris coram Deo, quæ est doctrina maximè necessaria.

Nos igitur iam huius Psalmi initium tractabimus, quod duo continet membra.

1. Ostendit Dauid, in quo consistat nostra iustificatio & beatitudo æterna.

2. Qua ratione iustificationem & salutem consequi possimus, demonstrat.

I. Pars.

I. Pars.

Verba Dauidis ſic habent, Beati quorum remiſſæ, &c. Beatus vir, cui Dominus non imputauit.

Vno verbo hoc vult, Noſtram iuſtificationem & beatitudinem conſiſtere in remiſſione peccatorum. Sic etiam Zacharias videtur loqui, Luc.1. v.77. quod cognitio ſalutis ſit in remiſſione peccatorum.

Et Paulus hunc locum nobis explicat Rom. 4. atque beatificationem hominis in hoc conſiſtere ait, ſi non imputetur peccatum, allegando verba hæc Dauidis.

Non ſine cauſa autem Dauid eandem ſententiam ter repetit, vt cauſas iuſtificationis ſic clarius demonſtret & explicet.

1. Quarum prima impulſiua eſt, Dei ineffabilis miſericordia & bonitas (σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ vocat Zacharias Luc.1.v.78.) per quam nobis remittuntur peccata. Et hoc eſt primum membrum verſus primi.

2. Cauſa verò altera efficiens eſt Chriſti meritum & perfectiſſima obedientia, qua teguntur noſtra peccata; quod alterum eſt membrum verſus primi.

3. Quia verò cauſam inſtrumentalem (reſpectu noſtri ſcil.) & apprehendentem accedere neceſſe eſt, ideoque verſu ſecundo de non imputatione peccati, cuius oppoſitum eſt imputatio iuſtitiæ Chriſti, mentio fit. Cui enim peccatum non imputatur, illi imputatur iuſtitia Chriſti. Idque fit per fidem. Credenti imputatur fides ad iuſtitiam, Rom.4.

Sic itaque iuſtus & beatus eſt, qui Dei miſericordiam & Chriſti meritum vera fide amplectitur. Huic enim non imputatur peccatum, ſed Chriſti iuſtitia, ſicque à peccatis abſolutus iuſtus atq; beatus erit.

Sed & fructus Iuſtificationis hoc loco additur, his verbis, In ſpiritu eius non eſt dolus. Nouam obedientiam, quam præſtant iuſtificati, intelligit. Non quod ſint abſque omni infirmitate, ſed quod caueant à ſceleribus & peccatis contra conſcientiam.

Locvs I. Videmus nostram doctrinam, de gratuita hominis peccatoris iustificatione, quæ consistit in remissione, & non imputatione peccatorum, non esse nouam & hæreticam, sed antiquissimam, Dauidicam & Paulinam, sicque planè diuinam.

Et hoc tenendum est contra illud pronunciatum concilij Tridentini, quo negant iustificationem esse solam remissionem peccatorum: cum tamen Dauid hic nihil requirat, præter remissionem, tegumentum, & non imputationem peccatorum. Videatur etiam hac de re Rom. 3. & 4. capp.

II. Videmus peccata in his terris sic tolli, non vt non sint & hæreant amplius in homine, sed vt non imputentur, vt tegantur, ne veniant in conspectum Dei. Agnus itaque Dei tollit peccata, Ioan. 1. & in se recipit, Esa. 53. v. 5. & 6. Chirographum delet, Coloss. 2. v. 14.

III. Necessarium videmus esse, vt ardenter oremus pro remissione peccatorum. Vt Deus illa non statuat ante oculos suos, quod aliàs facturus est, Psalm. 90. vers. 8. Idque ex toto corde orandum. Exemplo Dauidis, Psal. 51. v. 3. & 9. & Danielis cap. 9. vers. 19. Sic omnes sancti orant, Psalm. 32. v. 6. Sic etiam omnes pœnitentes. Publicanus, Luc. 18. v. 13.

II. Pars.

Agnosco (inquis) beatitudinem & iustificationem consistere in hoc, si peccata deleantur, remittantur. At quid agam, nescio, vt id fiat? Hoc iam Dauid docet.

Primùm autem suo exemplo ostendit, quod coram Deo non liceat nobis vel extenuare vel occultare peccata, sicut fecerunt Protoplasti, suam nuditatem foliis ficus tegere tentantes, Gen. 3. v. 7.

Hoc enim cum ipse etiam aliquando fecisset, sensit grauissimos animi & corporis dolores.

Dum tacui, ossa mea vetustate consumpta: hoc est, vires corporis consumptæ. Interim tacitè in corde meo rugie-

fugiebam. Mordebat enim me mala conſcientia. Cauſam addit: Quia manus Dei grauata eſt ſuper me. Deus enim me manu grauiſſima, non legis tantùm, ſed pœnarum & calamitatum etiam, ad ima tartara videbatur detrudere, vt defecerint omnes animi & corporis vires, nec potuerim me colligere.

Deinde verò addit, quo pacto ex hac lucta carnis & ſpiritus euaſerit. Delictum meum cognitum, &c. Cum apud me non inuenirem remedium aduerſus peccata, properaui ad Deum meum, hoc pacto.

1. Notum faciam peccatum. Significat peccati agnitionem in mente.

2. Non abſcondi iniuſticiam. Confeſſionem oris ſignificat.

3. Dicebam, confitebor aduerſus me iniquitatem. Hoc deteſtationem peccati oſtendit. Tunc ſequitur id quod quæſitum erat, Remiſiſti mihi, &c.

VSVS huius loci eſt, vt intelligamus, coram DEO grauiſſimum eſſe peccatum, occultare velle aut extenuare delicta. Vide 1.Ioan.1. verſ.8. & 10. Et hac in parte etiam ſanctos interdum peccare, patet exemplo Dauidis. Vide Ierem. 2. verſ. 33. Ideoque neceſſaria ingenua confeſſio & contritio: qualis illa Pſalm. 51. verſ. 5. Daniel.9. v.5. Lucæ 18. v.13. Et tunc ſequitur id 1.Ioan.1. verſ. 9.

II. Diſcimus etiam, conſcientiæ ſtimulos, ſi maximè aliquandiu non ſentiantur, ſuo tempore exagitaturos eſſe peccatores: ſicut hic verſu 3. & 4. His occurrendum. At non exemplo Caini, Ahitophelis, Iudæ; quia ſic non inuenitur remedium: Verum hoc pacto, ſicut in Dauide cernimus: Dixi, confitebor, &c. Accedit fides: Et remiſiſti, &c.

FINIS.

THEMA IV. CLASSIS VIII.

Ierem.2. ante finem, iuxta verſ. German.

Si dimiſerit vir vxorem ſuam, &c.

Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.

DISPOSITIO.

Thren.3.verſ.23.ſic ait Propheta. Nouæ ſunt miſerationes Domini vnoquoque diluculo: & multa eſt benignitas tua. Hoc omnino verum eſſe, vel ex hoc vno loco Hieremiæ patet. Cum enim Dominus populum ſuum prolixè & vehementiſſimè quidem obiurgaſſet, adeò vt ab eo alieniſſimus eſſe, nec vllam reconciliationem vnquam admiſſurus videri potuiſſet: mox ſuam tamen renouat miſericordiam, & iis, à quibus ipſum magis rogari oportuerat, ſuam miſericordiam & gratiam vltrò offert, & omnia quaſi miſerationum viſcera effundit: benigniſſimè ad hanc vltrò oblatam gratiam recipiendum inuitans.

Quia igitur inſignis eſt hic locus, nos primum illius genuinum ſenſum inueſtigabimus, poſtea additurі doctrinam huius loci propriam, & conſolatione pleniſſimam.

Textus explicatio.

Loquitur hic Dominus per Prophetam ad populum, & quod ipſi ſolenne eſt, ſimilitudine quadam rem proponit, vt ipſi poſſint iudicare de inſigni clementia Domini, quam nouo planè & nunquam alias vſitato exemplo ipſis oſtendat.

Similitudine autem de adultera vtitur, quæ frequens eſt in ſcriptura, præſertim Ieremiæ. Quia defectio à Deo eſt adulterium ſpirituale, & in multis conuenit cum adulterio.

Arripit autem occaſionem ex lege, Deut.24. v.1. Si acceper-

ceperit homo vxorem. &c. Videatur locus, qui hic breuiter à Hieremia repetitur.

Illa lex pro ratione temporis & perſonarum erat lata, propter duritiam maritorum, teſte Chriſto. Matth. 19. verſ. 8. ſed ab ipſo in Nouo Teſtamento abrogata. Voluit autem tum etiam Dominus iſta lege publicam coniugii honeſtatem ſancire, ne nimia leuitate coniugum tandem in fornicationem conuerteretur, vt quisque pro lubitu iam accipere, iam repudiare, mox iterum recipere repudiatam vxorem poſſet. Et voluit ſic Dominus ſimul & mulierum importunitatem, atque virorum inhumanitatem præcauere. Damit ſie ſich zuvor bedencken/ vnnd nicht ſo gleich jmmer hin Weiber tauſcheten/ als wann man Pferdt vertauſchet. Terra ſic inquinatur.

Hanc legem iam Dominus ad ſuum inſtitutum accommodat: & hoc vult dicere.

Tu mea olim dilecta Iſraëlitica gens, quam mihi deſponſaueram, & intimo amore vt coniugem complexus eram, à me non fuiſti repudiata, ſed à me vltrò, & abſque omni cauſa diſceſſiſti, & ſequuta es Deos alienos, (ſicut mulier alienum maritum ſequitur) & fornicata es cum aliis, (illos Deos fictitios gentilium dilexiſti, coluiſti, inuocaſti) & non cum vno & altero, ſed cum multis amatoribus, hoc eſt multis Idololatricis cultibus polluiſti te, nunc Baalim, nunc vitulos, &c. coluiſti.

Du biſt ein rechte außgelauffene Landthur worden/ die ſich an jeden gehengt. Itaque ſi ſtricto iure vellem tecum agere, nunquam amplius te vxoris loco reciperem, ſed perpetuum eſſet inter nos diuortium. Quis enim alius proſtitutæ pudicitiæ mulierem iterum reciperet?

Sed ecce, habes ad me tutum & liberum regreſſum. Reuertere tantum ad me, per veram pœnitentiam te ad me conuerte, & ego obuiis vlnis te ſuſcipiam. Es ſol alles vergeſſen/todt vnd ab ſeyn. Et ego te priſtino fauore plusquam coniugali complectar.

Loci.

LOCI.

Verè Syracid. capite 2. asserit, Misericordia Domini super omnia opera eius. Quis enim illam satis dignè explicauerit? Hanc mirificè etiam commendat Psaltes, Psal. 103. vers. 8.10.11. & seqq. Patet vehementia dilectionis illius hoc simili de adultera. Est enim zelotypia vehementissimus affectus. Vide Prou. 6. v. 34.

Nec facilè quisquam, licet alioquin humanissimus sit, mulierem desertricem, quæ cum multis longo tempore fornicata sit, recipiet. Et tamen Dominus, qui & ipse alioquin Deus zelotes est Exod. 20. v. 5. tantæ bonitatis est, vt peccatores (qui sunt spirituales desertores & adulteræ) promptissimè in gratiam recipiat. Nec exspectat, donec nos petamus reconciliationem, sed ipse semper nos sua gratia præuenit, & nobis gratiam offert. Hinc Ioannes 1. Ioan. 4. vers. 19. Ipse prior dilexit nos. Et quidem cum essemus inimici illius. Rom. 5. v. 10.

Hinc patet, quàm proiectæ impietatis sint illi, qui in peccatis perseuerant, nec volunt ad Deum reuerti, & cum ipso redire in gratiam: cum tamen ipse post fornicationem multiplicem & peccata grauissima, viam salutis ostendat. Certè horum damnatio vt iusta est, Rom. 3. vers. 8. sic etiam erit grauissima. Nec vlla culpa damnationis in Deo, sed in ipsis. Ex te perditio tua, Ose. 13. Tu noluisti. Matth. 23. Tota die expandi manus ad populum incredulum, qui in via non bona. &c. Esa. 65. Conuertamur ergo ad Dominum, Esa. 45. v. 22. & quæramus dum inueniri potest. Esa. 55. v. 6.

Nec differamus pœnitentiam, Syr. 5. vers. 8. sed hodiè cum audieris &c. Psalm. 95. v. 8. Hebr. 3. vers. 7. Ecce enim nunc tempus acceptum, nunc dies salutis. 2. Cor. 6. Antequam accedant anni. Eccles. 12. vers. 1. & 2. antequam claudatur ianua. Matth. 25. vers. 11. Vtinam de his cogitaremus sæpius. Si enim nunquam velit redire desertrix & adultera, nunquam etiam recipietur.

L. II. Ex eodem loco, vbi turpissimam meretricem se rece-

recepturum Dominus promittit, etiam maximi peccatores consolationem habent. Quales erant, Manasse, Latro, Petrus, Paulus.1. Tim.1.vers.15. Ita tamen si pœnitentiam agant & redeant ad Dominum. Ad cæteros enim hæc non pertinent.

FINIS.

THEMA V. CLASSIS VIII.

Ezechiel.18.v.27.

Cum auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit. Considerans enim & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, vita viuet & non morietur.

Eadem ferè sententia extat in hoc ipso cap. vers. 21. Et additur ibi, Iniquitatem ipsius non recordabor. &c.

DISPOSITIO.

Christus Matth.11.v.19. ait, iustificata est sapientia à filiis suis. Etenim ex Psalmo 51. v.6. patet, Deum sæpè in ius vocari ab hominibus, licet ipse semper vincat, etiam Hieremia teste, cap.12.v.1. Idem accidit Domino temporibus Ezechielis, vbi prouerbio quodam Israelitæ Deum suum notasse leguntur. Vide vers. 1. huius capitis 18.

Contra Dominus ostendit se æquissimè iudicare, [v.25. & 29.] & condemnando impium, & iustificando pium. Quin imò tantam esse suam bonitatem, vt is quoque qui olim impius fuerit, in gratiam recipiatur, si pœnitentiam egerit. Idque volunt verba prælecta. Et hoc bis repetit in hoc capite, vt intelligatur seriò hanc rem agi.

Quia igitur insignis est hic locus, doctrinis & consolationibus abundans, singula verba diligentius erunt excutienda: iuxta id Rom. 15. v.4. doctrinam & consolationem inde petamus.

Textus.

Textus.

1. De impio pœnitente & conuerso hîc loquitur Dominus, in genere, quicunque is sit, & quacunque impietatis specie peccauerit.

2. Omnia autem peccata illius vocat iniustitiam: Quia contra mandata & iura Dei committuntur, ἁμαρτία enim est ἀνομία, 1. Ioan. 3. v. 4.

3. Sic autem pœnitentiam hominis impij describit, quod sit auersio ab iniustitia, & conuersio ad bonum. Idem Esa. 1. v. 17. Desistite à malo & facite bonum. Quid autem sit facere bonum vers. 21. explicat per verba, seruare omnia præcepta Domini.

4. De hoc Dominus pronunciat, animam suam viuificabit, vel vitam suam conseruabit. Id supra vers. 21. exprimit his verbis, Vita viuet & non morietur. Non condemnabitur vt sceleratus. Hieronymus super hæc verba: ipse prius mortuus viuificabit animam suam. Vidensque se interiisse in iniquitatibus, quas operatus est, credet in eum qui dicit, Ego sum veritas & vita: vita viuet & non morietur.

5. Imò additur vers. 22. Omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor amplius. Non imputabuntur ipsi priora delicta.

6. Quod vt fiat, considerare ait impium sæpius iniquitates suas, & ante oculos statuere peccata, quibus Deum offendit, vt atrocitate illorum deterritus discat vitare malitiam. **Er soll offt mit unserm HErrn Gott abrechnen.** Et sic non morietur: id est æterna morte non peribit. Hoc vult vers. 28.

DOCTRINÆ.

I. Qui vitam non tantum temporalem sed & æternam diligit, pœnitentiam agat & conuertatur ad Dominum.

De hoc toties monet scriptura, quia omnis nostra salus in hoc consistit. Esa. 31. v. 6. & 45. v. 22. Ierem. 3. v. 12. & 14.

Ierem.

Ierem.35.v.15.Ezech.14.v.6.&18.v.30.&33. Volentes itaque & ſcientes pereunt, quicunq; oblatam conuerſionis gratiam non recipiunt: pro qua ardentiſſimè orare debebant iuxta id, Conuerte me Domine.Ierem.31.v.18.

Hoc autem non eſt conuerti ad Dominum, abſtinere ab vno & altero peccato, quo hactenus Deum offendiſti, & nihilominus pollui aliis; vt, cauere ſcortationem & incidere in ebrietatem, aut ebrietate depoſita, conuerti ad auaritiam: ſed vera pœnitentia & conuerſio eſt auerſio ab omni impietate & iniquitate, vt facias bonum & rectum coram Domino. Quamuis enim non omnes infirmitates carnis, dum in hoc corpore viuimus, poſſimus deponere, tamen ſcelera & peccata contra conſcientiam omnino ſunt abiicienda. A malo deſiſtendum & faciendum bonum. Eſa.1.

Nec ſufficit benè incipere, ſed qui perſeuerauerit ad finem ſaluus erit. Matth.10. Simile de curſoribus.1.Cor.9. Et vide verſ.24. huius capitis.

Inprimis verò cauenda hypocriſis. Syr.1.verſ.36. Exemplum Achabi ſimulantis pœnitentiam.1.Reg.21.

II. Diſcamus exemplo Dei nō exprobrare priora pœnitenti delicta. Si enim is non vult recordari amplius priorum delictorum, multò minus nos miſeri homunciones his qui aliquando turpiter vixerunt, at vitam emendarunt, priora peccata exprobrare, aut obductam, quod dicitur, cicatricem refricare debemus. Hoc præcipit Sapiens, Syr.8.v.6. Et huc pertinet etiam id, Qui ſtat videat ne cadat.1.Corinth.10. Aut ſumus, aut fuimus, aut poſſumus eſſe quod hic eſt. Et quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Matth.7.v.12. Gal.6.v.1. Si præoccupatus, &c.

Nec Deus Dauidi adulterium poſt pœnitentiam, nec Chriſtus Petro abnegationem, aut ſcortationem Mariæ Magdalenæ exprobrauit, imò defendit ipſam.Luc.7.

CONSOLATIO.

Maximam etiam pro pœnitentibus conſolationem hic

hic locus continet: quod intelligunt, Deum non ſentire cum Nouatianis, nec ianuam gratiæ claudere pœnitentibus. Exempla teſtantur. Manaſſes, Publicanus. Et hoc quidem maximè ſolari debet pœnitentes, quod audiunt ſua ſcelera non producenda coram tribunali Dei, vt confundantur coram omnibus Angelis & electis: ſed non recordabor amplius, inquit Dominus. Et idipſum Michæas vocat demergi in profundum maris, Mich.7. Es ſoll verziehen vnd vergeſſen ſeyn bey Gott. Sicut nebula deleta, Eſa.44.verſ.22. Ego deleo & non recordor, Eſa.43. v.25. Pſal.103.v.12. longè fecit iniquitates.

FINIS.

Thema VI. Classis VIII.

Ezech.18. verſ. vlt.

Quare moriemini domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite.

Eadem ferè habentur Ezech.33.verſ.11.

DISPOSITIO.

Breuis eſt ſententiola prælecta, ex ore Dei ipſius excepta per Prophetam, at multum habet in receſſu.

Tria autem continet principaliter notanda.

1. Monet Dominus Iſraelem ſuum, ne ſibiipſi exitium afferat æternum.

2. Proteſtatur ſe interitu populi ſui non delectari.

3. Viam monſtrat, quomodo ab interitu præſeruari poſſint. Hæc iam excutiemus breuiter, & ad noſtram vtilitatem transferemus.

I. Pars.

Verba Domini ſic habent: Quare moriemini domus Iſrael? Dixerat in præcedentibus, Iudicabo vos, vnumquemque iuxta vias ſuas. At quid tum futurum ſit, ipſos vult perpendere; quod ſcilicet propter varia & multiplicia peccata adiudicandi ſint æternæ morti. Certè morie-

riemini, ait. Quare autem moriemini, vos Iſraelitæ, qui eſtis populus meus electus? Numquid non vitam potius eligitis, quam mortem? Numquid ſaluari potius vultis, quam damnari?

Per mortem enim non corporalis, ſed æterna illa mors & damnatio intelligitur, quæ teſte Apocalypſi Ioan. cap. 21. v. 8. eſt ſecunda mors.

LOCVS. Numquid non, chariſſimi, inſanos exiſtimatis fuiſſe Iſraelitas, qui perire maluerint quàm ſaluari, mori quàm viuere optarint? At multi hodiè eiuſdem cum ipſis ſunt ſententiæ. Quis verò adeò demens ſit, inquis? Audies.

Numquid idem nobis dictum eſt, quod populo Iſrael Moſes dixit, Deuteron. 30. v. 15. & 19. Propoſui tibi vitam & mortem, bonum & malum. Teſtes inuoco hodiè cœlum & terram, quod propoſuerim vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt viuas, &c. Quid faciam igitur inquis? Quod ibi additur, Diligas Dominum, & obedias voci illius.

An non eadem quotidiè vrgentur paſſim in omnibus concionibus? An non quiſque noſtrum eſt ſeruus, ſciens voluntatem Domini? Lucæ 12. verſ. 47. Quiſquis igitur non facit illam, an non meritò vapulabit plagis multis? Ibidem.

An non igitur dicet nobis Dominus, quare morieris? Et illud Oſeæ 13. v. 9. Du bringſt dich in Vnglück. De hoc pauci cogitant. At quoties audis pro concione, te peccatis tuis tibimetipſi æternum afferre exitium, & ſi hoc vel illud feceris, de quo Gal. 5. v. 21. habetur, futurum certò, vt pereas in æternum: toties cogita, tibi dici à Domino, quare morieris?

II. Pars.

Ne quis poſſit cogitare, Deum vtiq; poſſe ſaluare plures, ſed nō velle: quia deſtinauerit nonnullos ad mortem & damnationem, vt haberet, in quibus declarare iuſti-

tiam suam posset, sicut in colloq. Mompelgard. pag. 523. tales horrendæ voces sunt auditæ: ideoque Dominus hîc protestatur solenniter his verbis, Dicit Dominus Deus, [qui est veritas, & mentiri nescit, Hebr. 6. v. 18.] Non delector morte morientis. Et si delectaretur morte morientis, non toties præmonuisset, vt cauerent sibi à morte & damnatione æterna.

L. I. Hoc loco primum magna proponitur peccatoribus miseris, at pœnitentibus, consolatio, quod Deus sit futurus facilis in condonandis peccatis: quia non delectetur morte & interitu ipsorum.

Commendatur Dominus hoc nomine passim in scripturis, Exod. 34. vers. 6. Psalm. 86. 103. 111. 116. 145. quod sit patiens & multæ misericordiæ miserator, &c. Nemo itaque de gratia Dei desperet, ne maximus quidem omnium peccator, qualem se fuisse Paulus fatetur, 1. Timoth. 1. vers. 15.

De his vide Dispositiones præcedentes in hac Classe.

II. Patet hinc, quam sit impia, blasphema, & in ipsum Deum contumeliosa doctrina eorum, qui docuerunt hactenus, Deum iusto suo iudicio quosdam destinasse ad mortem, quos non voluerit saluos fieri, &c. Vide Colloq. Mompelgartens. & Locos Theologicos D. D. Hafenrefferi, de prædestinatione. Contrarium patet ex hoc loco, vbi Dominus solenniter protestatur, se nolle etiam ipsius morientis (id est, impij & damnati) mortem. Quid posset dici apertius? Sunt enim illi etiam sanguine Christi redempti, qui pereunt: quod patet ex Roman. 14. versu 15. 1. Corinth. 8. vers. 11. 2. Pet. 2. vers. 1. Nec quenquam vult perire, sed omnes saluari Dominus, 1. Timoth. 2. vers. 4. 2. Petr. 3. vers. 9. Ideoque mundum dilexit, Ioan. 3. & filium dedit propitiationem pro totius mundi peccatis, 1. Ioan. 2.

III. Pars.

Non satis erat Domino Deo præmonuisse suos, ne mor-

mortem eligerent magis, quàm vitam: nec protestatione tantum contentus fuerat, sed tertio loco etiam viam commonstrat, qua eundum, vt possint saluari. Vno verbo autem omnia voluit complecti, Conuertimini. Et quid velit, per totum caput sæpius declarauit: Desistant à malo, & faciant bonum, &c. Et viuetis, non condemnabimini, non æterna morte moriemini.

Locvs. Videmus quid agendum, ne mors æterna absorbeat. Pœnitentia opus est. Hæc frequens fuit Prophetarum, ipsius Christi, & Apostolorum concio. Vide præcedent. Disposit. & Ierem. 18. vers. 8. Matth. 3. & 4. Act. 2. v. 38. & 3. v. 19.

Partes verò pœnitentiæ sunt, 1. Contritio, quæ primò agnitionem peccati, eiusdemque deinde detestationem, & tertiò serium dolorem, deniq; confessionem complectitur. 2. Pars pœnitentiæ fides est. Has sequitur noua obedientia, fructus sc. pœnitentię: de quibus Matth. 3. v. 8. Hæc in omnibus Enchiridiis Theologicis reperiuntur.

FINIS.

THEMA VII. CLASSIS VIII.

Ezech. 33. vers. 11.

Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed vt conuertatur à via sua, & viuat.

Eadem sententia extat etiam Ezech. 18. v. 23.

DISPOSITIO.

Sicut gemma pretiosissima in annulo aureo, sic hæc sententiola scripturæ inter multa alia eiusdem loca meritò habenda est. Digna itaque, quæ non tantum gestetur in digito, sicut gemma in annulo, aut collo appendatur, ceu clinodion aliquod, sed quæ animis inscripta, memoriæ tradita, in corde gestetur perpetuò. Huius etiam maior vis atque virtus contra omnes Satanæ tentationes erit, quàm potest esse gemmæ nobilissimæ aduer-

ſus omnes difficultates morborum, & aliorum acciden-tium corporis. Excutiemus igitur hunc locum diligentius, audituri.

1. Quis affectus Dei erga miſeros peccatores.

2. Quis viciſſim noſter debeat eſſe affectus erga Deum, vt Deo gratum faciamus.

I. Pars.

1. Principio notandum, hæc non eſſe verba alicuius hominis prophani, aut Ethnici, vel Philoſophi: imò nec Prophetæ verba ſunt, ſed ipſius Dei. Id patet ex verbis, Dicit Dominus Deus. Itaque ipſe Deus hæc verba proloquutus eſt, & ex ore ipſius excepit noſter Propheta.

2. At quid refert nobis Dominus? Nolo mortem impij. Eandem ſententiam per interrogationem propoſuit, Ezechiel. 18. v. 23. Numquid voluntatis meæ eſt mors impij? Per mortem non corporalis tantùm, ſed magis æterna & ſecunda mors. Apocal. 21. verſ. 8. intelligitur.

3. Vbi notandum quod Dominus primùm affectum ſuum prodit erga miſeros mortales, quos non vult perire, etiam ſi ipſum ſuis peccatis ſæpiſſimè offenderint. Deindè notanter inquit, ſe nolle mortem impij, & vt cap. 18. habetur, morientis. Quo innuit, ſe non tantum in genere peccatores non odiſſe, vel ad damnationem creaſſe, ſed quod maius eſt, etiam pereuntium & ſua culpa damnatorum, morte & interitu non delectari.

4. Et quia in cap. 18. huius Prophetæ, ſimpliciter & nudis verbis, hunc ſuum affectum declarauit: at verò animus humanus in nudis verbis rarò acquieſcit, ecce hoc loco iureiurando idipſum confirmat: Viuo ego, So wahr als ich leb. Grauiori iuramento ſeſe non poteſt obſtringere. Heb. 6. v. 13.

Locvs I. Poſſumus hîc idem dicere, quod alibi de Chriſto Auguſtinus ait, Felices nos, propter quos ipſe Deus iurat. Infelices autem ſi ne iuranti quidē credimus. Quantam hic locus homini de peccatis ſuis tentato conſola-

ſolationem præbeat, nemo ſatis explicare poteſt verbis. Quibus enim hæc ſententiola proſit, ex præcedentibus patet: vbi dicunt Iudæi, iniquitates noſtræ ſuper nos ſunt, & in ipſis tabeſcimus, &c. His vult dici, ego nolo mortem, &c. Et non poteſt homo non acquieſcere in verbis ipſius Dei iurantis, qui mentiri neſcit. Heb. 6. Huc pertinent ea quæ Diſpoſit. tribus præcedentibus ſunt annotata, ad Themat. ex Ieremia & Ezechiele.

II. Recurrit hic idem locus, qui Diſpoſit. præcedente proxima, parte ſecunda, numero ſecundus eſt.

Sufficienter enim hæc verba Dei ipſum contra omnem hominum blaſphemorum iniuriam defendere poterunt: qui ipſam iuſtitiam non tantum authorem peccati facere, ſed etiam omnem damnationis culpam in Deum conijcere tentant. Ex his fructibus arbor qualis ſit, cognoſci poterit, iuxta id Matth. 7. v. 16. Lupus ſcilicet ſub pelle ouina latens ſeſe hic prodit, &c.

II. Pars.

Qualiter Deus erga nos affectus ſit, audiuimus, nec velle ipſum vt quiſquam noſtrum pereat. Nunc quid nobis viciſſim faciendum erga Deum, ne ipſi ſalutem noſtram negligamus, diſpiciendum.

Conuertatur (inquit) impius à via ſua & viuat, hæc eſt voluntas mea. Zach. 1. ait Dominus, conuertimini ad me & ego conuertar ad vos. Hic autem præuenire vult: Ego conuerſus ſum ad vos, vos igitur conuertimini quoq; ad me. Ego meam gratiam & miſericordiam omnem conuerto ad vos: Itaq; vos viciſſim conuertimini ex toto corde ad me. Sic non moriemini. An mir ſolls nit mangeln: Laſts nur an euch nicht erwinden. Quid igitur faciendum? Conuertat ſe impius à via ſua, & ingrediatur viam Domini.

Deflectat à porta lata & via ſpatioſa ad viam ſtrictam & portam anguſtam. Matth. 7. v. 13.

Hoc Eſaias ſic explicat: Deſiſte à malo, fac bonum.

Esa. 1. Et Propheta noster, vocat discedere ab iniusticia. Ezech. 18. Qui hoc fecerit viuet, ait Dominus. Hic vita æterna intelligitur, quæ vere vita est. Sicut supra mors æterna notatur, quæ verè mors est. Conuersus itaque non condemnabitur, sed viuet in æternum. Non quod sua pœnitentia & conuersione vitam sit promeritus: cum vita æterna gratuitum planè sit donum Dei Rom. 6. vers. 23, Eph. 2. v. 8. sed quod propter Christum fide (quæ est pars principalis pœnitentiæ) apprehensum placeat Deo noua illa obedientia, quæ fructus conuersionis & pœnitentiæ est: & peccata non imputentur, sed iustitia Christi credentium fiat propria imputatione. De qua 1. Cor. 1. vers. 30. Rom. 4. v. 5.

LOCVS. Qui salutem suam non vult negligere, qui non ingratus reperiri erga Deum, conuertatur ad Dominum, à via sua. Licet enim via cuique sua placeat Prou. 16. vers. 2. tamen hoc attendendum quid Deo placet, quid non. Si igitur deprehendit, se ambulare in via non bona, (quod ex Decalogo cognoscere poterit) mox reuertatur ad viam monstratam in verbo diuino: hoc est, agat pœnitentiam, & quærat eum qui iustificare vult impium. Rom. 4. vers. 5. Vide Disposit. præcedentis, partem tertiam. Est enim pœnitentia & conuersio ad Deum ex nostra parte medium, per quod æternam possumus effugere damnationem, vt patet ex hoc loco, & aliis.

Non enim nisi pœnitentes & conuersos in gratiam vult recipere. Hinc id 2. Pet. 3. vers. 9. Non vult quenquam perire, sed omnes ad pœnitentiam venire. Petro dicitur, Luc. 22. v. 32. Si conuersus fueris, &c. Fuit itaque & Petro necessaria conuersio. Sic omnibus. Ier. 31. Postquam conuersus fui egi pœnitentiam. Wir müssen ein andere Haut / sicut alias prouerbio dicitur: hoc est, Mente saniori opus omninò est. Sic Angelos exhilarabimus. Luc. 15. Vide etiam exemplum filij perditi.

FINIS.

THE-

Thema VIII. Classis VIII.

Ezechiel.33. v.12.

Tu fili hominis, dic ad filios populi tui, Iusticia iusti non liberabit eum in quacunque die peccauerit: & impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.

DISPOSITIO.

Accusabant Dominum Deum suum Hebræi (vt patet versu huius capitis 17.&20) iniquitatis, dicentes, Non est æqui ponderis via Domini, non est recta via Domini.

Quamuis autem Deus, qui est ipsa iusticia, non cogitur miseris homuncionibus reddere rationem factorum & iudiciorum suorum, tamen vt vincat cum iudicatur (Psal. 51.v.6.) hoc loco per Prophetam denuntiari vult populo, (vt & cap.18.) quod recta sit via Domini, & vicissim iniusta sit via populi, ostendens scil. quod non sine causa parcat pœnitenti quantumuis olim impio: & puniat olim iustum, qui postea in impietatem sit prolapsus.

Quia igitur hoc facere potest ad admonitionem, illud verò ad consolationem, vtrumque sigillatim expendere libet.

I. Pars.

1. Faciemus autem initium dicendi ab eo, qui vocatur iustus, quem tamen sua iusticia non liberat à morte.

2. Ne hoc mirum alicui videatur, seipsum explicat Dominus, quod loquatur de tali iusto, qui abiecta pietate peccauerit. Et in sequentibus repetit, vocans talem iustum, qui confisus in iusticia sua fecerit iniquitatem, v.13.

3. De hoc pronuntiat, iusticia ipsius non liberabit ipsum, in quacunque die peccauerit.

Ratio videtur addi in sequentibus: non poterit viuere in iusticia, quia peccauit. Er hat sein sach wider verderbet.

Et additur verſ. 13. Omnes iuſtitiæ eius obliuioni tradentur.

Et morietur in iniquitate ſua, quam operatus eſt.

L. I. Diſcimus, non debere iuſtum confidere in ſua iuſtitia, ſi perdiderit negligenter, quod magno labore quæſierat. Nec enim præteritæ iuſtitiæ ſaluẽt, ſi nouis ſceleribus ſit occupatus. Atq; ſimul etiam hinc luculẽter patet, quantum abſint à via veritatis, qui opinantur, ſe impietatem miſcendo pietati, & mala opera compenſando bonis ſic velle coram Deo paria (quod dicitur) facere, vt non habeat, de quo iuſtè poſſit cõqueri. Es ſol alſo miteinander gleich auffgehn/vnd wett ſeyn bey vnſerm HErrn vñ Gott.

Sic enim ſolent dicere homines prophani & illuſores: Ich hab viel gebettet/hab ich widerumb ſchon viel geflucht/ſo iſts erſt wett.

Ich hab viel geſtohlen/oder gewuchert vnd geſchunden: hab auch viel Allmoſen geben. Das iſt wett. Et ſic deinceps. Sic DEVM nihil poſſe requirere vltrà putant. At ſi omnia fecimus, ſerui inutiles ſumus. Et quod debuimus, fecimus, Luc. 17. Si itaque id omne malis operibus rurſus fuit dehoneſtatum, quod benè factum erat, id verò non inutilis, ſed nequam ſerui erit.

Etiam iuſtus, ſi iuſtitia abnegata peccauerit rurſus, morte morietur.

Itaque non ſic conemur Deo illudere. Non irridetur Deus, Gal. 6. verſ. 7. Nec fucum facere ipſi tentemus, ſicut Saul, qui ſe prædæ pinguiori cultus gratia pepercisse fabulatur, 1. Sam. 15. v. 15.

Er läſt nicht alſo mit jhme wett ſpielen/vnd es erwehret ſeyn/ vt noſtri loquuntur.

L. II. Videmus, quàm altè animis noſtris infigenda illa regula, Non qui benè cœperit, ſed qui ad finem perſeuerauerit, ſaluus erit, Matth. 10.

Qui poſuerit manum ad aratrum, & retroſpexerit, Lucæ 9. Obliuiſci enim vult Dominus priorem iuſtitiam, ſi illam excipiant, & ſubſequantur peccata.

Saul

Saul benè cœpit, modestus est, humilis, fortis, &c. at non perseuerat. Nil itaq; iuuant priora facta laudabilia. Pergamus itaq; in cursu bonorum operum. Tit.3.v.8.vsq; ad metam præfixam donec apprehendamus. Phil.3.v.14.

Vide tristia illa exempla. 2. Tim. 4. Demas relinquit Paulum. Multi retrorsum eunt. Ioan.6.v.66.

II. Pars.

1. Sicut iustum non liberat iusticia à morte vbi peccauerit: ita impietas impij non nocebit ei, vbi pœnitentiam egerit. Hoc enim intelligit per conuersionem ab impietate sua.

2. Notandum autem quod pœnitens non propterea viuet, quia bonum operatus est (cum omnes iustitiæ sint sicut vestis immunda) sed ideò viuet (vt infrà eleganter hoc v. 16. exprimitur) quia omnia peccata eius quæ peccauerit non imputabuntur ei. Deleta enim sunt pœnitentibus. Esa.44.v.22.& imputatur illis iusticia Christi. Rom. 4. Et viuet ille iustus (secundum verba Hieronymi super hunc locum) illa vitâ quæ Christus est.

CONSOLATIO ingens hìc proponitur homini pœnitenti, si tentetur de peccatis admissis: quod scil. nullo pacto salutem desperare debeat (verba sunt Hieronymi) si agat pœnitentiam. Non n. antiqua perdēt peccata, si operib. iusticię veteres emendauit errores. Neq; præterita sed præsentia iudicare vult Dominus, &c. Exemplo Niniuitarum patet, & publicani, atque Zachæi, Latronis, &c.

Et quæ potest esse maior consolatio, quàm hæc, quod omnia licet fœda & grauissima peccata (ad quorum nudam mentionem exhorrescit animus pœnitentis) perpetua obliuione sunt delenda Col. 2.v.14. ac si in profundo maris essent demersa. Mich.7.v.19. Non recordabor ampliùs. Esa.43. Plura vide in præcedentibus Dispositiōn.

Hoc itaque agendum, vt cum Deo in gratiam redeamus, dum in hac vita sumus, antequam finis adueniat. Omnia tum bona sunt clausula quando bona est. Et

quia quisque iudicabitur sicut fuerit inuentus, demus operam, vt inueniamur acceptabiles, in cóspectu Domini, nec pudefiamus, quando sistemur ad tribunal Christi.

FINIS.

THEMA IX. CLASSIS VIII.

Sapient. 11. vers. 24.

Tu misereris omnium: quia omnia potes, & dißimulas peccata hominum, propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.

DISPOSITIO.

Rectè Sapiens & piè Dominum Deum nostrum in fine huius capitis vocat amatorem vitæ: cuius tantam ait esse beneuolentiam & misericordiam, vt cum omnes creaturas, quę in ipsius manu sint tanquam gutta roris (vers. 23.) vno momento in nihilum redigere, maximè verò homines, quos condidit, propter peccatum abiicere & perdere potuerit: tamen ille omnes suas creaturas clementer hactenus conseruarit, & omnium maximè in hominibus peccatoribus patientiam & amorem luculenter demonstrarit. Sunt autem singula ferè verba emphatica & diligenter enucleanda.

Audiemus autem 1. de insigni illa erga peccatores misericordia atq; patientia creatoris.

2. Quæ illius causa sit, ex ore Sapientis subiiciemus.

I. *Pars.*

1. Magna & infinita est (inquit in præcedentibus) tua potentia, Domine. Nec est quisquam, qui tuam potentiam possit infringere, aut tibi resistere. Orbis terrarum est sicut lingula statéræ. Vide Esa. 40.

2. Licet autem alioquin in rebus humanis ita sit comparatum, vt potentes & Magnates rarò sint clementes & misericordes, vt plurimum autem duri, superbi & inhumani erga subiectos, maximè verò seueri & inclemen-

mentes erga hos, qui contra ipsos deliquerunt: tu tamen Deus omnipotens omnium misereris, & salute omnium, non autem interitu cuiusquam delectaris. Omnium misereris inquit. Idem Rom. 11. v. 32.

3. Quod tantò magis mirum est, quanto maior est tua potentia & maiestas, qui omnia habes in tua potestate. Et posses omninò perdere si velles: vt non necesse sit te illis parcere.

4. Neque verò ideò parcis quod boni sint, & nihil in te peccent: sed peccata ipsorum etiam dissimulas, & ad illa conniues. Hoc demum infinitę misericordiæ tuæ argumentum est. **Du must doch ein gedultiger Gott seyn/ daß du jre Sünde so lang vertragen vnd nachsehen kanst.**

5. Hoc non ideo fit, quod delecteris peccatis, cum apud te non sit iniquitas: sed quod exspectes ipsorum pœnitentiam. Et sic vis tua longaminitate & patientia inuitare ad pœnitentiam, sicut & Paulus Rom. 2. v. 4. refert.

CONSOLATIONEM cum admonitione coniunctam nobis hic locus insignis exhibet. Magnam enim & inexhaustam Dei bonitatem erga miseros peccatores commendat: quæ quotidiè innouari dicitur. Thren. 3. v. 23. Hanc etiam commendant nobis alia scripturæ loca plurima. Psal. 31. v. 22. Psal. 69. v. 17. Psal. 86. v. 5. & 15. Psal. 100. v. 5. &c. Et summatim omnia continentur in his, quod miserationes eius super omnia opera eius, & suauis Dominus vniuersis. Psal. 145. v. 9. Et Syr. 18. v. 12. Misericordia super omnem carnem. Et quod magnitudine ipsum Deum æquare possit misericordia illius, Syr. 2. v. 21.

Ideoque de misericordia Domini nemo hominum desperare debet. Et splendidè mentitur Cain, dicens, maius esse suum peccatum, quàm quod possit remitti: cum maior sit Dei misericordia, quàm omnium hominum miseria.

Nec minoris æstimandum sacrosanctum Christi meritum, quod sufficit ad saluandum omnes. De quo 1. Timoth. 1. v. 15. 1. Ioan. 2. v. 2.

Hac

Hac consolatione tentati erigant animos suos, ne desperent.

MONEMVR iuxtà tamen, hanc consolationem non ad omnes pertinere, sed ad eos tantum, qui pœnitentiam agunt, ad quam sua longanimitate inuitat Dominus, vt supra dictum ex Rom. 2. Et idem Petrus 2. Petr. 3. v. 9. vult, omnes pœnitentiam recipere. Et 1. Timoth. 2. v. 4. Vult omnes venire ad agnitionem, &c.

VSVS huius loci is est: 1. vt nemo sibi blandiatur, si peccata non puniantur in vestigio. Patientiæ Dei est, exspectantis pœnitentiam. Vide Syr. 5. v. 4.

2. Nemo offendatur, si Deus differat pœnam. Sicut plerumque fit, iuxta id Eccles. 8. v. 11. Tarditas enim grauitate pœnæ compensabitur.

II. *Pars.*

At quæ causa huius bonitatis & patientiæ atque longanimitatis diuinæ? Non certè meritum hominum vllum, quia nullum. Serui inutiles, Luc. 17. Vestis immunda, Esa. 64.

At vna causa est, dilectio illa Dei, qua complectitur omnes suas creaturas. Ideoque illa antegressa est omnes creaturas, & causa creationis fuit. Et quî possit Deus odisse suas creaturas? Nihil enim præparauit, quod odio habuerit. Alioquin non creasset. Et vidit cuncta, quæ fecerat, esse valdè bona, Genes. 1. vers. 32. quatenus illa sunt ab ipso creata. Ideoque nec hominem (qui ratione substantiæ est Dei creatura, etiam post peccatum) odisse potest. Peccatum quidem & corruptionem odit, at creaturam tamen suam non odit. Hinc Iob. 10. Manus tuæ fecerunt me: vitam & misericordiam tribuisti mihi. Eadem ferè Psalm. 139.

LOCVS I. Quia in tantum dilexit nos Dominus, vt non creârit tantum, sed & in peccatis iam mortuos sanguine suo Actor. 20. vers. 28. redemerit, & hactenus conseruârit: insuper iustificatos nos etiam sit glorificaturus, Rom.

Rom.8.v.30. quis dignas vnquam ipsi referre poterit gratias? Numquid non omnes coniunctis viribus Deo laudes & gratias dicemus cum Dauide? Quid retribuam Domino, &c. Psal.116.v.12. Redamandus vtiq; Deus. Diligam te Deus, Psal.18.v.2. Ingratissimi sunt, qui de his nihil cogitant, nec agunt gratias: nec afferunt fructum labiorum, Hebr.13.v.15. At non satis, diligere Deum verbis, sed ipso etiam opere testemur amorē. Quomodo? Sicut is requirit: Qui me diligit, sermonē meum seruabit, Ioan.14. Et Deut.10.v.12. Diliges Dominum Deum. Quomodo? vt seruias illi, & ambules in viis eius. Idem Deuter. 11. v.13.& 22. Item Deut.19.v.9. Qui hæc facit, dicere potest cum Dauide: Hertzlich lieb hab ich dich. Psalm.18. Et cum Petro, scis, quia amo te, Ioan.21.v.17.

L. II. Quam inconueniens huic loco sit doctrina eorum, qui negant, Deum omnes dilexisse, &c. quiuis potest colligere. Vide etiam supr. Disposit. Them.6. in hac Classe.

FINIS.

THEMA X. CLASSIS VIII.

Syrach 5. vers. 8. & 9.

Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.

DISPOSITIO.

Tota passim scriptura clamat, Conuertimini ad Dominum: Agite pœnitentiam. Et hæc omnibus nota sunt. Neq; est quisquam, qui hoc neget, pœnitentiam omninò esse necessariam. At in hoc plerique errant, quod tempus pœnitentiæ reiiciunt in multos annos: & plerique vel in tardam senectam, vel in ipsum mortis articulum.

Monet itaque Syrach his verbis, 1. de non procrastinanda pœnitentia.

2. Ad-

2. Addit etiam præsentissimum periculum, quod immineat procrastinatoribus.

Hæc duo iam excutiemus breuiter.

I. *Pars.*

Sapiens hoc loco anteuertit cogitationes, imò etiam dicta procrastinatorum.

Audientes enim agendam esse pœnitentiam, & necesse esse vt conuertamur ad Dominum, respondent, Ita sanè agendum. Et ego quoque conuertam me ad Dominum, plerique aiunt.

At quando incipies? Dicunt aut cogitant illi: Es ist noch allezeit. Ich bin noch Jung. Muß zuvor noch ein zeitlang gut leben haben in der Welt.

Et tum demum pœnitentiam agendam putant, vbi tarda senectus accesserit: Da ist gut fromb werdẽ. Quando scilicet ipsos reliquerint peccata. Hoc autem non est emendare vitam, tum cessare à peccando, vbi amplius non potes peccare; Quia vires corporis illud non amplius permittunt, quod senibus ægris accidit. Ideoque Syrach. 18. emenda vitam dum adhuc peccare potes. Hoc autem loco sic ait: Ne tardes conuerti ad Dominum: Non reiicias pœnitentiam in multos annos: sed in iuuentute tua memento creatoris, antequam accedant dies illi, qui non placent. Eccles. 12. Iosias puer adhuc quærit Dominum. 2. Paralip. 34. v. 3.

Quia verò plerique vitæ promittunt emendationem, & tamen nunquam seruant promissa: etiam qui ad senectam (aut virilem tamen & iustam ætatem) iam peruenerunt, & dicunt cras, cras, hoc est, mox emendabo vitam, post exiguum temporis interuallum, dummodò mihi liceat hoc vel illud prius exsequi, quod in animo habeo: Ideoque addit Syracides, ne differas de die in diem.

Ne vna quidem die differenda pœnitentia: quia cras cras corui vox est, inquit Augustinus, De verb. Dom. in Matth. serm. 16. non hominis Christiani. Ideo scriptura toties

toties inculcat, Hodie, hodie, cum audieris vocem Domini non obturabis aures. Pſalm 95.verſ.8.Hebr.3.verſ. 7. & v.13. Heb.4.v.4. Et in parabola dicitur filio Matth.21.v. 28. Fili hodie operare in vinea.

Imò non hodiè tantum, ſed nunc inquit Paulus, hoc eſt omni momento tempus eſt, vt conuertamur ad Dominum. Nunc tempus acceptum, nunc dies ſalutis. 2. Cor.6.verſ.2.

Videmus itaque multum errare procraſtinatores, dum ſibiipſis alium & quidem remotiſſimum terminum pœnitentiæ præfigunt.

Peccant quoque contra eandem regulam, qui cum iam lectulis affixi ſunt, & quibus iam mors ipſa ante oculos verſatur, tamen differunt confeſſionem & abſolutionis annunciationem, atque ſacramenti perceptionem, ad extremum ferè vſque halitum: ſtultè opinantes, ſe citius morituros, ſi valedicentes huic mundo, ad Deum ſuum conuertantur, & viatico illo ſpirituali vtantur in tempore. &c.

II. *Pars*.

Quare autem pœnitentia & conuerſio nullam patiatur moram, iam ſapiens ſubiicit, oſtendens grauiſſimum periculum imminere eiuſmodi procraſtinatoribus.

1. Ira Domini ſubitò venit. Cum Deus ſatis diu ſua longanimitate inuitauit ad pœnitentiã. Rom.2.v.4. ſubitò tandem effundit iram ſuam ſuper impœnitentes Non enim vel ad vnam horam certi eſſe poſſumus de vita noſtra, & de hora iudicii, ſiue vniuerſalis, ſiue particularis, cui ſtatim poſt mortem ſiſtẽda eſt anima. Syr.11.v.29. Neſcitis horam & diem. Mat.25.v.13. Hora qua non putatis veniet. Luc. 12. v. 40. Quod ſi Dominus deprehendat impœnitentem diſſecabit ipſum in ira ſua. Luc.12.verſ.46.

Qualem enim inueniet talem iudicabit. Et ſicut ceciderit arbor, ita iacebit. Eccleſ. 11. De hoc periculo ſæpè cogitandum.

2. Ad-

2. Additur hîc, Et vindicabit. Etenim arbor non faciens fructum, igni comburetur, Matth. 7. v. 19. Et iam securis ad radicem posita est, Matth. 3. v. 10. Si non ferat arbor fructus dignos pœnitentia, excindetur. Ibidem ver. 9. & 10. Ipsa res est, quæ multos occidit, cum dicunt, cras, cras, & subitò ostium clauditur. August. vbi supra.

3. Neque est, vt quis blandiatur sibi, sperans Deum mitius acturum cum procrastinatoribus & impœnitentibus, ideò subiicit in fine: & disperdet te. Æterno adiudicabit exitio impœnitentes, quia thesaurizarunt sibi iram Domini, Rom. 2. v. 5. Vermis itaq; non morietur, Esa. 66. vers. vlt. Nec vlla restat redemptio, Psal. 49. v. 9.

Hoc periculum, Charissimi, apud animos vestros quæso sæpius expendatis. Nemo seipsum decipiat. Res seriò agitur hîc. Videtis exempla mortis subitaneæ, &c. Et impossibile est Christianum, qui de his seriò cogitat, moras nectere posse, &c. Plura vide infra in hac Classe, Dispos. Them. 13.

FINIS.

THEMA XI. CLASSIS VIII.

Syrach. 17. vers. 20. ad 23.

Pœnitentibus concedit (Deus) reditum (ad gratiam) & consolatur viribus deficientes, vt sustinere poßint.

Conuertere (igitur) ad Dominum, & relinque peccata tua, precare ante faciem Domini, & minue offendicula.

DISPOSITIO.

In verbis præcedentibus huius cap. dixerat Syrach, Omnia opera hominum sunt in conspectu Dei sicut sol: & oculi eius sine intermissione inspiciunt vias eorum. Non sunt occultæ iniquitates eorũ, sed semper sunt in conspectu Dei. Et post pauca subiicit: postea euigilabit Dominus & retribuet vnicuiq; super caput suum, iuxta merita sua. Hæc

Hæc audientes miseri peccatores, non haberent spem vllam salutis. Si enim iniquitates obseruauerit Dominus, quis stabit? Psalm. 130. Itaque ne desperent pœnitentes, hanc subiicit sapiens restrictionem siue consolationem, in qua 1. docet, ianuam salutis peccatoribus non esse clausam. Die Gnadenthür sey nicht gesperret / sonder allzeit offen.

2. Hortatur autem omnes, vt gratiam oblatam non respuant. Sie sollen die Gnadenthür jhnen nicht selbs zusperren / oder die Gnad außschlagen. De his duobus iam erit dicendum.

I. Pars.

Eleganter loquitur Syrach, ne terreantur miseri peccatores & desperent. 1. Illis enim concedi (ait) reditum ad gratiam. Er läst sie zu Gnaden kommen. 2. Ita tamen, si pœnitentiam agant. Ideoq; signanter loquitur de his, qui vitam emendant: non in genere de securis & impœnitentibus.

Neque etiam abiicit pusillanimes, & de peccatis solicitos atque coangustatos; quin imo ipse Dominus oneratos & laborantes, Matth. 11. v. 28. & vt hic loquitur, deficientes (die Müden: Ita etiam loquitur Ierem. 31. vers. 25. Die müden Seelen erquicken.) solatur, erigitque verbo suo, ne desperent.

LOCVS I. Continent hæc verba primum insignem consolationem, quod pœnitentibus peccatoribus pateat ianua gratiæ; Contrà quam non hæretici tantum Nouatiani, sed & Satan, & caro nostra, atque omnes desperati cum Caino, Gen. 4. pronunciant, Maiora esse peccata, quàm vt remitti possint. Sic Saul, Iudas & Spiera, atque alij cogitant.

Contrarium non verba tantum, sed & exempla scripturæ testantur: neque tantum extant exempla eorum, qui antequam peccarunt, in magna fuerunt gratia apud Deum, vt sunt Dauid, Petrus: sed eorum etiam, qui

nunquam antea benè egerunt, & tamen recepti ſunt in gratiam, vt Manaſſes, Latro, Paulus.

Id filij planè perditi exemplum demõſtrat, Luc.15. Magis autem hoc afficere debet miſeros peccatores, quod puſillanimes & deficientes ipſe ſolatur, ne deſperent, vt loquitur ſapiens.

Argumenta talium conſolationum paſſim ſunt obuia, Eſa.1.v.18. Si peccata veſtra fuerint vt coccynum, Eſa.42. calamum quaſſatum non conteram, Ier.2. Tu fornicata es cum amatoribus multis, at reuertere, Ier.29.v.11. Cogitationes pacis habeo. Ezech.18.& 33. Viuo ego nolo mortem peccatoris.

Dan.9.v.24. Propitiabitur iniquitas: æterna iuſtitia: Oſe.13. De manu inferni redimam eos.

Ioël.1. Patiens & multæ miſericordiæ Dominus, pœnitet eum mali, Mich.7.v.19. In profundum maris peccata abiiciam. Et maiora pondera habent ſequentia, quibus ſolatur miſeros. Non veni propter iuſtos, Matt.9.v.13.

Gaudium erit angelis, Luc.15.v.7. & 10. Venite ad me omnes, qui laboratis, Matth.11.v.28. Quicunque venerit ad me, eum non eiiciam, Ioan.6.v.37. Certus ſermo & omni acceptione, 1.Tim.1.v.15. Et infinita alia. Nemo itaque deſperet.

Hoc potius cogitent pœnitentes, & propter peccata tribulati: quò maior ſit ipſorum anguſtia, & imbecillitas: tanto eſſe Deum propiorem, iuxta id Eſa.66.verſ.2. Reſpicio. Et Pſal.51.v.19. Eſa.57.v.15.

L. II. Si Deus tam facilis eſt in recipiendis pœnitentibus, turpe eſt, nos eſſe difficiliores. Ideoque hortatur Paulus, infirmum ſuſcipite, quia Deus ſuſcepit eum, Roman.14.v.1.

Nec exprobrari ipſi vult delictum ſapiens, Syr.8.v.6. Conſolari ipſos iubet Paulus, nec vult terreri, 1.Theſſ.5. verſ.14.

II. Pars.

Cum hæc ita ſint, neminem vult Syracides ſuam negli-

gligere salutem. Conuertere itaque ad Dominum. Quomodo autem fiat ista conuersio, exprimit paucis verbis. Duo requirit potissimum.

1. Relinque peccata. 2. Precare ante faciem Domini.

LOCVS. Videmus propriam salutem negligere, quicunque per pœnitentiam non cum Deo redeunt in gratiam: cum ianua salutis omnibus pateat.

Oblatam illi gratiam respuunt, cum toties ipse Dominus inuitet, conuertimini, conuertimini. Quare moriemini? Esa.45. Ier.3 Ezech.18.&33. Venite omnes. Matth. 11.v.28. Agite pœnitentiam, Matth.3.4. Act.2. Tota die expandi, Esa.65.v.2. Pereuntibus ergò dicet aliquando: Tu noluisti, Matth.23. Ex te perditio, Ose.13. v.9. Ridebit in interitu ipsorum, Prou.1.v.26.

Cui itaque salus cordi atq; curæ est, is reuertatur à via sua in tempore: priusquam claudatur ostium, Matth.25. vers.11.

Et non est vt quisquam dicat, Nescio quid faciendum? Dictum tibi est, 1. Precare faciem Domini.

Primum deprecare culpam, & pro remissione peccatorum ora. Exempla in promptu habes, Psal.51. v.1. Dan.9. v.5. Luc.18. v.13.

Deinde roga pro Spiritu sancto, & vt ipse conuertat te, Ierem.31. v.18. & det cor carneum atq; circumscindat, Deut.30.v.6. Ezech.11.v. 19. 2. Desiste à malo, & fac bonum. Minue offendicula. Esa.1. Ezech.14.& 18. Conuertantur sic iuuenes. Eccles.12. v.1. sic & senes magis. Quia satis peccatorum. 1.Petr.4.v.3. Ægri ad medicum, Matth. 9.v.12. adulteræ ad maritum, Ier.2.v.1.

FINIS.

THEMA XII. CLASSIS VIII.

Syr.15. ab initio, iuxta vers. German.

Quam magna est misericordia Domini & propitiatio illius conuertentibus ad se.

DISPOSITIO.

Syracides noster non sine causa in oratione sua (quæ extat in fine libelli post cap. 50. versu penultimo) hortatur, Lætamini super misericordia Domini. Eam enim hoc loco, vt & alibi scriptura commendat, quod valdè magna sit. Quia igitur circa misericordiam Dei variè peccatur: dum alii de misericordia Domini dubitant aut planè desperant: alii malitiosè in misericordiam Dei peccant, iam de misericordia Domini occasione textus prælecti dicemus, vt in illa & nos rectè atque piè lætari possimus.

Dicemus igitur, 1. Quanta sit misericordia Domini, & quis fructus illius. Warzu sie gut sey.

2. Quibus illa sit fructuosa, vel non sit.

3. Quomodo nos misericordiam Domini imitari debemus.

I. Pars.

Indifferenter quidem scriptura vsurpat vocabula misericordiæ, bonitatis, gratiæ &c. Domini. Propriè tamen misericordia Dei dici potest, illa commiseratio, quod motus nostris miseriis impellitur ad succurrendum nobis. Et in hoc sensu etiam accipitur hoc loco. Daß er sich vnsers Elends erbarmet.

De hac exclamat Sapiens, ô quanta est misericordia Dei. Idem verò cap. 18. v. 4. ineffabilem vocat, quam nemo possit satis vel intelligere, vel verbis explicare.

Etenim tanta est quantus ipse Deus. Syr. 2. in fine. Infinita ergo sit necesse est sicut ipse Deus.

Tantoque est maior quod æterna est. Esa. 54. v. 8. Æterna misericordia assumam te. Et in Psalmis hoc frequens est: In seculum misericordia eius. Et quotidiè innouatur. Thren. 3. v. 22.

Neque tantum in hac vita Deus suam declarat misericordiam: sed etiam in cœlesti illa & beata. De quo Sap. 3. vers. 9. & cap. 4. vers. 15. In misericordia sunt animæ sanctorum.

Eſt autem miſericordia Domini admodum fructuoſa, in omnibus. Omnia enim reguntur miſericordia Domini. Sap.15. v.1.

Et ſuper omnem mundum miſericordia ipſius. Syr. 18. verſ.12.

Sola enim Dei miſericordia cauſa eſt principalis, quod non ſumus relicti in peccatis & damnati. Miſericordia Domini facit quod non ſumus conſumpti. Thr.3.verſ.22. Hoc maximè dicendum de ſpirituali miſeria.

Miſericordia Domini conſeruati ſumus hactenus: & liberati ab omnibus malis. In tempore neceſſitatis autem maximè fructuoſa miſericordia Domini, iuxta id Syrac.35.in fine.

Nec tantum in benefaciendo cernitur miſericordia illa Domini, ſed etiam in ipſis pœnis. Sapient.12.v.22.

Nec tamen ſemper conſpicua eſt, verum interdum occulta etiam videtur miſericordia Domini Pſal. 77. verſ. 9.

Nec tamen poteſt occulta manere ſed erumpit. Tanta enim eſt, vt viſcera & cor Dei rumpere dicatur. Ierem.31.v. 20. Luc.1. σπλάγχνα ἐλέους.

II. Pars.

Videmus verum illud Syracidis, quod magna imò infinita ſit miſericordia. Quamuis autem ſuper totum mundum diffuſa Syr. 18. verſ.12. & plena miſericordia Domini omnis terra ſit: Pſalm. 119. verſ. 64. tamen non omnibus fructuoſa eſt, vt patet ex hoc loco. Non quidem Dei ſed hominum culpa id fit.

Oſtendit autem Sapiens, quod miſericordia Domini fructuoſa ſit pœnitentibus, qui ſua corda ad Dominum conuertunt & vitam emendant. His enim propitius eſt.

Eadem eſt ſententia Sapientis Syr.17.verſ.20. Hoc vult Ezech.18. verſ.21. & 33,v.14. Idem quoq; ſenſus dicti illius, quod toties repetitur, Miſericors, bonus, patiens, miſerator Dominus: Exod.34.verſ.6. Pſal.86 v.15.&145.v.8. Ioël. 2.v.13. Ratio autem, quare pœnitentibus tantum fructuoſa ſit miſericordia Dei, eſt hæc, quia hi implorant miſeri-

cordiam Domini, iuxta id Psal.25.v.6. & 7. & Psal.40.v.12. Psal.51.v.3. & Psalm.69. v.17. Luc.18.v.13. Daniel.9.v.18. in miserationibus tuis multis.

Impœnitentes verò, vel de misericordia hac (sicut nec de ira Dei) non cogitant: vel securè in peccatis pergunt, & in misericordiam Dei peccant, sicq; cum illusoribus dicunt in corde suo, Manebimus in peccato (nec ad Deum conuertemur) vt gratia abundet, Rom.6.v.1. Hi dicuntur contēnere diuitias, gratiæ & misericordię Domini, Rom. 2.v.4. Est igitur iusta illorum damnatio. Caueat itaq; quisque Christianus, ne se indignum reddat misericordia Domini, & ne salutem suam negligat audacter & confidenter peccando in misericordia Domini. Sicut enim nemo sanus venenum haurit, quia remedium contra venenum nouit: sic nemo Deum offendat sciens & volens, quia misericors est. Est enim ira quoque illius aduersus impœnitentes tam magna, quam est misericordia, Syr.16.v.12.

III. Pars.

Quia tanta est Dei erga nos misericordia, hortatur Christus, vt imitemur patrem cœlestem, hac in parte. Estote misericordes, sicut pater, Luc.6.v.36. Opera misericordiæ ibidem, & Matth.25. recensentur in specie, Remittere, Dare, &c.

Sicque Deo gratitudinem nostram probare debemus, Syr.34.v.4. Qui miseretur proximi, sacrificium Eucharisticum offert.

Et constituit Deus amplissima præmia his, qui misericordiam erga proximum exercent, Matth. 5.v.7. Beati, Prouerb.21.v.21. Qui misericordiam, &c.

FINIS.

THEMA XIII. CLASSIS VIII.

Syrach.18. vers. 22. ad 25.

Noli differre pœnitentiam vsq; ad ægritudinem, sed emenda vitam dum adhuc peccare potes.

Ne

Ne differas pietatem, & non extrahas vitæ emendationem vsque ad mortem.

Si Deum colere volueris seriò id agito, ne tentes Deum. Memento iræ in die consummationis, & vltionis in die exitus tui.

DISPOSITIO.

Omnium hominum prima & potissima cura hæc esse deberet, vt cum Deo per pœnitentiam in gratiam redirent absque omni mora. At maior pars hominum, proh dolor, de hoc parum cogitat, & vel superuacaneum istud esse iudicat, (hi scilicet de quibus Ierem. 11. versf. 15. in malitia lætantur) vel tamen in aliud tempus subinde reiicit. Hinc multi seipsos decipiunt, & (quod metus est) in æternum pereunt. Ne igitur idem nobis quoque accidat, agite verba Sapientis prælecta, quæ de his rebus egregiè tractant, ad animum reuocabimus.

Vbi primùm ea, quæ pœnitentiam remorari solent, remouet Sapiens.

Deinde causas quare pœnitentia non procrastinanda sit adducit grauissimas. Hæc videamus breuiter.

I. *Pars.*

I. Inter ea, quæ homines remorari solent, quo minus in tempore conuertantur ad Dominum, consuetudo peccandi inueterata plerunque principem locum obtinet. Ich kan nicht davon lassen / Ich hab eben dessen also gewohnet. &c. inquiunt. At vbi senuero, cessabunt illa peccata, & tum probus fiam. Expectabo donec ipsa me peccata relinquant. Es wird mir selbs vergehen. &c. At inquit Sapiens, tum non erit vera pœnitentia, si peccata te relinquant, tu verò non peccata dimittis. Emendanda vita, dum adhuc peccare potes, ait. Moriendum peccato dum viuis. Rom. 6. versf. 2. Crucifigenda caro cum adhuc concupiscit. Rom. 6. versf. 6. Gal. 5. v. 24. Nulla au-

tem tibi debetur gratia, si peccata te inuitum dimittant. Sic enim non Dei sed Diaboli martyres. Sic non in nomine Dei emendas vitam, sondern du must ins Teuffels Namen hindenach lassen / wann du nicht mehr kanst. Emendanda itaque praua illa consuetudo auxilio Spiritus sancti, qui dabitur petentibus, Luc.11.v.13.

2. Alterum, quod procrastinatores remoratur, illud est, quod confidunt in longanimitate Dei. Volunt illi quidem videri Christiani: & dum strenuè peccant, sibi tamen blandiuntur, Es wird kein noth haben. Ierem.5.v.12. Amos 9.v.10. Contra Syrach: Si Deum vis colere, seriò id agas. At peccare in Dei longanimitate, est Deum tentare. Non enim pro securis facit illius longanimitas, sed pro pœnitentibus. Inuitat enim ad pœnitentiam, Rom. 2.v.4.

Sed nec longanimis tantum est, verum etiam zelotes & vindex scelerum seuerissimus. Vide Syr.5.v.7. Nec misericordia Dei tantum prædicatur, sed & ipsius iusticia & ira, atque indignatio etiam inculcatur passim. Iohannes hoc scribit quidem, qui credit, habet vitam, Ioan.5. at idem, qui facit peccatum, ex Diabolo, 1.Ioan.3.v.8. Paulus quidem ait, certus sermo, &c. 1.Tim.1.v.15. at idem, Ne erretis. Neque adulteri, &c. 1.Cor.6.

3. Plurimi pœnitentiam reiiciũt in finem vitæ. Quia ibi cum morbis, & cum morte conflictandum est, commodissimum tempus esse putant, ad agendam pœnitentiam. Quia tum nihil agendum, sed orationibus vacandum, &c. At dissuadet hoc Sapiens, nec pœnitentiam in ægritudinem & mortis articulum differendam asserit. Tum enim (quod tacitè hîc innuit author) tantum tibi erit negotij cum morbo, cum horrore mortis, cum tentationibus Satanæ, &c. vt de pœnitentia non possis cogitare. Obuersabuntur tibi ante oculos vxor & liberi relinquendi, & infinita alia.

Ideò memento creatoris antequam accedant anni illi, Eccles.12.v.1.

II. Pars.

II. Pars.

Porrò causas etiam alias easque grauissimas adducit Syrach, ob quas non procrastinanda pœnitentia.

1. Memento exitus tui. Daß du darvon must / scilicet antequam tibi videbitur commodum. Non exspectabit Dominus, vsque dum tibi multi transeant anni. Dicitur illi Luc. 12. Stulte, hac nocte auferetur anima tua.

Non potes sperare multos annos residuos. Vita breuis, Somnium, Fumus, Vapor, Flos agri. Vide appendicem Classis VI.

Ideoque vigilandum omni tempore, quia nescimus diem & horam, Matth. 24. Marc. 13. v. 33.

Vide, ne claudatur tibi ianua, Matth. 25. v. 10.

2. Neq; verò post mortem tempus erit pœnitentiæ, in purgatorio illo fictitio, aut alibi. Sicut enim ceciderit arbor, ita iacebit, Eccles. 11. ver. 3. Serò nimis venêre virgines fatuæ, Matth. 25.

Alioquin non diceretur hîc: Dum adhuc peccare potes, vitam emenda.

Cum dixerint pax, pax, 1. Thess. 5. v. 3.

3. Nec finietur omnis actus in morte, sed ira atq; vltio in die consummationis manifestabitur super impœnitentes, Rom. 2. v. 8.

Et tum quidem statim incipit anima sentire vltionem, cum excesserit è corpore, Syr. 11. v. 29.

In die verò consummationis omnium rerum, anima cum corpore cruciabitur: & tum retributio illa sequetur, 2. Thess. 1. v. 8.

Id sæpius inculcat scriptura. Rationem etiam de verbo ocioso reddendam, Matth. 12. v. 36.

Nihil occultum, Matth. 10. v. 26. vnicuique secundum opera, 2. Corinth. 5. vers. 10. Omnes oportet sisti ad tribunal, Ecclesiast. 12. vers. vltimo & primo. 2. Corint. 5. v. 10. Ergò hodie, hodie (Psalm. 95. Hebr. 3.) cessandum à peccato.

F I N I S.

THEMA XIV. CLASSIS VIII.

Luc. 15.

Parabola integra de filio perdito.

DISPOSITIO.

Insignis hoc loco à Christo proponitur Parabola, de filio perdito, in gratiam recepto à patre, qua miseros peccatores erigere voluit. Occasionem huic dederant Pharisæi murmurantes propterea, quod Christus peccatores reciperet. Ille verò testatur, quod propter hos venerit, non propter eos, qui propriæ iustitiæ opinione sint turgidi, quales erant Pharisæi. Idq; tribus similitudinibus proponit, quarum hæc vna est.

Potest autem quatuor in partes commodè diuidi hæc parabola, iuxta personas diuersas.

1. Filius perditus erit considerandus.
2. Filius idem mutatus in alium virum, hoc est, pœnitens, seu conuersus probè notandus.
3. Pater filii perditi.
4. Frater murmurans. De his dicendum.

[Possent singulæ personæ singulis concionibus tractari. Nos hic breuiter notas tantum conciuncularum indicabimus]

I. *Pars.*

1. Fuit filius iuuenis, adeoque charus & dilectus, qui à patre viuo adhuc accepit hæreditatem amplissimam, non vt perderet, sed vt honestè viueret, & omnibus necessariis instructus rectè collocaret bona. Denotat autem hic filius perditus totum genus humanum, quod in Adamo accepit sanctitatem, iustitiam & omnia bona corporalia atque spiritualia.

Deinde in specie Christianos denotat, qui à Deo sunt dotati bonis cælestibus, atque fuerunt in Ecclesia filii & hæredes Dei.

2. In

2. In domo patris disciplina videtur filio asperior, ideoque in aliam regionem concedit, vbi liceat ipsi viuere liberius. (Sicut multi hodiè faciunt.)

Ita visus est Dominus durius agere cum Protoplastis, cum prohiberet vsum ligni scientiæ boni & mali, ideoq; auertunt se à Deo ad Diabolum magnam promittentem libertatem. Gen. 3. vers. 5. In genere verò videtur illa disciplina verbi diuini nobis asperior. Itaque viuere volumus pro lubitu.

3. In regione peregrina filius perditus omnia dilapidat. Vno verbo dicitur vixisse ἀσώτως. Sub illa autem ἀσωτίᾳ comprehenduntur omnia, quod fuerit helluator, aleator, scortator. &c.

Ita non tantum Protoplastus perdidit imaginem Dei, & sic omnia simul: sed & nos variis peccatis omnia quæ à Deo habemus bona perdimus. Et ad mille non vnum possemus respondere. Hiob. 9. v. 3.

4. Inde sequitur tanta filii perditi miseria, vt ablegatus fuerit ad porcos. Et saturari voluit siliquis, nec erat qui ipsi daret. O metamorphosin ingentem.

Ita Protoplastus & nos omnes non tantum ad porcos relegandi, sed ad inferos abiiciendi eramus, vbi ne quidem aquæ guttula danda. Luc. 16. v. 24. æterna fame & siti pereundum.

Locvs. Videmus quo nos abripiat auersio à patre cælesti, & propria voluntas, cum non Deo sed nobis volumus viuere. Et nisi alia rem aggrediamur via, pereundum inter porcos. Imò porcorum hac in parte melior erit conditio: cum post mortem nobis iudicium (Heb. 9. vers. 27. 2. Cor. 5. v. 10.) exspectandum. Quid igitur faciendum secunda pars docebit.

Posset etiam tractari locus de filiis, qui festinant ad paternam hæreditatem. De quo vide Prou. 20. v. 21.

Item, de inobedientia quorundam filiorum & helluationibus, vbi ex ædibus paternis discesserunt, &c. De his alibi.

II. Pars.

II. Pars.

Vidimus perditum filium. Videamus etiam inuentum. Vidimus mortuum, videamus etiam viuum. Quid faciat miser Acolastus? aut fame pereundum, aut aliud agendum. Recta autem procedit via.

1. Agnoſcit ſuam miſeriam. 2. Memor eſt felicitatis, qua excidit ſua culpa. 3. Fatetur delictum. In cœlum & in te peccaui. 4. Humiliat ſeſe, Non ſum dignus vocari filius. 5. At non deſperat. Patrem compellat. Veniam rogat. Fac me vnum ex mercenariis. Promittit emendationem.

Locvs I. Videmus, quanta ſit vtilitas crucis & calamitatis, quod ſcilicet ſic cogimur reuerti ad patrem. Hoc eſt iſtud compelle intrare, Luc.14.verſ.23. Exempla plura paſſim leguntur, Chananæa, Matth.15. Regulus, Ioan.4. Iairus, Luc.8.v.41.

Locvs II. Quia filij perditi mores plerique imitantur, etiam viciſſim imitentur ipſius pœnitentiam.

1. Agnoſcant peccatum, (quod in cœlum peccauerint) & ſuam miſeriam, in quam propter peccatum ſe coniecerunt.

2. Reuertantur ad patrem. Non ſum dignus. At tanta eſt miſericordia tua, vt nolis quenquam perire, 1.Tim. 2.v.4. Exempla Dauid, Pſal.51. Publicanus, Luc.18.

III. Pars.

At quid patet? Agnoſcit ipſum de longè. Irruit in collum filij, non in crines, oſculatur, non in faciem expuit: quia audit, Peccaui. Lætatur quod videt reuerſum, pœnitentem. Non exprobrat delicta, ſed iubet ipſum veſtiri, ornari annulo, & lautè tractari. Quia, inquit, perditus & mortuus erat, ſed inuentus eſt & viuus. Mutatus eſt in alium virum.

Locvs. Maxima hæc eſt conſolatio, quod pater tam facilis eſt. Accedamus ergo cum fiducia, Hebr. 5. Apud ipſum copia panis, hoc eſt, propitiatio multa. Pſ.130. v.7.

Is læ-

Is lætabitur cum omnibus Angelis ſuper noſtra pœnitentia, Luc.15. Pſal.103.v.13. ſicut pater miſeretur, &c.

1. Amplectetur is & oſculum figet: quod fit, quoties blandiſſimè nos alloquitur per verbum ſuum: vt, Venite omnes. Ego reficiam, Matth.11. Non eiiciam, Ioan.6.

2. Veſtis noua, baptiſmus eſt, quo Chriſtum induimus, Gal.3.

3. Vitulus, ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, quibus lautiſſimè tractamur, denotat.

4. Annulus eſt Spiritus ſanctus, arrha hæreditatis, Epheſ.1. v.14.

5. Calcei, cuſtodia Angelorum, ne offendamus pedem ad lapidem, Pſal.91. v.11.

Apud nos ſunt multi filij perditi, ſed pauci reuertuntur ad patrem, vt debebant. Hic dicit, ſurgam. Ibo ad patrem. Illi manere volunt cum porcis, id eſt, in peccatis.

Nec volunt laborare vt mercenarij, hoc eſt, vitam emendare, & fructus pœnitentiæ facere, Matth.3.v.8. Act. 25.v.26. opera pœnitentiæ. Ideoque non oſculabitur, ſed maledicet pater. Et dicetur illis id Hierem. 22.v.24. Si eſſes annulus in digito, abiiciam te, &c.

IV. Pars.

Frater Acolaſti audiens quid acciderit, indignatur.

Pater illum erudit, & monet, potius fratri congratulandum, quod inuentus eſt qui perierat.

Pungit Chriſtus Phariſæos murmurantes propterea, quod ipſe recepiſſet peccatores. Vide initium huius capitis.

Locvs. Duo genera hominum ſemper reperiuntur. Alij quidem peccatores: alij verò hypocritæ, qui ſibi videntur iuſti. Maior autem ſpes eſt de peccatorum, quàm de hypocritarum ſalute. Illi agnoſcunt miſeriam, hi non. Itaque præcedent ipſos peccatores, Matth.21.v.31. Phariſæus & Publicanus, Luc.18. v.14.

FINIS.

THE-

THEMA XV. CLASSIS VIII.

Luc. 23. v. 40. ad 44.

De Latrone conuerſo ad Chriſtum.

DISPOSITIO.

Auguſtinus (De orig. animæ ad Renatum) vehementer commendat hoc, quod de Latrone hîc in cruce conuerſo legimus, inquiens, Fides eius de ligno floruit, quando diſcipulorum marcuit: illi deſperauerunt de moriente, hic ſperauit in commorientem. Refugerunt illi authorem vitæ: rogauit hic conſortem pœnæ. Deſeruerunt illi ſponſorem ſalutis: honorauit hic ſocium crucis &c. Adeoque multis nominibus Apoſtolos ipſius Domini ſuperaſſe, hoc tempore, legitur Latro à dextris Chriſti pendens. Quamuis igitur alias tales ſuſpenſi ſint abominabiles, nos tamen proximè ad hunc accedamus, & 1. pœnitentiam cum omnibus ſuis partibus in hoc latrone conſideremus.

2. Vt deinde etiam lætiſſimam Chriſti promiſſionem Latroni factam audiamus. Nec pudeat nos ab ipſo diſcere, cum Chriſtum nõ pudeat illum ſecum in Paradiſo habere.

I. Pars.

Quis fuerit hactenus, qui hic ſuſpenſus à latere Chriſti pendet, vno verbo explicat ſcriptura, vocans latronem, hominem ſcilicet peſſimum, occidendum & ab altari auellendum. Exod. 21. v. 14. Quamuis autem digna factis accipiat, & de corpore ipſius iam actum ſit, tamen animam ſuam ſeruare cupit, etiam in cruce pendens.

Vnde hoc illi? Hactenus neglexerat ſacras conciones. Es were ſonſt nicht dahin kommen. Nunc verò eductus ad ſupplicium & hac ignominia affectus audit Chriſtum, in via mulieribus concionantem, Si hoc fit in viridi Luc. 23. verſ. 31.

Audit

Audit preces Christi, Pater dimitte. Et alia. Per hæc media Spiritus sanctus tangit cor illius vt credat in Christum suspensum, & agat pœnitentiam. Et rectè quidem procedit.

1. Fatetur sua peccata grauissima. Accipimus digna factis. Patienter fert omnia: quia grauiora se passurum in inferno nouit, si non inueniat saluatorem. Dolet de admissis.

2. Fides sese exerit. Confessionem de Christo edit: Hic nihil mali egit. Innocens est. Sed & ipsius misericordiam ex fide implorat, Memento mei, &c.

3. Fructus pœnitentiæ in ipso supplicij loco non possunt omitti. Reprehendit socium à sinistris, ne maledicat Christo. Conatur ipsum conuertere. Christum excusat, &c.

DISCAMVS exemplo huius latronis conuerti ad Dominum, vt cum ipso esse possimus in regno patris. Faciamus autem id, autequam ad locum supplicij venire necesse sit. Non differas conuerti ad Dominum. Syr. 5. vers. 8. & 18. vers. 22. Quod si omninò iam in crucem acti sumus, hoc est, si iam lectulo sumus affixi, vt hic cruci, non tum maledicendum Christo, quod ille à sinistris fecit, sed potius agnoscenda peccata, venia roganda, patienter ferenda omnia, cum grauiora simus meriti.

Ibi tum in memoriam reuocanda quæ ex scripturis olim audiuimus. Aut si non fuimus attenti, iam attendendum his quæ proferuntur à Ministris Ecclesiæ. Et hic est fructus calamitatis, vt discamus attendere verbo. Esa. 28. v. 20. Vexatio dat, &c. Conuertamur ad Christum, pro nobis crucifixum & mortuum. Rom. 4. in fine.

Et faciamus fructus pœnitentia dignos. Matth. 3. Opera digna pœnitentia. Act. 26. v. 20.

Præsertim si à cruce liberati sumus & conualuimus. Noli amplius peccare. Ioan. 5. v. 14.

Quod si non detur, de cruce descendere, sed ita sit moriendum, constanter tamen adhærendum huic, qui por-

portauit infirmitates & peccata nostra in ligno, Esaiæ 53. 1.Pet.2.v.24. Et ab ipso sperandum illud lignum vitæ, de quo Apoc.2.v.7. Et de hoc iam sequitur.

II. Pars.

Non in vanum orauit Latro: Exauditur enim. Et hodiè promittitur ipsi Paradisus.

Mecum eris: Et quidem in gloria, in Paradiso. Volo vt vbi ego sum, Ioan.17. v.24. Non exprobrantur priora facinora, nõ remittitur ad purgatorium, nec Satanæ traditur. Non audit, nimis serò venisti. Quid mihi cum latrone? Nequam es sceleratissimus, ad gehennam detrudendus. Nihil horum. Sed mecum eris. Ego pro te moriar, ne tibi æterna morte sit pereundum, &c.

CONSOLATIO est hæc maxima pro pœnitentibus peccatoribus, quod si seria sit ipsorum pœnitentia, non sit sera. Modò ante finem vitę conuertantur: veniant, non eiicientur, Ioan.6. v.37. Et non desperent, neque ob magnitudinem, neq; ob diuturnitatem peccatorum. Omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est.

At non differenda eousque pœnitentia, ne prius finis vitæ adsit, quàm tu opineris, & claudatur ianua. Vnum hoc extare voluit Deus exemplum saluati in agone mortis, ne quis desperet: plura non extant, ne quis differat pœnitentiam. Hodie, hodie, Psal.95.v.8. Hebr.3. Fortassis enim non dabitur tibi morituro tantum spatij, vt dicere possis, Memento mei.

Cogita igitur quisquis ès pœnitens, de latrone à dextris: & eo, qui dicit, Mecum eris.

Tu verò quisquis es securus, cogita de eo, qui à sinistris pendet, & perit cum omnibus, qui sistentur ad sinistram, (Matth.25.v.33.) & de illo, qui etiam dicit Sauli, cras mecum eris, 1.Sam.28. v.19. Aber es wird ein vngleicher Tausch seyn. Anima itaque, etiam corpore adhuc valido, commendanda creatori, Psal.31.v.6.

FINIS.

THE-

THEMA XVI. CLASSIS VIII.

Heb. 3. verſ. 12. ad 14.

Videte fratres, ne quando in vobis ſit cor prauum, obnoxium incredulitati, vt deſciſcat à Deo viuente. Sed exhortemini vos inuicem quotidiè, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex vobis induretur ſeductione peccati.

DISPOSITIO.

Sicut Paulus 1. Corin. 10. v. 6. in genere docet Chriſtianos, quod ea, quæ acciderint Iſraëlitis in deſerto, figuræ & typi noſtri fuerint, ne in eadem incideremus peccata: ita hoc loco Apoſtolus Hebræis ſcribens, ipſos in ſpecie hortatur, ne ſuorum maiorum impietatem imitentur, cum ſciant, quibus illi pœnis & ſuppliciis à Deo affecti fuerint. Inprimis verò alludit ad id, quod in Maſſa & Meriba factum erat, Exo. 17. vbi populus duræ ceruicis murmurans contra Deum, contendebat cum Moſe, propter inopiam aquæ, & corde planè indurato optabat in Ægypto viuere. Quod illis etiam exprobratur, Pſ. 95. qui hoc ipſo capite allegatur. Monet igitur hîc, ne ſimiles fiant maioribus, nevè cor habeant induratum, & ne à Deo deficiant. Nos verba Textus primum excutiemus: deinde ſubiiciemus Locos C.

Textus.

1. Compellat Apoſtolus blandiſſimè Hebræos ſuos, Fratres appellans, vt ſic facilius obtemperent fratri rectè monenti. Vſitatum illud Paulo paſſim. Et vult etiam Timotheum ſic agere cum ſuis auditoribus, vt iuniores compellet tanquam fratres, 1. Tim. 5. v. 1.

2. Videte quæſo & cauete vobis, ne ſit inter vos, qui habeat cor prauum & incredulum.

Innuit, multos ſimulare pietatem & fidem, quorum tamen cor non ſit rectum. Exemplum Simonis Magi, Actor. 8. v. 21. Hi ſunt obſeruandi.

3. Illi facilè deficiunt & deſciſcunt à Deo vivo. Qui enim vera fide caret, non adhærebit Deo ſuo, ſed leuiſſima quaque occaſione arrepta rurſus deficiet à Chriſtianiſmo. At quantum ſit peccatum, à Deo viuente deficere, quiuis facilè coniicere poterit.

Solicitè igitur hoc agatis, ne quis veſtrum deficiat.

4. Ecquis verò hoc potuerit prohibere, inquis? Contrà Apoſtolus, exhortemini vos inuicem. Alius alium ad fidem in Chriſtum, & ad conſtantiam ex verbi Dei teſtimoniis adhortetur, & ſic in fide confirmet.

5. Neque verò ſatis eſt ſi id ſemel atq; iterum fiat, ſed quotidiè & ſine intermiſſione, quam diu dies appellatur hodiernus, (hoc eſt, quam diu Deus vobis conceſſerit occaſionem vt poſſitis alter alterum erudire) audiantur tales mutuæ cohortationes ad conſtantiam fidei.

6. Sic magnum illud malum indurationis & apoſtaſiæ poteritis præcauere. Qui enim ſalutares correptiones & exhortationes fraternas audiet, non obturabit cor ſuum. Neque etiam per peccatum excidet gratia Dei. Si enim fraternè moniti illi perpendant, quantas calamitates perpeſſi fuerint ipſorum Maiores, propter iſtam indurationem, diſcent illorum exemplis edocti rectius ſapere.

LOCI.

I. Videmus Chriſtianorum officium eſſe, vt non tantum ſinguli pro ſe ſint ſoliciti, ſed & alios vel errantes in viam reuocare ſtudeant, vel infirmos confirment & adhortentur ad conſtantiam: præſertim vbi metus eſt, ne proximus vel à fide deficiat, vel per peccata & ſcelera excidat gratia Dei.

Hoc ſibi inuicem debere Chriſtianos, docet ſimilitudo illa Pauli, qua ſingulos membra vnius corporis eſſe aſſerit. Hinc enim cauendum ne vnum aliquod membrum damnum patiatur: Vide 1. Cor. 12. totum caput.

Idem Iacobus requirit cap. 5. in fine.

Et

Et 1. Theſſ.5.v.11. Exhortemini vos mutuo, &c.

Neque valebit illa excuſatio quidquam: Ego meam ſalutem curo, non aliorum. Quid ad me alij? Quiſque pro ſe ſit ſolicitus. Aut, forſitan non admittet proximus meam correptionem, forſitan ægrè feret, indignabitur mihi, &c. Contra, ſcitò tu te hoc illi debere ex illo Chriſti mandato Matth.18.v.15. Et tu conuerſus, Luc.22.v.32. Si emendauerit errorem, aut in fide confirmatus fuerit, gratias tibi aget: & Deus erit merces tua. Iacob.5.verſ.20. Sin minus, tu liberaſti animam tuam, & bona conſcientia te conſolabitur, quod feceris officium.

Nec infrequentes ſunt tales mutuæ cohortationes in ſcripturis, etiam veteris Teſtamenti.

Vide voces illorum Oſe.6.v.1. Mich.4.v.2.& Pſal.66.v.5.&34.v.12.&95.v.1.

Et ſi debes aſinum errantem proximi in viam reducere Exod.23.verſ.4. aut ſub onere preſſum ſublenare. Deut.22.v.1.&4. quanto magis hoc debes fratri, pro quo Chriſtus mortuus eſt.

Debet autem correptio & exhortatio eſſe tempeſtiua, Syr.20.v.1. moderata, vt intelligatur eſſe fraterna. Sicut hic fraternè Apoſtolus compellat Hebræos.

II. Summo ſtudio cauendum, ne ſurdis auribus audiamus verbum Domini, & correptiones fratrum ſalutares. Et illud hodie, Pſal.95. vbi tempus eſt acceptum 2. Cor.6. atque in die ſalutis audiendum. Nec dicendum, cras, cras, quæ corui vox eſt. Etenim qui corda ſua ſic indurant, vt nihil admonitionum admittant, hi ſciant ſe à Deo viuente defeciſſe. Et quia ipſi noluerunt audire, tradit illos Dominus in reprobum ſenſum Rom.1.verſ.28. atque iuſto iudicio ſuo ita excæcat Eſa.6.verſ.10.vt non poſſint reuerti per pœnitentiam. Et dicitur illis: Ego volui: Tu noluiſti.Matth.23.

Ex te perditio, Oſe.13.

FINIS.

Thema XVII. Classis VIII.

Luc. 15.

Parabola de oue & drachma perditis.

DISPOSITIO.

Admiranda Dei bonitas inde patet, quod non tantum de clementiſſima ſua erga nos voluntate per filium inſtruit, Hebr. 1. v. 2. qui nobis cor patris manifeſtauit, Ioan. 1. verſ. 18. ſed quod idem filius nobis ſic loquutus eſt, vt intelligi facilè potuerit ab omnibus, qui veritate delectati ſunt. Non enim more quorundam Philoſophorum & aliorum, ſuam ſententiam occultat, ſed vtitur ſimilitudinibus ex communi vita ſumptis, vt omnes quid velit, intelligant.

Tales ſunt hæ, quæ de oue & drachma ſonant, quibus curam paternam pro ſalute noſtra egregiè depinxit. Nos vtramque ſigillatim excutiemus, licet ad eundem finem tendant.

I. *Similitudo de oue.*

1. Ouis animal ſtupidum, facilè errat.

Ouibus comparatur homo, Pſalm. 95. verſ. 7. & 23. v. 1. & 100. verſ. 3. Et is facilè aberrat à via verbi diuini. De quo Eſa. 53. verſ. 6. Pſal. 119. v. 176. 1. Pet. 2. v. 25.

2. Ouem errantem ſolicitus paſtor quęrit, ne pereat. Is eſt Chriſtus, Ioan. 10. v. 12. 1. Pet. 2. v. 25.

3. Inuenta oue perdita lætatur paſtor & vicini. Sic gaudium eſt Angelis in cœlo.

Consolatio hinc peti debet pro lapſis, ne deſperent: Cum non Nouatus tantum hæreticus, & cæteri, ſed Satan & ipſa caro noſtra ad deſperationem ſolicitare tentet.

At quod non relinquat perditos Dominus, patet ex hoc loco & aliis, 2. Sam. 12. verſ. 1. per Nathan quærit Dauidem, & reducit. Sic per verbum alios quoſcunque quærit errantes, Ier. 3. Conuertimini. Ezech. 18. & 33. Non volo mor-

mortem. Quare moriemini? Reuertimini. Ioel. 2. Zach. 1. & Hierem. 2. idem.

Reductas oues pristino fauore complecti vult. Ezech. 18. v. 21. & 33. v. 19. Exempla. Dauid, Manasse, Petrus, Thomas. Nemo ergo desperet, qui redire cupit ad ouile: quin potius orandum cum Dauide, Quære seruum, Psalm. 119. v. vlt. Et quæsiti reuertantur, & patiantur se imponi humeris pastoris.

Iuxta tamen notandum, non nisi de ouibus hic esse sermonem. Ne autem quis seipsum decipiat, sciendum, non omnes à Deo haberi pro ouibus. Quidam enim in scriptura vocantur κακὰ θηρία, Tit. 1. v. 12. malæ bestiæ.

Alij hirci, Zach. 10. v. 3. Matth. 25. v. 32.

Alij porci, 2. Pet. 2. v. 22.

Alij serpentes, aspides, basilisci, Psalm. 140. vers. 4. Esa. 59. vers. 5.

Alij canes, quia vel impuri, 2. Petr. 2. vers. 22. vel rabiosi, Psalm. 22. v. 17. vel muti & simul auari, Esa. 56. v. 10. & 11. Hi foris sunt, Apoc. 22. v. 15. Ad hos nihil pertinet consolatio ista, sed ad eos, qui imitantur naturam ouium, hoc pacto.

1. Vt agnoscant & audiant suum pastorem, & non alium, Ioan. 10. v. 14. & 16.

2. Ouis animal patiens. Ideò Christus oui comparatur, Esa. 53. Talis sit Christianus.

3. Ouis animal iucundum & vtile, in quo omnia habent suum vsum, Lana, Caro, Cutis, Intestina, imò etiam excrementa ipsa. Sic Christianus ad omne opus bonum debet esse instructus, 2. Tim. 3. v. 17.

II. De drachma.

Inuenimus ouem, quæramus etiam monetam.

1. Drachma siue moneta chara est mulieribus. Solent illas solicitè numerare & custodire.

Moneta illa homo est, insignitus imagine Dei.

2. Inter Dei κειμήλια numeratur. Attamen Satanæ

malitia interdum infra ſcamnum abiicitur. Fit hoc, cum homo ſeſe à Deo abduci patitur.

3. Accenſa lucerna quæritur: Scopis etiam purgato pauimento, ne lateat.

Deus accenſa luce verbi, 2. Petr. 1. v. 19 Pſalm. 119. v. 105. quærit peccatores. Scopis pœnitentiæ & legis domum purgat.

4. Inuenta moneta lætatur mulier cum vicinis. Ita gaudium eſt Angelis, qui deſiderant proſpicere, &c. 1. Petri 1. v. 12.

Locvs principalis ad eundem finem tendit, ad quem prior etiam parabola de ouibus ſpectat. Non autem repetemus, quæ iam modò dicta ſunt: ſed hoc tantum conſiderabimus, quid gaudium, & quid triſticiam pariat in cœlis, & ipſi Deo & vicinis, hoc eſt, Angelis, qui ſemper vident faciem illius, Matth. 18. v. 10.

Contriſtari Deum ſcriptura diſertè aſſerit, Gen. *6.* v. *6.* Eſa. 7. v. 13. Gottes Hertzleidt. Ier. 8. v. 18. Eph. 4. v. 30. Spiritus ſanctus contriſtatur.

At quid contriſtat? Peccatum. Quod patet ex Gen. *6.* v. 5. Et plerumque id, quod exhilarat peccatores, id Deum contriſtat: vtpote 2. Sam. 11. Factum Dauidis cum Bethſeſeba, Herodiadis & filiæ, Marc. *6.* Balthaſaris, Dan. 5. v. 1. Statim clamor aſcendit in cœlum, Gen. 18. v. 20. Inprimis contriſtat ipſum impœnitentia, quando planè cogitur deſperare de peccatoribus. Ier. 2. Quid vltra percutiam? Es iſt verlohren. Ier. 4. v. 22. nolunt diſcere bonum.

Hinc ſequitur id Eſa. 9. v. 17. Non lætabitur Dominus ſuper hoc. Quare? Quia populus non eſt reuerſus ad percutientem. verſ. 13. ſed ſecurè pergit & inſultat Deo, ver. 10. Vide ibi.

Contrà verò exhilarat Dominum vera pœnitentia, & obedientia, vt lætetur benefaciendo ipſis, Deut. 28. v. *63.* & Ier. 32. v. 41. lætabor ſuper eis cum benefecero eis. Quibus? Qui timorem Domini habent in corde, & non recedunt? verſ. 40. Ibidem.

Si

Si igitur Dominum exhilarauerimus pœnitentia, tunc is etiam lætificabit nos à dolore, Ier.31. v.13.

Sin ipſum contriſtauerimus, ridebit is in interitu, Prouerb.1.v.26. & Deut.28.v.63.

FINIS.

SEQVITVR

CLASSIS IX.

CONTINENS THEMATA TRACTANDA IN FVNERIBVS MANIfeſtè impiorum, ſceleratorum, & planè impœnitentium, qui in peccatis ſuis, ſiue naturali, ſiue violenta morte perierunt: ſicut Nabal, Saul, Abſalon, & cæteri, quorum exempla cum aliis ſcripturæ locis in hac claſſe tractantur.

THEMA I.

Geneſ. 4. v.7.

Verba Dei ad Cainum.

Nonne ſi benè egeris acceptus eris? ſin autem malè, in foribus peccatum tuum cubat. Sed ſub te ſit appetitus eius, & tu dominaberis illi.

DISPOSITIO.

Hebræ.11.verſ.4. Fide vberiorem hoſtiam obtulit Deo quàm Cain. Ideoque Dominus clementer illam hoſtiam reſpexiſſe legitur, Geneſ.4. verſ.4. Caini verò non item. Inde factum, vt Cain fratri indignaretur, & de tollendo ipſo cogitaret. Cum autem Dominus καρδιογνώςης πάντων hoc animaduertiſſet, præmonuit Cainum paternè, hâc quam prælegimus conciuncula breui, ſed neruoſa admodum, & grauiſſima: Cuius duo ſunt membra. Primum hortatur Dominus Cainum, vt ſtudeat pietati, ſi velit eſſe acceptus Deo. 2. Vt peccatum coherceat, ne e-

rumpat. Quia verò hæc non Caino tantum, ſed & omnibus aliis dicta ſunt, operæ pretium erit, iſthæc accuratius penſitare.

I. Pars.

Cum Cain non animo tantum meditaretur cædem, ſed etiam externis geſtibus iram ſuam oſtenderet, & vultu tetrico fratrem aſpiceret, reprehenditur & obiurgatur hoc nomine à Deo. Quorſum opus eſt propterea frontem contrahere & indignari fratri, quod ego non reſpexi oblationem tuam tam clementer, quàm Abelis? Quin potius hoc agis, vt & tu acceptus ſis coram me? Quid faciam igitur? Conuertere. Fac bonum: pius eſto. Hactenus hypocrita fuiſti: porrò me colas ex animo, ſicut à patre tuo hoc diſcere poteris.

Locvs. Hæc eſt concio diuina pœnitentialis, ex qua Prophetæ & Apoſtoli ſuam doctrinam hauſerunt. Quid enim hoc eſt aliud quàm id Eſa.1. verſ.17. Deſiſtite à malo & diſcite benè agere. Et Ierem.7.v.5. & 18 verſ.11. Conuertimini. Emendate vitam. Ezech.18.&.33. Si diſceſſerit impius. Conuertimini. Et Matth.3. & 4. pœnitentiam agite. Mar.1.v.15. Et Act.2.v.38. Pœnitentiam agite.

Hi enim accepti ſunt coram Deo, vt priorum iniquitatum non velit recordari. Ezech.18. verſ.22. Eſa.43.v.25. Mich.7.v.19. Pſal.103.v.12.

Hoc non fit propter opera iuſticiæ ipſorum, ſed propter Chriſtum, ſi in ipſum credamus: qui etiam Caino erat prædicatus à parente, quando de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis ipſum inſtruxit: ex Geneſ. 3. verſ.15.

Sic enim Paulus, acceptos nos fecit in dilecto. Eph.1.v.6. Et fides acceptam hoſtiam Abelis fecit. Heb.11. Hoc enim eſt opus Dei, vt credatis. Ioan.6.v.29. Sic opus fidei vocatur.1. Theſ.1.v.3.

Quiſquis ergo cupit acceptus eſſe coram Deo, (hoc autem omnes optant, ſi externam illorũ faciem intueamur)

mur) Deum timeat & piè viuat. Hic eſt acceptus Act. 10. verſ. 35. Quod ſi omninò peccauit homo, & excidit gratia Dei, vt Cainus ſua hypocriſi, tum rurſus per pœnitentiam ſeſe ad Dominum conuertat, & in filium credat. Huic vita promiſſa iam eſt. Ioan. 3. & 5. nec veniet in iudicium.

Sicque patet, quod doctrina de pœnitentia, vt eſt antiquiſſima, ita etiam ſaluberrima & maximè omnium neceſſaria ſit.

Nec eſt vt quiſquam conqueratur, Deo ſum inuiſus, & non acceptus: Neſcio quid faciam vt illum mihi propitium reddam, &c. quales ſunt voces illorum Mich. 6. verſ. 6. ſed reſpondetur, dictum eſt tibi ô homo. Ibid. v. 8. Idem inculcat Moſes. Deut. 30. v. 11. Et vitam aut mortem poteſt vnuſquiſque eligere. Ier. 21. v. 8. Deut. 30. v. 15.

II. Pars.

Alterum membrum concionis diuinæ eſt, vbi Cainum de peccato egregiè monet, vt caueat ſibi.

Primum autem de ſecuritate illius loquitur, dicens, Peccatum adhuc cubare & dormire. Inde fieri vt Cain nihil timeat, ſi maximè odio proſequatur fratrem.

Sumpta eſt ſimilitudo à cane generoſo aut beſtia, quæ dormiens nihil videtur læſura prætereuntem. At in foribus cubare dicitur: hoc eſt, mox euigilaturum. Sicut facilè excitatur, qui ad ianuas cubat, cum frequentes ibi homines egrediantur vel ingrediantur. Et hoc vult, peccatum (iram ſcilicet atque odium & concupiſcentiam occidendi fratrem) iam in corde accenſum, licet occultetur, tamen mox in actum poſſe erumpere, quia ipſe Cain ſit ſecurus, & vilipendat hoc facinus.

Deinde verò animo planè paterno modum præſcribit, quid agendum, ne Cain ſe Deo inimicum faciat. Sub te ſit appetitus peccati: tuque illi dominaberis. Prauam illam concupiſcentiam coherce, & animum iratum cohibe, nec patere, vt te vincat, ſed tu vince, conſtringe,

& fræna peccatum, ne in actum prorumpat, & tu fias homicida.

DOCET ipse Dominus Deus, Saluator omnium hominum, salutem nostram sitiens, his verbis duo, quæ in omni vita nostra obseruatu summè sunt necessaria, nisi Caino similes fieri velimus.

1. Vnum est hoc, vt agnoscamus, & frequenter meditemur, quæ sit conditio peccati in homine.

Etenim non mox apparet, quàm fœda & abominanda res sit, sed blanditur primum, dum concupiscimus malum: nec quicquam nociturum putatur. Sicut Satan sic Euæ persuadet, Genes. 3. v. 4. Sic Dauid non putat rem tàm grauem esse, aspicere, vocare, &c. alienam mulierem. At mox euigilat, & in actum prorumpit, vt patet hoc ipso loco in Caino, qui admonitionem illam contemnit. Maximum ergò tum imminet periculum, cum vile apparet peccatum. **Wann man vermeint / es sey wohl zu wagen. Es werde so viel nicht schaden.** Tunc dormit peccatum: sed ante fores. **Da geht es baldt an.** Securitas enim semper præcedit. Hic cauto peropus, ne mox euigilet. Inde hortatur Dominus, vigilate. De quo sæpissimè alias.

2. Alterum est, quomodo peccatum debeat cohiberi: sic scilicet vt dominetur illi homo, ne regnet. Roman. 6. v. 12. Idipsum vrget Paulus, monens, vt crucifigamus & mortificemus carnem cum suis concupiscentiis, Roman. 6. v. 6. Galat. 5. v. 24. Rom. 8. v. 13. Coloss. 3. v. 5. Resistendum ergo Spiritu. Et in seruitutem redigenda caro. Ego δουλαγωγῶ, 1. Corinth. 9. v. 27. Hoc fieri potest & debet crebra meditatione seuerissimi iudicij Diuini aduersus peccata, 1. Corinth. 6. vers. 10. Galat. 5. vers. 21. Cogitandum de iudicio, Syrach. 18. v. 24.

FINIS.

THE-

THEMA II. CLASSIS IX.

Hebr. 10. v. 26.

Si volentes peccauerimus post acceptam cognitionem veritatis, non vltra pro peccatis reliqua est hostia, sed formidabilis quædam exspectatio iudicii & ignis vehementia, qui deuoraturus est aduersarios.

Posset hoc Thema tractari in funere Apostatæ alicuius blasphemi & impœnitentis.

DISPOSITIO.

In hoc capite hortatur Apostolus Hebræos, ne deserant congregationem Ecclesiæ, nevè, vt capite 3. habet, (vers. 12.) desciscant à Deo viuente. Id enim nonnullos fecisse, hoc loco vers. 25. asserit. Huic exhortationi subiungit hæc quæ prælegimus verba, continentia grauissimam comminationem aduersus voluntarios Apostatas.

Quamuis autem durissima & tristissima sit hæc sententia Apostoli, tamen quia præsenti funeri accommodatissima est, eam iam lubet excutere, vt indè turpissimam illam apostasiam omnes Christiani discant abominari.

Verba autem Apostoli primum explicabimus: Deinde ad nostrum vsum accommodabimus.

Textus enarratio.

Multi ex Hebræis Apostolo teste turpiter defecerant à Christianismo. Ne igitur cæteri idem faciant, & turpem illam apostasiam (quod plerumque fit) pro leui delicto habeant, ideò hanc comminationem subiungit, vt hac tanquam tonitru corda illorum feriat.

1. Minatur itaque Apostatis, qui cognitionem veritatis acceperunt, & tamen deficiunt, quod nullam ipsi hostiam pro pecatis, hoc est, nullam peccati istius atrocissimi remissionem aut expiationem sperare possint.

Quia

Quia enim nullum eſt ſacrificium pro peccatis, præter Chriſti meritum, & illud non niſi credentibus applicatur: hi verò fidem non habent, ſed meritum Chriſti ſacroſanctum conculcant, &, vt v. 29. ait Apoſtolus, ſpiritum gratiæ contumelia afficiunt, atque ſanguinem Chriſti, quo ſanctificati ſunt, pro re prophana habent, adeoq; ſibiipſis filium denuò crucifigunt. Heb. 6. verſ. 6. &c. certè non poſſunt vllam ab ipſo ſperare ſalutem.

2. Neque verò tantum corporales pœnæ ipſis exſpectandæ, nec morte etiam finietur ſupplicium, ſed exſpectandum illis tremendum iudicium, quo condemnabuntur ad ignem æternum.

Quam horribilis ſententia illa ſit futura, cum audient, Abite in ignem æternum, nemo verbis explicare poteſt.

3. Notandum autem, quod quamuis aliâs nulli hominum ianua gratiæ claudatur, tamen de voluntariè peccantibus apoſtatis, qui non ex infirmitate vel metu periculi (vt Petrus) ſed voluntariè ἑκουσίως, Mutwillig/ fürſetzlich vnd wiſſentlich/ à Deo deficiunt, agnitam veritatem abnegant, & inſuper malitiosè, contrà propriam conſcientiam blaſphemant; de his inquam pronunciatur, quod ad remiſſionem peccatorum, impetratam per Chriſtum, non perueniant. Ratio: Quia ſatisfactionem Chriſti & omnia organa ſalutis directè impugnant: atque ſic iuſto Dei iudicio indurantur, vt non redire poſſint per pœnitentiam.

LOCI.

I. Videmus quodnam illud ſit peccatum irremiſſibile, de quo Chriſtus Matth. 12. verſ. 31. Marc. 3. verſ. 28. & Ioannes 1. Ioan. 5. verſ. 16. videlicet illa voluntaria apoſtaſia à Deo, coniuncta cum propoſito reſiſtendi veritati, & blaſphemia, atque finali in apoſtaſia perſeuerantia, quæ ex iuſta illa induratione & ſenſu reprobo Rom. 1. verſ. 28. ſequitur.

Idque irremiſſibile eſt, non quod Chriſtus non ſatisfece-

fecerit pro hoc, sed quod illius satisfactio ab his Apostatis blasphemis reiiciatur.

Facit autem illa induratio vt de salute talium cogamur desperare.

Estque magna differentia inter hoc peccatum & inter cætera: vt Petri abnegantis, Pauli persequutoris, & Dauidis peccata. Paulus quidem ignorans peccat. 1. Tim. 1. vers. 13. ex zelo quodam præpostero, Act. 22. vers. 3. Dauid vero sciens volensque peccat, (sicut omnes qui peccant contra conscientiam:) Petrus ex infirmitate & metu, sciens tamen abnegat. At hi media salutis non abiiciunt, blasphemant, impugnant: sed per pœnitentiam redeunt ad Dominum.

Isti verò Apostatæ voluntarii & blasphemi omnia salutis media pedibus conculcant.

Cauenda itaque omnia huius peccati initia, nec vlla ratione veritati resistendum. Hic enim primus gradus est ad apostasiam. Et mox sequitur id 2. Thess. 2. vers. 11. Eritque multò grauior damnatio talium apostatarum, quàm aliorum. Horrendum iudicium.

II Cogitantes de horribili illo & tremendo ignis æterni iudicio, nunquam peccabunt. Syr. 7. vers. 40. At quia securè hæc contemnimus, audacter peccamus. Christianus igitur totus meritò cohorrescit, si audiat de ineffabili cruciatu illo, de quo Esa. 66. v. 24. Matth. 25. Mar. 9. Rom. 2. 2. Thess. 1. Apoc. 21. vers. 8. Vbi gradus etiam cruciatuum erunt, teste Christo. Mat. 11. & Luc. 11. At leuissima damnatio erit ignis perpetuus, cum mala conscientia, priuatione aspectus Dei, conuersatione Diabolorum horribili coniuncta: & talis omninò quæ verbis explicari nequit.

Quod si tamen finis post aliquot annorum myriades esset sperandus, tolerabilior esset cruciatus. At nulla redemptio. O Ewig Ewig wie bistu so lang. De hoc sæpè cogitandum.

FINIS.

THE-

Thema III. Classis IX.

1. Sam. 25. v. 38.

Post dies decem percussit Dominus Nabal, & mortuus est.

In funere impii alicuius, nobilis, diuitis, Epulonis &c.

DISPOSITIO.

Luc. 6. vers. 24. Christus ait: Væ vobis diuitibus, quia habetis iam consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Et væ tibi ridenti, quia mox post gaudia flebis. Huius rei insigne documentum capere possumus ex præsenti historia de Nabalo. Etenim qui ante dies decem fuit ditissimus, is iam est pauperrimus: Et nullam sentit consolationem moriturus, ex omnibus bonis suis. Et qui fuit ebrius nimis vers. 36. iam sitire incipiet in inferno. Cuius cor erat iucundum & vultus hilaris, iam est perturbatissimus & afflictissimus. Quia subitò abripitur per mortem.

Videamus itaq; 1. Tragicum illius exitum ex hac vita. 2. Et quæ huius causa fuerit.

I. *Pars.*

Erat in Carmelo vir illustri & nobili genere natus, ex familia Caleb, nomine Nabal. Diues erat agri pecorisque. Patet ex vers. 2.

Is licet fuerit erga alios tenacissimus, tamen sibi benefacit, & lautè viuit, vt patet ex vers. cap. 36. Et in multis similis diuiti Epuloni. Luc. 16.

At iam præter exspectationem abripitur subitò. Et miserè perit, vt patet ex sequentibus.

1. Moritur cum perpetua nominis sui infamia. Illius enim memoria est maledicta, sicut Iudæ & Pilati. Ideoque etiam nemo ipsius obitum luget, nec vxor (Die ist froh daß sie deß Narren ist loß worden.) nec domestici, qui sciunt ipsum esse stultum, vide vers. cap. 17. & 25.

Quin

Quin imò ſicut Dauid lætatur ſuper ipſius obitu, verſu c.39. ita omnes boni. Iſt jederman froh daß er hinunter.

2. Sua bona inuitus relinquere cogitur aliis. Et verum ipſi accidit id Iob. 27. v.19. & ſequentibus. Et Eccleſiaſt.5.verſ.13.

Imò quem ille odit, is fit hæres bonorum, Dauid ſcilicet, qui viduam accipit vxorem.

3. Et quod maximum eſt, moritur iuxta Pſalm.49.v. 21. ſicut beſtia. Quia iudicio & ratione caret. Cor eius ſicut lapis induratur. Vide verſ. 37. Non commendat animam Deo. Et ſic deſcendit ad inferos, ſine lux & ſine crux, vt eſt in prouerbio. Nihil enim conſolationis ſentit. Sicque ſatius eſſet ipſum nunquam natum. O ter quaterque infelicem hominem nobilem, opulentum &c.

L. Diſcant hoc loco Nobiles, illuſtres perſonæ, diuites & opulenti, & ſtrenui potatores, (heroës illi Eſa. 5. verſ. 22.) & alii, qui omni tempore Bacchanalia (quod dicitur) viuunt, de morte Nabali: cui nec gentis nobilitas, nec diuitiæ nec animus ex vino hilaris, quidquam adfert præſidii aut ſolatii. Nonnulli ex ipſis opinantur, ſicut in terris habeant prærogatiuas varias, ſic etiam Deum non audere cum ipſis durius agere.

At quia Deus non magis agnoſcit diuitem quàm pauperem. Hiob. 34. v. 19. & non accipit perſonam cuiuſque: ideoque hoc potius ipſis euenit, quod Sap.6.v.7. habetur, Potentes potenter patientur tormenta.

Nec proderunt diuitiæ in die iræ. Prou. 11.v.4. imò magis perturbabunt, quia relinquendæ cum gemitu. Eccleſ. 5.verſ.15.

Neque impietas liberabit moriturum. Eccleſ.18.verſ.8. Er muß fort. Quid igitur agendum talibus?

1. * Sic viuant vt poſt ſe relinquant nomen bonum. Prou.22.v.1. Syr.42.v.15. Eccleſ.7.v.2. Et vt ſint diuites bonis operibus atq; colligant ſibi theſaurũ. 1.Tim.6.v.19. faciantq; ſibi amicos vt recipiãtur in æterna &c. Luc.16.v.9.

2. Inprimis verò Deum vt habeant propitium, grati

ſint

ſint propter illa bona, quæ acceperunt, & pietati ſtudeant, vt cum cætera omnia relinquenda ſunt, ipſi poſſint gaudere de theſauro illo in cœlis, Matth.6.v.20.

Tales diuites & illuſtres viri erant Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, Loth, Ioſephus Arimatienſis.

Pauperes verò & inferioris conditionis homines, quia vident quàm difficile ſit, diuites ingredi in regnum cœlorum, Matth.19. Marc.10. non optent ſibi multas diuitias: ſed viuant ſua ſorte contenti. Prou.30.v.8. cum nihil intulerimus in mundum.1. Tim.6.v.7.

Et nudis egrediendum ſit tàm diuitibus, quàm pauperibus, Iob.1.v.21. Eccleſ.5.v.14. Ibi autem omnes erunt illuſtres & diuites, qui hic pij fuerunt. Exemplo Lazari patet, Luc.16.

II. Pars.

At quæ cauſa mortis ſubitaneæ & improuiſæ? Non erat ſenex ille Nabalus, vt patet ex hiſtoria: neq; valetudine ægra ſemper & infirma, ſed v.36. legitur, cor ipſius iucundum fuiſſe. Er war wohl auff vnd gutes muths.

Nec ab hoſtibus occiditur: quod uerterat vxor prudens, verſ.34.

At vno verbo cauſam mortis ſcriptura ediſſerit, Dominus percuſſit eum. Das thats.

Neque ſine cauſa percuſſit. Indignus enim erat quem terra ferret diutius. Nam verſ. 3. dicitur impius & malitioſus in vita ſua. Immiſericors, durus, ebrioſus, inhumanus, auarus, & ſumma vt dicamus omnia, ſtultus, iuxta nomen ſuum, verſ.25.

L. De his Domini percuſſionibus (quando ſcil. morbis grauiorib. eos affligit, vt Ægyptios & Philiſtæos, 1. Sam.5. vel vitam abbreuiat impiis) ſæpè cogitandum. His autem qui non audiunt vocem illius, dicitur, Percutiet te Dominus. Deut.28.v.22.& 27.& 35. Percutiet Iſrael Dominus. 1. Reg.14.v.15. Vide Ier.2.v.19. Sic percuſſit Ieroboam, 2. Par. 13.v.20.& Ioramum, 2. Paral.21. v.18. vt præmatura morte abriperentur.

Licet autem non semper percutiat, tamen non debemus inde coniicere, quod delectetur ipsorum peccatis, sed tum id vult dicere, Quid vltra percutiam? Esa.1. v.5. Ier.2. v.30. & reseruat maioribus tormentis.

Caueamus ergo illa peccata Nabalis suprà commemorata. Illa latius possunt diduci. Et pietati studeamus, si volumus euitare illas plagas.

Licet enim pios nonnunquam quoq; percutiat Dominus, vt filium Dauidis, 2.Sam.12. v.15. & Hiobum, &c. tamen illæ plagæ sunt paternæ, & cum iudicio fiunt. Vide Esa.27.v.9. Et quos ita percussit, mox etiam sanabit. Vide Esa.19. v.22. & Hos.6. vers.1. Impiis autem cedunt ad exitium, vt Nabalo.

FINIS.

THEMA IV. CLASSIS IX.

1. Sam.31. v.1. ad 7.

De interitu Saulis & armigeri atq; filiorum.

DISPOSITIO.

In historia Saulis legimus inter cætera, quod cum mediante Pythonissa Diabolum consuluisset, ibi tum personam Samuelis, & habitum mentitus Spiritus ille ἐπιχαιρέκακος, hoc ipsi Regi nuntiauerit, cras mecum eris, 1. Samuel. 28. vers. 19. Hæc itaque particula historiæ nobis ostendit, quâ viâ Saul ad orcum descenderit, cum suo armnigero: vbi simul interitus filiorum Saulis notatur.

Quamuis autem Spiritus ille mendax [Ioan.8.] vt semper aliàs, ita etiam loco allegato vera falsis miscuerit, asserendo, quod etiam filij Saulis cum ipso sint futuri, tamen hîc diuersum patebit ex circumstantiis. Nos seriem rerum gestarum sequemur, & de piè mortuis primum, deinde de desperatis aliquid dicemus. Sunt ergo triplices personæ considerandæ.

1. De filiis Saulis fortiter pugnantibus, & occisis.

2. De Saule desperato.

3. Et tandem etiam de armigero dicendum.

Quia filii ante patrem occubuerunt: & armiger post regem suum, Rex verò medius in his interiit.

I. *Pars.*

Fortissimè pro patria & parente dimicant tres filii Saulis, quorum nomina hîc exprimuntur. De Ionathano constat quod fuerit piissimus. De cæteris scriptura non asserit, quod paternæ impietatis fuerint participes. Pios ergò fuisse credendum.

Quia verò Philistæi à Domino contra Saulem excitati fuêre, vt tandem pœnas daret & periret, huic malo filii, qui circa parentem sunt, inuoluuntur, & occiduntur ante faciem patris.

Miserabilis sane fuit hic casus Sauli, at non est mors illa filiis damnosa: vbi Deus quidem propter impietatem patris etiam filios sinit occumbere, at non vt pereant, sed vt cum laude moriantur, & pro regno, quod illis perdiderat pater, cæleste regnum accipiant.

Et non vna ratione benè egit cum ipsis Dominus.

1. Moriuntur vt heroes & pro patre atque patria pugnant. Sicq; memoria ipsorum celebris etiam post mortem.

2. Non vident desperationem patris horrendam, quæ illis morte longè fuisset grauior & acerbior.

3. Non vident se à regno excludi: sed sic ad meliorem conditionem promouentur.

Vsvs. Non infeliciter viri boni & fortes, etiam in bello moriuntur. Possunt ibi pii milites bona cum conscientia, & magna cum laude occumbere, si animam prius Deo commendarunt piis precibus.

Satis est sic mori, quam diu cum morbis conflictari. Es ist besser vff grüner Heiden sterben / als lang vff dem Siechbett ligen.

Iosias in prælio vulneratus obiit. 2. Par. 35. Iudas Machabæus.

thabæus.1.Mac.9. Itaque tales nec damnandi, nec infeliciores aliis censendi: si fuerint similes Ionathano.

At pauci sunt tales nostro tempore milites.

II. Si maximè liberi sentiant aliquid mali propter parentum impietatem, id tamen animæ non nocebit, sed erit tantum temporalis afflictio, vt hoc loco.

Vide Ezech. 18.vers.14. Et visitat Deus iniquitatem patrum, at in his tantum, qui oderunt. Ex. 20. v. 5. Piis autem afflictio non erit damnosa.

II. *Pars.*

Videns Saul filios suos occubuisse, & in ipsum omne pondus prælii versum esse, vt grauissimè vulneratus de vita etiam sua desperare cogatur, debebat confugere ad Dominum, & dicere illud Iosaphati. 2. Paral.20.vers.12.& illud Dauidis Psal.77.v.4. Atque rogare Deum, vt animæ tantum parcat. &c. At quia verbum Domini reiecit, iam nullam sentit consolationem.

Ideoque tantum de suo honore est solicitus: mandat armigero vt se stricto ense transadigat, ne Philistæi viuum capiant & ignominia afficiant. Recusante armigero, ipse suo gladio incumbit, & sic moritur. Fähret also Warm zu dem/ qui dixerat, cras mecum eris: quod clarè patet ex verbis 1. Paralip.11. vers. 13. mortuus est in peccatis suis.

L. I. Videmus quis sit tandem exitus eorum, qui verbum Domini abiiciunt, quod de Saule dicitur 1. Sam. 15. vers. 23. licet speciem pietatis retineant, vt idem ibidem vers.24. Experiuntur tandem id Prou. 1. vers. 24. Sic Iudas nihil curans verba Christi admonentis vt resipiscat, periit. Matth. 26.vers.24. Sic Cain spernens concionem ipsius Domini. Gen.4.vers.7. Itáque non obturanda corda, nec aures. Psal.95.v.8.

II. De autophoneutis quid sentiendum, ex loco allegato 1. Paralip. 11.& Saulis exemplo patet, quod pereant in peccatis. Ideoque etiam honesta sepultura indigni

censentur meritò. Cauendum ergò ne quis de misericordia Dei desperet. Videatur Augustinus de Ciuit. Dei. lib. I. cap. 17. & 20. & 22. & 25. & 27. De morte voluntaria, & quod peccatum per peccatum non debeat declinari. Aliter autem de his iudicandum, qui ex Melancholia (quæ rationis rectæ iudicium adimit) sibiipsis manus inferunt. De Saule, Ahitophele, Iuda, alia est ratio. Et vita anteacta probè consideranda.

III. Videmus hypocritas magis de temporali gloria, quàm de æterna & cælesti esse solicitos. Saul timet ignominiam à Philistæis, sed de æterna damnatione nihil est solicitus. Idem Abimelech, Iud. 9. vers. 54. sentit quod hîc Saul. Sic alij multi. Nos gloriam æternam quæramus: quia omnis gloria mundana perit.

Et caueamus ne æternam ignominiam inferant nobis peccata.

III. *Pars.*

Rectè facit armiger Saulis, quod non vult interficere Regem: quamuis terror magis quàm pietas hoc prohibuerit. Male verò agit, quod non animum addit Regi perturbatissimo, & solidas ex scriptura consolationes affert. Peius etiam quod non impedit propositum heri sui. Pessimè autem, quod exemplum Domini imitatur, & ipse etiam incumbit suo gladio.

L. I. Videmus quid accidat his, qui confidunt in Principibus, hominibus scilicet mortalibus. Exiuit spiritus eius. Psal. 146. v. 4. Itaque bonum confidere in Domino. Psal. 118. v. 8. & 9.

II. Qualis Rex talis grex, & qualis Dominus talis seruus. Et Regis ad exemplum. &c. Vide Syr. 10. vers. 2. Et putant nonnulli, Dominos suos pro ipsis reddituros rationem. At quisque suum onus portabit. Gal. 6. v. 5. Itaque Domini pios sibi quærant ministros, sicut Dauid. Psal. 101. v. 6. Ministri non nisi piis seruiant.

FINIS.

THEMA V. CLASSIS IX.

2.Sam.13.verſ.28.

De Ammone inſidiis fratris Abſalonis trucidato in conuiuio.

In funere impii,& ebrii, inter pocula à compotore occiſi, tractari poteſt.

DISPOSITIO.

Horrendus caſus hoc loco deſcribitur, quomodo ſcilicet Ammon ille Dauidicus, ebrius & incautus, in conuiuio inter pocula (non ſecus ac canis rabioſus) trucidatus fuerit. Cum itaque hiſce diebus ſimile aliquid (licet circumſtantiæ non per omnia ſint eædem) acciderit apud nos, hanc hiſtoriam paucis explicabimus, & tres perſonas conſiderabimus.

1. Mandatorem cædis Abſalonem.
2. Seruos occidentes, ſiue mandatarios, vt vocant.
3. Ammonem occiſum.

I. *Pars.*

Abſalon more vſitato(quod patet ex 1. Sam.25.verſ.36.) cum tonderentur ipſius oues in Baalhazor, conuiuium parat: & accerſit in conuiuium fratres & ſorores,atque in his Ammonem,quem Rex inuitus dimiſerat.Cumque hactenus illi toto biennio ne verbulum quidem fuerit loquutus,tamen iam ſimulat ſe illi reconciliatum.Ideoque Ammon comparet. Sed ideò inuitatur, vt occidatur & opprimatur in ipſo conuiuio. Sic enim Abſalon mandat pueris ſiue ſeruis, vt ebrium, & nihil tale metuentem,occidant. Et videtur ſibi Abſalon huius rei habere cauſas iuſtas & grauiſſimas: vt ſcilicet vlciſcatur ſtuprum illatum ſorori Thamar, ante biennium. At grauiſſimum peccatum idque multiplex admittit.

1. Quod ſimulat beneuolentiam erga fratrem, & premit altum corde dolorem atque odium.

2 Quod parentem, confratres atque sorores magno afficit mœrore. Vide verſ.31.

3. Quod homicidium, imò fratricidium committit. Nam quod per alios hoc facit, per ſe feciſſe putandus eſt.

4. Quod ebrium trucidari mandat, & ſic quantum in ipſo corpus & animam fratris perdit.

5. Quod ſeruis præbet offendiculum, & author ipſis eſt ſceleris huius.

6. Quod inſuper magno cum ſupercilio hoc mandat. Nolite timere. Ego ſum qui præcipio: q. d. Quis eſt, qui me hanc ob rem reprehendere poſſit. Trutz daß mir oder euch jemand ein Haar darumb krümme.

Nec eſt quod cogitet quiſquam, iuſtam fuiſſe hanc pœnam. Etenim Abſalon non erat Magiſtratus. Ideoque priuata eſt hæc vindicta.

Et tantò maius ſcelus, quod inſidias ſtruit fratri, & non aperte agit, non accuſat fratrem. &c.

L. I. Cauendum odium, quod facilè homicidas facit. Exemplum Cain, & fratrum Ioſeph. Gen. 37. verſ. 18. Sumus omnes fratres, ſi non ratione ſanguinis ſicut hi duo, tamen creationis & hæreditatis ratione. Vnus pater, vna ſpes vocationis. Epheſ. 4. verſ. 5. Facile inter fratres oriuntur offenſiones. At faciles etiam debent eſſe ad reconciliandum. Sol non occidat. Epheſ. 4. verſ. 26. Ira non tranſeat in odium durabile.

Inprimis cauenda vindicta priuata. Mihi vltio. Deut. 32. verſ. 35. Maximè verò homicidia. Quia pretioſus eſt ſanguis humanus coram Deo. Gen. 9. verſ. 5. Homicida non habet vitam. 1. Ioan. 1. verſ. 15. Nec vllam excuſationem meretur homicida quicunque is ſit: & quocunque nomine ab occiſo læſus: quia magiſtratui commiſſus eſt gladius non priuatis. Rom. 13. verſ. 4. Nec poteſt aut debet quiſquam eſſe iudex in propria cauſa.

II. Magno cum ſupercilio mandat hanc cædem Abſalon, quia putat ſe filium Regis, adeoque à nemine reprehen-

prehendendum. Tales multi ſunt ex filiis potentiorum, diuitum, nobilium &c. qui ſibi omnia licere putant. At Deus non reſpicit perſonam. Deut. 10. & 16. 2.Par.19. Syr. 35. Act.10.Iob.34.verſ.19. Darumb iſt jme auch der Abſalon nicht zu hüpſch/ Er muß hangen. Et viciſſim mandatur pueris vt occidant. 2.Sam.18.v.15.

Pietatem itaq; potius ſectentur qui magno loco nati ſunt. Alias potentes patientur potenter. Sap.6.v.7.

II. Pars.

Videamus etiam ſeruos Abſalonis. Illi ſtudioſè obſeruant mandata heri. Et facilè ſibi patiuntur perſuaderi hoc factum. Hätt er ſie etwas rechts geheiſſen/ ſie weren nicht ſo gefliſſen geweſen.

Sed haud dubiè fuerunt ſimiles Abſaloni in impietate. Quia ſimilitudo eſt mater amoris.

Et videntur ſibi non malè agere, quod exſequuntur mandata heri ſui. Wir laſſens jhne verantworten.

Debebant potius herum dehortari à propoſito: aut monere de hoc vel Dauidem, vel Ammonem, aut alios Regis liberos: aut tamen ipſi non inferre manus filio Regis temulento. At ſunt Abſaloni ſimiles, & haud dubiè poſt cum illo perierunt.

L. His ſeruis multi hodie ſunt ſimiles, qui ſe putant excuſatiſſimos fore, ſi faciant quod habent in mandatis. Maximè verò in gratiam Magnatum multi peccant, & hos pro ipſis aliquando rationem redituros opinantur. At quiſque ſuum onus portabit. Gal.6. Dein Herr wird nicht für dich in die Höll fahren. Parendum Magiſtratui & Dominis: at iuſta præcipientibus. In cæteris tenenda regula Petri. Act. 5.verſ. 29. Oportet Deo magis obedire. Et huc pertinent exempla obſtetricum Ægyptiacarum, Ex.1.v.17; ſeruorum Saulis. 1.Sam.22. v.17. Danielis & ſociorum Dan.6.v.10.& 3.v.18.

Hoc igitur agendum, vt ſeruiamus Deo in bona conſcientia, Act.23.v.1.

III. Pars.

Restat vt de occiso etiam Ammone dicamus. Absalon hat nicht recht gethan: Aber Ammon ist nicht vnrecht geschehen. Is incestum commiserat cum sorore. Nec punitur à patre, quia primogenitus & dilectus. Punitur ergò à Deo & tum, cum ipse non amplius de scelere suo cogitat. Etenim anima quæ fecerit abominationes istas peribit. Leuit. 18. Perit itaque hîc miserè, ebrius & imparatus ad mortem: atque anima quoque (vt metus est) & corpore interiit infelix. Ideò quotidie luget ipsum pater. Vide vers. 37.

L. I. Ammon lætus conuiuatur, nec finem vitę instare putat, & tamen occiditur. Docet nos semper cogitare illud, Extrema gaudii luctus occupat. Prou. 14. v. 13. Ideoque semper memento mori, Syr. 7. vers. 40. Et non procrastinanda pœnitentia post peccatum, sicut Ammon fecit. Non enim legitur egisse pœnitentiam: nec pœnas dedisse. Imprimis cauenda ebrietas: Nescimus enim quando perimus. Mar. 13. v. 33.

L. II. Nemo securus sit, si maximè non mox puniatur: sicut plerunq; fit. Eccl. 8. v. 11. Gott kan die sach wol borgē.

L. III. De incestu & scortationibus cauendis dici potest. Illis enim iudicium denuntiatur. Heb. 13. v. 4. Gal. 5. v. 21. 1. Corinth. 6. vers. 10.

L. IV. Deus punit scelera, quæ Magistratus non vult punire.

FINIS.

THEMA VI. CLASSIS IX.

2. Sam. 18. v. 9. ad 16.

De Absalone miserè trucidato.

In funere alicuius filii inobedientis, iusto Dei iudicio miserè occisi, tractari potest.

DISPOSITIO.

Sicut memoria iusti in benedictione est, Prou. 10. ita memo-

memoria impii in maledictione. Et ſicut, Chriſto teſte, bonum opus hominis pii ad perpetuam ipſius laudem deſcriptum eſt à Spiritu ſancto: (Matth. 26. v. 13.) ita ſcelera impiorum ad perpetuam eorundem ignominiam in ſcripturis annotata extant. Hinc Pilati & Iudæ memoria nondum intercidit.

Eadem ratione Abſalonis mentio fit etiamnum hodie, non tantum ad ipſius perpetuam infamiam, ſed etiam propter omnes eos, qui eadem impietate laborant, vt ſciant quid ipſis exſpectandum ſit. Tria autem notabimus.

1. Quomodo Abſalon iuſto Dei iudicio neci datus, in quercu penſilis factus ſit.

2. Quomodo id Ioabo fuerit nunciatum.

3. Quomodo Abſalon à Ioabo confoſſus, & à pueris ipſius trucidatus, & tandem ſepultus fuerit.

I. *Pars.*

Abſalon ſeditioſus exercitum magnum ducit contra patrem, & ipſe vnà egreditur militatum, vt ſcilicet ſic trahatur ad pœnam. Populus Dauidicus multo minori numero egreſſus ad pugnam, vbi primùm in ſaltu Ephraim Iſraeliticos (qui ſequebantur Abſalonem) adortus eſt, mox ita fudit fugauitque eos, vt in fuga ſaltus plures conſumeret de populo, quam gladius vorauerat. Sic enim Textus habet. verſ. 8. Quia enim malam fouebant cauſam, tanta oritur trepidatio: Daß ſie ſich nicht redlich vmb jr Haut dürffen wehren.

Abſalon verò mulo inſidens & ipſe fugit ſtrenuè: Sed fugere volens militem patris, incidit in manus illius, & occurrit his quibus tergum obuertere volebat. Ecce Diuinam vltionem & manum Dei. Non enim fortè fortuna hoc accidit. Sed nondum ſatis. Cum nemo eſſet ex Dauidicis qui illum capere & vinctum regi tradere cuperet, ecce Deus illum vincire & ligare voluit, & propriis crinibus illum alligauit arbori.

Cum enim mulus ingressus esset subter condensam quercum, adhæsit caput illius quercui.

Erant enim illius capilli ita comparati, 2.Sam.25.v.26. vt possent hominem iusto Dei iudicio suspensum detinere. Sic itaq; pendet suspensus inter cœlum & terram miserrimus, derelictus à Deo & hominibus, imò etiam ab animali, quo vectus erat. Mulus enim ipse etiam aufugit, relinquens sessorem.

Loc. Vide obsecro mirabile iudicium Domini, quomodo is sontes ad supplicium trahere possit. **Er kan einen recht bey dem Kam̃ / vnd bey den Haaren erwüschen.** In prouerbio est, Regibus longas manus. At Deo sunt manus longæ, qui & Regum filios & sceleratos quoscunque sic potest retrahere ex fuga (vbi opinantur, se Dei manum velle aut posse effugere) & ligare, vt neque in cœlo neq; in terra tutum inueniant præsidium. Hinc Psal.139.v.7. Quò fugiam? Et Obad.vers.4. Si nidum posueris in cœlum, &c. Vide etiam Amos 9. v. 2. & sequentibus. **Vnd wann der Fuchs noch listiger were / wann er zeitig ist / so muß er den Balg selbs zum Kürßner tragen.** Nemo itaq; peccet sub hac spe, quod velit effugere pœnam. Si enim hîc nō comprehendet te Dominus, illic tamen manifestari oportet ante tribunal, 2.Cor.5.v.10. Et Regibus etiam parata fouea, Esa.5.v.14. & 30.v.33. & omnibus, qui in his terris effugiunt pœnas.

II. Pars.

Vir quidam ex Dauidicis conspicatus Absalonem pendentem, nuntiat id Ioabo. Ibi disputatur à milite & Duce, vtrum occidendus Absalon. Et rectè miles monet Ioabum, atque in memoriam reuocat mandatum Regis, de non occidendo Absalone.

Ioab verò diuersum statuit, & seditiosum non iudicat esse dignum qui viuat. Et hic quidem pecunia mortem Absalonis volebat emere. Alter verò pecunia vitam illius redimere. Vide Text.vers.12. Certum autem est, hic militem

tem rectius sensisse Duce suo. Licet enim Absalon indignus erat qui viueret, tamen à Ioabo non erat occidendus, propter edictum Regis: nec trucidandus in peccatis, ne corpore & anima simul periret. Regi tradendus erat vinctus, qui de ipso poterat statuere, tanquam Magistratus ordinarius.

L. Multi inter nos hodiè sic opinantur, & cum Ioabo sentiunt, homines nequam ab obuiis quibuscunque posse & debere trucidari impunè: & quia manifesta sint ipsorum scelera, non fieri ipsis iniuriam. **Sie seyen mit drey Hellern bezahlt.** At nemini licet occidere & punire sontes præterquam Magistratui, cui soli à Deo commissum est ius gladij, Rom.13.v.4. Ideoq; Abisai prohibetur à Dauide, ne occidat Saulem, mille mortibus dignum, 1. Samuel.26.v.9. Imò ne Semei quidem vult ab ipso occidi, ne ex priuato affectu videatur fecisse, 2. Sam.16.v.11. Sed indignus est qui viuat?

Respond. Deus est, qui ipsum suo tempore rapiet ad supplicium. **Laß du jne hangen vnd leben** / sicut hic nuntius. Quia non Rex tantum, sed Deus tibi priuato dixit: Non occides.

III. Pars.

Ioab omnis moræ impatiens sublatum vult Absalonem. Tribus ipsum telis configit pendentem. Mandat pueris, vt detractum occidant. Sic enim ipse olim suis mandarat pueris de Ammone, 2. Sam.13.v.28. Occisum lapidibus obruunt. Sic anima & corpore perit.

L. Vide miserabilem interitum hominis illustris, filij Regis, formosissimi omnium. Non vno genere mortis perit: sed 1. suspenditur, 2. confoditur viuus, & quidem tribus telis. 3. Cumque adhuc viueret magno cum dolore, crudelissimè de quercu detractus, fustibus vel armis aliis trucidatur tanquam canis rabidus. Erat enim fratricida & (quantum in ipso) etiam parricida, & incestuosus, qui patris thorum violauerat, &c.

Vide

Vide etiam ſepulturam. Non contigit illi quod regibus gentilibus Eſa. 14. verſ. 18. Non in domo ſua, non ad ſtatuam quam erexerat ſepultus eſt ſed in ſyluis, in ſpelunca, non terra tectus (quam polluerat) ſed lapidibus. Et quod grauiſſimum, æterno igni vſtulandus traditur. Sic ſcilicet Dominus exemplum ſtatuere voluit, vt diſcerent filij immorigeri & inobedientes, quid de ipſis ſit futurum. Deut. 21. verſ. 18. Vult lapidari. Et coruorum eſcam fieri Salomon aſſerit. Prou. 30. v. 17. Si illud non fiat fient tamen eſca vermi non morienti. Eſa. 66. v. 24. & mors depaſcet eos. Pſ. 49. v. 15. Ergo obſerua quartum præceptum.

FINIS.

THEMA VII. CLASSIS IX.

2. Sam. 18. in fine.

Luctus Dauidis ſuper interitu filii Abſalonis.

In funere filij impii in peccatis mortui tractari poteſt.

DISPOSITIO.

Chuſi nuntiaturus Dauidi obitum filij ſeditioſi Abſalonis, ſic affatur Regem: Bonum apporto nuncium, Domine mi Rex. Hie gute Bottſchafft. Iudicauit enim pro te Dominus hodiè de manu omnium, qui ſurrexerunt contra te. Solet autem aliàs bonum nuncium magno perfundere gaudio. At hîc contrarium euenit. Verſa enim eſt victoria in luctum in die illa, (2. Sam. 19. verſ. 2.) propter vehementem illum dolorem, quem concepit Rex ex interitu filij inobedientis & ſeditioſi, qui patrem regno eiecerat, vxores patris violauerat, &c. Res mira.

Videamus igitur 1. Quare Rex ſic luxerit hunc filium: Et quid maximum afferat parentibus luctum.

2. Quid faciendum ne in tales luctus incidant parentes.

I. *Pars.*

Legimus 2. Sam. 12. quod Dauid ægrotante filiolo chariſ-

charissimo luxerit, at ipso vita functo lotus vnctusque sit, & mutata veste comederit panem. At cum Ammon occisus esset legitur ipsum luxisse quotidie. 2. Sam. 13.

1. Nunc quoque suprà modum perturbatus est: & totum cœnaculum replet eiulatu, subinde inclamans Absalonem. O Absalon, Absalon. Fili mi, fili mi, fili mi. Vide etiam 2. Sam. 19. v. 4.

2. Sed & lachrymas fundit, & flet amarissimè.

3. Imò hoc vnum optat, vt morte sua vitam filij redimere possit. Vtinam ego pro te sim mortuus.

Quid hoc rei? Numquid non lætari potius debebat, propter sublatum hostem, seditiosum? Certè etiam Ioabo videtur res indigna. Vide 2. Sam. 19. v. 6. & seqq.

Numquid ita dolet mortem filij successoris in regno? Minimè. Habebat enim plures.

Numquid infamia ista filij occisi afficit ipsum? Sed hæc nondum est causa principalis.

Cogitat etiam de suo peccato, per quod sibi hæc mala accersiuit? Maximè quidem mordet conscientia. At aliud tamen est quod pungit Regem, hoc scilicet, quod scit filium occisum in peccatis, & æternæ damnationi iam adiudicatum.

Ideo pro ipso mori optauit, vt haberet filius spacium pœnitentiæ. Nunc verò ex inferis nulla redemptio.

Videmus quid maximum afferat parentibus piis luctum: interitus scilicet malorum liberorum, qui in peccatis pereunt.

Multi nimium lugent filiolos infantes, de quibus tamen certi esse possunt, quod sint salui: cum ipsorum sit regnum cœlorum, Mar. 10. v. 14.

Et ideò sint ex hac vita translati, vt salui fiant, Sap. 4. v. 14. Et quos præmisimus tantum, 2. Sam. 12. v. 23.

Contra alij parum afficiuntur, si maximè liberi, qui ad iustam ætatem peruenerunt, in impietate sua decedant. Imò ipsi interdum (præsertim hi quorum Deus est venter, Phil. 3. v. 19.) hoc agunt, vt prospiciant liberis de

victu;

victu; quidcunq; fiat de anima illorum, de hoc ipsi nihil sunt soliciti. Ideoq; parum curant, quamcunq; liberi sectentur religionem. Multi quoq; scientes volentes liberos vel inuitos etiam in Monasteria detrudunt, aut Pontificiæ Religioni addicunt, vt corpori bene sit in his terris: Sic se officio suo defunctos putant probè.

Hi certè meritò debebant lugere obitum suorum liberorum, quos ipsi ad orcum detruserunt.

At mundus semper est & manet immundus.

Liberi verò hoc agant, ne sibiipsis cum Ammone & Absalone damnationis causa sint, & parentes in talem luctum amarissimum coniiciant.

Sicut enim illi eiulare faciunt bonos parentes, ita apud ipsos erit perpetuus cruciatus, eiulatus & stridor dentium, Matth.8. v.22.

Deum itaq; timeant & pietatem sectentur: sic sapientes erunt filij: qui parentes exhilarant, Prouer.10.v.1. Est enim timor Domini initium sapientiæ, Prou.1.Syr.1.

II Pars.

Quid autem faciendum, ne liberi tam graui afficiant parentes luctu?

1. Educandi in timore Domini, Eph.6.vers.4. Acue, Deuter.6.v.7. Et id fiat magna cum solicitudine. Additis precibus ardentissimis, pro incremento Dei. Sic matri Augustini ab Episcopo dicitur: Impossibile est filium istarum lachrymarũ perire: cum illa effusis lachrymis Deum quotidiè rogasset, vt liberaretur ex hæresi Manichæorum. Confess. lib.3.cap.vltimo.

2. Non nimium illis indulgendum: sed castigandi à teneris. Vide Syr.30.à vers.1.ad 14.Prou.22. v.15.& 23.v.13. Hoc si fecisset Eli, non expertus fuisset tantam miseriam, 1.Sam.1.v.29. & 2.v.14.

Sed & bonus noster Dauid indulgentior fuit erga filios, quàm par erat. Ammonem non legitur puniuisse propter incestum. Ideoq; Dominus illum rapuit ad suppli-

plicium. Sic non occidit hunc Absalonem propter fratricidium, qui tamen ab altari erat auellẽdus, Ex. 21. v. 14.

Et non debuisset indulgere illi, vt currus & equites, &c. pararet. Quod non poterat latere Regem: cum alioquin (vt refert ille) nihil ipsum latuerit, 2. Sam. 18. v. 13. & apertè de Adonia seditioso contra fratrem dicitur, quod Rex conscius facti noluerit ipsum perturbare, 1. Reg. 1. v. 6.

Quod si parentes nolunt contristare filios, postmodum filij contristant parentes. **Were doch besser/die Kinder weineten/als die Alten.** Nec iuuat post clamare & eiulare, vbi perierunt liberi, parentum indulgentiâ. Faciant itaque officium.

Potest autem fieri, vt eorum etiam liberi pereant, qui fecerunt officium sedulo. Experti sunt hæc, Adamus, Isaacus, & alij multi. Ibi tum parentes solari potest bona conscientia. Nec lugeant mortuos sic, vt Deo dicam scribere cogitent: sed acquiescant in iustitia ipsius. Nec enim suos quantumuis magnis eiulatibus ex inferis reuocare poterunt, Psal. 49. v. 9. Maxima verò consolatio in hoc casu erit, quod damnatio liberorum malorum felicitatem ipsorum in vita æterna non perturbabit. Ibi enim nullus dolor nec luctus, Apocal. 21. v. 4. Et erit voluntas ipsorum conformis voluntati Dei.

FINIS.

THEMA VIII. CLASSIS IX.

Ecclesiast. 11. vers. 3.

Si ceciderit arbor, siue ad austrum, siue ad septentrionem, quocunque loco ceciderit, ibidem erit.

DISPOSITIO.

Ecclesiastes ab initio huius capitis hortatur omnes ad beneficentiam erga pauperes, & compensationem promittit liberalissimam. Quia verò plerique suas eleemosynas volunt reiicere in futura tempora, & mandare posteris solent, vt post mortem ipsi largiantur aliquid pau-

pauperibus, ideoq; Ecclesiastes per occupationem subiicit hanc quam legimus sententiolam, qua vult persuadere bonis, ne tantisper differant suam liberalitatem, sed benefaciant pauperibus dum viuunt.

Quia post mortem nullam sint habituri occasionem pauperibus benefaciendi: sed nec posterorum quoque liberalitatem liberaturam ipsos, si ad sinistrum h. e. ad infernum ceciderint. Hic est principalis scopus horum verborum.

Quia verò præter hæc plura etiam monere poterunt hæc verba, quæ multum habent in recessu: ideoque illa etiam fusius tractare lubet.

1. Dicendum de arbore, cuius hîc fit mentio.

2. De excisione arboris, siue de effossione & deiectione.

3. De casu succisæ arboris.

I. Pars.

Homo in scriptura non semel comparatur arbori. Magnates etiam & Reges, vt Nabuchodonosor Dan. 4. v. 17. Sed & omnes alij. Matth. 3. Luc. 3. Et pij quidem arboribus bonis & frugiferis, mali vero arboribus malis comparantur. Matth. 7. & 12. Luc. 6. & 13. v. 6.

Ita & hoc loco omnes homines mortales arbori comparantur. Et foliis arborum Syr. 14. v. 18.

Iudæ vers. 12. decoctores arbori sterili comparantur.

VSVS huius partis ab ipso Christo disertis verbis additur: vt scilicet discamus ferre bonos fructus. Hi fructus vocantur fructus pœnitentiæ. Matth. 3. v. 8.

Additur comminatio: Arbor non faciens bonos fructus excindetur & in ignem proiicietur infernalem. Mat. 7. v. 19. Luc. 13. v. 9.

Nec differenda illa pœnitentiæ opera (Act. 26. vers. 20.) quia securis ad radicem iam est posita. Matth. 3. vers. 10. & iam tolerauit Dominus arborem satis diu, & omnia tentauit, vt patet Luc. 13. v. 7.

Vnus-

Vnusquisque ergo probet seipsum 2.Cor.13.v.5.an sit in fide & ostendat fidem ex operibus suis.Iacob.2.v.18.sic patebit an sit arbor bona. At multi seipsos decipiunt.

II. Pars.

Arbor hoc loco dicitur casura. Quia vbi arbor satis diu occupauit locum suum, tandem incipit veterascere: & tum vel vi ventorum deiicitur & postmodum effoditur: vel tandem exscinditur: & arbuscula nouella in eius locum plantatur. Idem hominibus accidit. Sicut Syr.14. de foliis: ita etiam de arboribus dicendum. Nam vbi homo in terris aliquantisper locum habuit, postea abripitur & deiicitur, vel exscinditur per mortem & in locum illius succedunt alij.

De hoc Psal.90.v.3. Qui finis mori homines, & reuerti iubes alios filios hominum.

Die alten Leut gehn ab/ die jungen wachsen an die Statt/ wie die Bäum im Garten.

At non arbores tantum, sed & nouellæ interdum & arbusculæ exscinduntur. **Dann auch die Bäumlein mancherley Zuständ haben.** Sic homines licet iuuenes & tenelli, imò recens plantati, hoc est, infantes adhuc, exscinduntur per mortem. Sunt enim casus innumeri quibus vita priuari possunt.

Vsus huius loci hic erit, vt sæpe cogitemus de voce illius sancti vigilis Dan.4.v.20. qui clamat, succidite arborem. **Da muß es seyn vnd hilfft nichts für.** Ita constitutum est mori. Heb.9.vers.27. Et omnibus quidem. Ergo memorare nouissima & non peccabis.Syr.7.v.40.Nec arbores vetulæ sed nouellæ etiam de his cogitent.

III. Pars.

Arborem succisam eo loco mansuram, ad quem casura sit, refert Ecclesiastes: siue ad aquilonem (per hunc intelligitur sinistra) siue ad Austrum (per hunc significatur dextra) ceciderit. Innuit Salomon, cadere hominem in morte vel ad dextram, hoc est, ad vitam æternam &

gaudia, quæ parata sunt his, qui ad dextram Christi statuentur Matth. 25. v.33. vel ad sinistram, hoc est, in æternos cruciatus, ad quos ablegandi erunt, qui à sinistris Christi sunt. Ibidem. vers.41.

Et idem hoc est, quod Syr. 11. v. 29. dicitur, hominem statim post mortem experiri, quomodo vixerit.

Quocunque autem loco recepta fuerit anima defuncti, ibi detinebitur, teste Abrahamo Luc.16.v.26.

Videmus, nullum relinqui locum Purgatorio fictitio: cum præter hæc duo loca scriptura tertium locum nesciat. Etenim vbicunque illa de statu hominum post hanc vitam loquitur, ibi discrimen hoc saluandorum & damnandorũ ponit, vt vel dextram vel sinistram occupaturos Matth. 25. vel ad gloriam vel ad ignominiam Dan. 12. vers. 2. vel ad vitam vel ad iudicium Ioan. 5. v. 29. resurrecturos dicat. De purgandis, & dimittendis ex carcere illo postquam purgati sint, planè tacet scriptura.

Sed misso purgatorio & suis autoribus relicto, discendum hoc nobis, in quo omnis nostra salus consistit, vt ad dextram cadamus (si quidem omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est) & suo tempore ad dextram Christi collocemur. Hoc tum fiet cum in recta & dextera in Christum fide mortui fuerimus, & mors imparatos non inuenerit. Ideoq; vigilandum & orandum semper. Matth. 24. & 25. Mar. 13. & 14. Vt animam possimus commendare in manus Dei. Psalm. 31. vers. 6. Tum non tanget tormentum, Sapient. 3. vers. 1.

FINIS.

THEMA IX. CLASSIS IX.

2. Pet. 2. v. 20. ad finem.

Si posteaquam refugerunt ab inquinamentis mundi per agnitionem Domini & seruatoris Iesu Christi, tamen his rursum inuoluti superantur, facta sunt illis posteriora peiora primis, &c.

DIS-

DISPOSITIO.

In funere Apostatæ, aut alicuius impij, qui post agnitam veritatem in Epicurismum relapsus est, tractari potest hoc Thema.

Diuus Petrus iam fini proximus hortatur agnos fidei suæ Ioan. 21. v. 15. commissos, ne seducti errore insipientium à fide & gratia Dei excidant, quam semel perceperint: adductis argumentis & rationibus grauissimis. Talis etiam hæc sententia quam prælegimus: in qua 1. docet quàm sit periculosum & pernitiosum, deficere ab agnitione veritatis. 2. Rem duabus similitudinibus illustrat.

I. Pars.

Initiò attendendum de quibus hîc loquatur Petrus.

1. De his scilicet, qui effugerunt inquinamenta mundi. Mundus in maligno positus, plenus est scandalis, quæ sunt inquinamenta quibus polluuntur, qui iuxta mundi ductum & exemplum viuunt. Hi tanquam in cœno peccatorum volutantur. Vide 1. Cor. 6. vers. 11. Tales aliquando fuistis.

2. Medium autem per quod ex his inquinamentis effugerint, ait esse, agnitionem Domini nostri Iesu Christi: qui cognoscitur ex verbo. Id postea vocat viam iustitiæ. Inde enim discitur quomodo Deum agnoscere, iustè viuere, & peccatis, circa quæ mundus occupatus est, valedicere debeamus.

3. Quod si verò agnouimus fæditatem peccati ex verbo, & de voluntate Dei edocti sumus, & tamen abiecta pietate inuoluimur prioribus inquinamentis, & magis placet mundus quàm Christus (hoc enim est vinci ab inquinamentis mundi) tum deteriora fiunt nouissima prioribus. Grauior multò erit damnatio. Hæc sententia est Christi. Matth. 12. v. 45. & Luc. 11. v. 26.

4. Quia satius fuisset viam veritatis nunquam cognouisse. Hoc nihil aliud est quàm quod Christus ait: seruus sciens voluntatem Domini & non faciens vapulabit

plagis multis, Luc. 12. v. 47. Turpe enim relinquere sanctum præceptum Dei, & obsequi fœdis mundi illecebris.

LOCVS. Videmus non posse simul stare agnitionem & professionem nominis Iesu Christi, & inquinamenta mundi: sicut multi sibiipsis persuadent, posse aliquem Christianum nihilominus esse & manere, etiamsi strenuè pergat in peccatis. At contrà 2. Tim. 2. vers. 19. Discedat ab iniquitate, qui nominat nomen Iesu. Aliàs conqueritur, factis negant Deum, Tit. 1. vers. 16. Et 2. Tim. 3. speciem tantum habent pietatis. Vide etiam Matth. 7. v. 21.

Est hæc magna ingratitudo, quando non agnoscimus insigne Dei beneficium, qui nos ex tenebris ad lucem perduxit, ex morte in vitam transtulit, per agnitionem Christi, quam prædicat Zacharias, Luc. 1.

Istam verò ingratitudinem grauiter puniet Deus, cum homines magis diligunt tenebras quàm lucem, Ioan. 3. v. 19. Et magis diligunt mendacium quàm veritatem, 2. Thess. 2. v. 10. & seq. Amos 2. v. 4. Exprobrat Dominus ingratitudinem populo, Mich. 6. v. 4. & seqq. & comminationem addit, v. 13. Vide etiam 2. Par. 36. v. 15. & seqq.

Ideo sequamur admonitionem illam, 1. Ioan. 2. vers. 15. Nolite diligere mundum. Is enim in maligno est positus. I. Ioan. 5. vers. 19. Et conuersatio mundi inimica Deo est, Iacob. 4. v. 4.

II. Pars.

Porrò duabus similitudinibus illustrat, quod dixerat. Prima sumpta est ex Prou. 26. v. 11. & in prouerbium abiit tempore Petri. Illa est de cane, resorbente quæ euomuit. Tales sunt multi. Hoc sic intelligendum. Euangelium medicina est, quæ salubri vomitu purgat, & facit euomere omnia venenata, & noxia mundi inquinamenta. Multi verò sunt canes, qui illa inquinamenta, hoc est, peccata resorbent, à quibus abstinebant ad tempus, agnita veritate.

Altera parœmia est de porco. Id sic intelligendum est.

Euan-

Euangelium eſt lauacrum, per quod abluere vult Dominus noſtras immunditias, dum ſcilicet dehortatur à malo, & docet facere bonum: at multi ſunt porci, qui poſtquam abluti fuerunt, mox rurſus in priori luto volutantur.

LOCVS. Fœda hæc & ſpurca videntur, & auditoribus Chriſtianis non proponenda. At veriſſima tamen ſunt, & communiter accidentia. Semper enim tales canes & porci ſunt, qui inter Chriſtianos numerari omninò volunt. Quid autem aliud illi faciunt, qui interdum, aut annuatim ferè (ne videantur ἄθεοι) cœnæ Dominicæ communicaturi, promittunt vitæ emendationem ſingularem: (idque multis vicibus) at vix templum egreſſi recidunt in priſtina ſcelera: & ſtrenuè iterum ſcortantur, helluantur, blaſphemant, &c. Quid illi meliores porcis, reuerſis ad volutabrum? Nihil planè. Sic de cæteris, qui audiunt ſacras conciones, & nihilò minus ſecurè pergunt peccando. Numquid hi ſunt ſerui ſcientes, & non facientes voluntatem Domini? De his illud Dauidis, Pſal.36. rectè dicitur: Non eſt timor Domini ante oculos eorum.

Chriſtiani itaque caueant, ne ſint canes aut porci. Foris enim erunt canes, Apoc.22.v.15.

Oues autem habent promiſſionem vitæ, Ioan.10.v.28.

FINIS.

THEMA X. CLASSIS IX.

Iob.20.v.4.ad 6.

Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram: Quod laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.

DISPOSITIO.

Hæc ſunt verba Sophar Naamathitæ, amici Iobis. Qui licet in hoc erret, quod Iobum ſupercilij & hypocriſeως arguere & conuincere conatur, atque ea, quæ de ſuperbis

impiis & hypocritis profert in Iobum (iniquè) torquet, ac si is propter singularem impietatem affligeretur: tamen varias & insignes sententias loquitur, quæ in genere non veræ tantum, sed & valdè sunt emphaticæ. Talis hæc est breuis sententiola, quam legimus, de momentanea impiorum lætitia: cuius verba primùm singula enucleabimus; deinde etiam subiiciemus, quid nos moneant.

Textus.

Dixerat Hiobus suprà cap. 19. v. 25. Scio quod redemptor meus viuit. Is resuscitabit me. Videbo ego eum. Et hoc certò scio. Hæc spes in sinu meo reposita. Hanc iudicat Sophar esse vanam & hypocriticam gloriationem. Quia non minus quàm cæteri amici Iobis ipsum pro impio habet, qui occultis peccatis hanc sibi pœnam diuinam accersiuerit.

Quamuis autem ad Iobum applicari non debent, vera tamen sunt, quæ narrat Sophar.

1. Hoc enim iam ab orbe condito omnibus temporibus obseruatum fuisse, quod impij etiam de multis soleant gloriari: vt de diuina clementia, bonitate, donis collatis, dē felicitate, diuitiis, potentia: de sua vicissim fide & gratitudine erga Deum benefactorem, &c.

2. At hanc gloriationem non esse apud ipsos durabilem, addit Sophar. Partim quod vbi Deus affligere cœperit, ipsi mox contrà Deum insurgunt, & ipsum contumelia afficiunt: partim quod Deus ipsorum felicitatem mox dissipat, vt tristes illorum fortuna sortiatur euentus. Exemplo sunt duo illi diuites, Luc. 12. & 16.

3. Neque enim gaudium hypocritarum diuturnum est, sed momentaneum. Vno momento Dominus gaudium illorum conuertit in luctum. Stulte, hac nocte auferetur anima, Luc. 12. Licet enim videantur interdum in his terris satis diu lætari: tamen momentum est, vel apud Deum, coram quo mille anni sicut vna dies, Psalm. 90. vel respectu æternæ sequuturæ damnationis.

Et

Et ſubitò finitur illa felicitas, Pſal. 73. v. 19. Subitò defecerunt. Hoc in ſequentibus Sophar ſimilitudinibus egregiis demonſtrat. Sicut ſomnium, ſicut viſio nocturna, tranſit gaudium eorum.

LOCI.

I. Vana eſt iubilatio & lætitia omnium impiorum, licet appareat ſplendidiſſima, vt narratur Pſal. 73. v. 4. & ſeqq. Hiob. 12. v. 8. & ſeqq. Et Pſal. 144. v. 13. & 14. Et ſtulti homines iſthæc admirantur. Pſal. 144. v. 15. Beatum dixerunt populum cui ſunt hæc. Numquid enim purpuratus ille diues quotidiè viuit ſplendidè? Luc. 16. Quis illo felicior? At vanitas eſt. Momentum durat illa felicitas, mox enim poſt in inferno cruciatur, & quidem perpetuò. Quis igitur cupiat momento vno lætari, & perpetuis poſt ignibus cruciari?

Itaq; nemo inuideat impio ſuam felicitatem, Pſal. 37. Noli æmulari. Quia in momento finietur. Ibid. v. 10. & 36.

Nemo optet ſibi talem fortunam, qualis eſt impiorum: ſed viuat ſua ſorte contentus. Dann ſie müſſens thewer bezahlen. Hier. 12. v. 3. Hiob. 21. v. 17. & ſeqq.

Sufficiat illis gratia Dei, 2. Corinth. 12. v. 9. Dicant pij id Pſalm. 73. v. 25. Dummodo te habeam. Et Pſalm. eod. v. 28. Mihi adhærere Deo bonum eſt.

Sciant ſibi parata gaudia non momentanea, ſed æterna, 2. Cor. 4. v. 17. 1. Pet. 1. v. 8.

Et nemo tollet, Ioan. 16. v. 22.

Nec turbabitur luctu vel dolore, Apoc. 21. v. 4.

II. Impij non blandiantur ſibi in ſua felicitate, nec glorientur. Neſciunt enim quid ſerus veſper vehat, Prouerb. 27. v. 1.

Nec cogitent Deum propterea ipſorum impietate delectari, quod ipſis benefacit. Sicut illi Ierem. 44. verſ. 17. Cum libaremus Melechet ſaturati ſumus panibus, &c.

Alium enim finem Deus propoſitum habet, de quo Rom. 2. v. 4. Si hoc contemnitur, mox finis adeſt.

III. Qui vult gloriari, glorietur in Domino, Ier.9. v.24. 2.Cor.11. ab initio cap.Psal.5.vers.12.& 32.v.11.

Esa.41.v.16. Rom.5.v. 2.

1.Corint.1. v.vlt. Et hæc quidem gloriatio ex vera fide proficiscitur, nec vana erit. Deinde hæc sit gloriatio nostra, testimonium bonæ conscientiæ: exemplo Pauli, 2. Cor.1.v.12. Act.23.v.1. & 24. v.16.

Insignis est ille locus Hiobis 27. v. 6. Non mordet me conscientia.

Hoc magnæ consolationis loco erit, &c.

FINIS.

THEMA XI. CLASSIS IX.

Hiob. 27. v. 19. ad finem.

Diues cum dormierit, nihil secum auferet, & cætera quæ sequuntur ad finem capitis.

DISPOSITIO.

Non sine causa Syrach cap.41. paulò ante finem exclamat, ô mors quam amara est recordatio tui homini diuiti. Etenim hoc loco Hiobus recenset varia mala & incommoda, quæ moriturum diuitem circumueniunt: illa certè mortem reddunt amaram. Sciendum autem, Iobum non loqui de diuite pio, & Deum timente, (quales erant Abraham, Isaac, Iacob, Iob, Ioseph Arimathiensis) sed de diuite impio & Deum nesciente: quod patet ex versu huius capitis 13.

Quatuor autem enumerat mala, quæ Diuitem & impium moriturum angunt, & mortem acerbiorem faciunt. De his ordinè dicendum, & ex singulis aliquid discendum: quia omnia ad doctrinam scripta sunt.

I. *Pars.*

Vbi thesaurus, ibi cor diuitis impij, Matth.6.v.21. Et illi aurum pro fiducia, Hiob.31.v.24. Quàm igitur iucunda ipsi fuit oblectatio in auro & diuitiis: tàm graue ipsi erit

erit relinquere aurum. At cum dormierit, nihil secum auferet, præter linteamen. Wann es jhme anderst so gut wirdt. Et vbi moriturus oculos aperuerit contemplaturus sua, omnia ipsum relinquent. Er wird sich darnach vmbsehen/aber jhme wirdt nichts nachfolgen. Et postea vers. 22. additur: Omnia ex manibus eius fugient.

Docemvr, ne tàm improbè quæramus diuitias. Quid enim proderunt in die iræ? Nihil teste Salomone, Prouerb. 11. v. 4. Eccles. 5. v. 9. Eadem is inculcat Eccles. 5. v. 14. & 15.

Et Paulus 1. Tim. 6. v. 7. & seq. Syr. 29. v. 28. Simus igitur contenti sorte nostra. Magnus enim quæstus pietas, 1. Timoth. 6. Thesaurum quæramus in cœlis non transiturum, Matth. 6. v. 19. 1. Tim. 6. v. 19. Nota est historia de Saladino Rege Ægypti potentissimo. Is testamento iussit interulam (cui inuoluendus erat post mortem) perticę appensam per castra circumferri, cum hoc præconio: Ex tantis opibus tanta virtute partis Saladino terrori gentium nihil quod se comitetur reliqui esse. Platin. in vita Cœlestini III.

II. *Pars.*

At maius malum est hoc quod sequitur. Horror apprehendet eum quasi aqua. Sicuti torrens ingenti aquarum mole hominem circumuenit, vt nusquam pateat effugium: ita obruent eum terrores mortis, vt nesciat quo se debeat vertere. Quia enim scit post mortem restare iudicium tremendum: ideoque in magnas angustias incidit. Et quia scelerate vixit, scit se graui sententia damnandum.

Locvs. Necesse est vt contra terrores mortis muniamus animos nostros ex scripturis: ne ita sit morituris trepidandum. Nam & pii etiam interdum sentiunt horrores mortis & inferni, vt Dauid Psal. 18. vers. 5. & 116. v. 3. Et Hiskias. Esa. 38. vers. 10. & 17. At illi facilè superant eos, quia consolationes scripturæ in promptu habent, vt

non ſit deſperandum. Quales ſunt illæ, Hoſ.13.v.14. Pſal. 49.v.16. & 71.v.20. & 116.v.8. Rom.8.v.31. Ioan.5.v.24. Et infinita alia.

Deinde quærendus aduocatus ille, 1.Ioan.2.v.1. & mediator, 1.Tim.2.v.5. qui pro nobis intercedat, Rom.8.v.34.

Hoc neſciunt impij: quia Chriſtum ſibi fecerunt inimicum. Ideoque ſic trepidant.

III. *Pars.*

Aliud malum, quod impio morituro accidit. Nocte tanquam fur ſuperueniet ei finis vitæ. Et tollet eum ventus vrens. Quia ſeſe ad mortem non præparauit, ideoque inexſpectatus finis illum abripiet, ad ima tartara detrudet.

Nec parcet illi Dominus propter diuitias: Er muß fort. Ohn alle Gnad.

LOCVS. Ne ſubitò nobis mors inexſpectata obrepat, & imparatos inueniat Dominus, cum illis virginibus fatuis, Matth.25. tenenda regula illa toties à Chriſto repetita: Vigilate & orate, Matth.24. 25. Marc.13. & 14. Luc.12.v.35. 1.Petr.5.

Ideoque frequens mortis meditatio vtilis, vt ambulemus corde ſapienti, Pſalm.90.v.12. Et pro illa orandum: Doce nos Domine, Pſalm.39.v.6. Veniet enim ſicut fur, 2.Petr.3. Apocal.16. Ea hora, qua non putatis. Matth.24. Idem enim de nouiſſima vitæ hora, quod de nouiſſimo die ſtatuendum.

IV. *Pars.*

Tandem & hoc meritò habendum pro magno malo, quod pius videns abripi impium diuitem, plaudet manibus ſuis, & ſibilabit ſuper illum, quem videt excuſſum de loco ſuo. Omnes enim boni lætantur ſuper extinctis impiis, atq; Dei iudicia approbant & collaudant. Sicut ipſe Angelus Dei quaſi cum tripudio nuntiat Ioſepho interitum Herodis, Matth.2. v.19.

LOCVS. Eſt hoc pars pœnæ & maledictionis diuinæ, ſi

nemo

nemo ſit, qui lugeat defunctum. Patet id ex hiſtoria filij Hieroboam, 1. Reg.14. v.13.

Et Ioiakimi, Ierem.22.v.18. Vide etiam Ierem.16. v. 4. & 25. v.33.

Sic itaque viuendum, vt non ſint, qui exſibilent nos, etiam defunctos. Et ne memoria noſtri ſit execrabilis, vt Iudæ, Pilati, Herodis; aut deleatur planè ſuper terram, Eſa.14. v.20.

Bonos & pios, qui Deo, Eccleſiæ, Reipubl. & proximo fuerunt vtiles, omnes viciſſim boni lugebunt, & ſi maximè multi id non faciant, Eſa.56. [in fine] tamen Angeli ipſis in morte ſeruient, vt Lazaro, Luc.16.

FINIS.

THEMA XII. CLASSIS IX.

Pſalm. 49. v. 8.

Fratrem non redimens redimet quiſquam.
Non dabit Deo expiationem ſuam.
Nam pretioſa eſt redemptio animæ ipſorum, ideò ceſſabit in æternum.

DISPOSITIO.

Reprehendit Pſaltes in hoc Pſalmo diuites & potentes impios, quod fiduciam collocant in ſuis opibus. Quanta autem hæc ſit vanitas, cõfidere in terrenis diuitiis, oſtendit verbis prælectis: Quia illis omnibus nec à morte præſeruari, nec ex inferno liberari poſſint. Et quia mors duplex eſt, prima & ſecunda, Apoc.21. v.8. ſiue corporalis & æterna, de vtraque Propheta diſſerit egregiè. Nos quoq; de corporali primum, deinde de æterna morte, occaſione horum verborum dicemus, & vbi mentem Pſaltis perceperimus, etiam quid ſingula nos moneant inueſtigabimus.

I. Pars.

Dixerat in verſibus præcedentibus Pſaltes, ſe nihil curare

rare petulantiam & malitiam potentum atque diuitum, eorum ſcilicet, qui confidunt in potentia ſua, & in multitudine opum ſuarum gloriantur. Quare autem nec metuat nec curet illos, vno verbo vult explicare: Quia ipſis ſit moriendum. Homines ſunt mortales, & nihil præterea. At tamen ſunt potentes & diuites. Ad quid autem proſunt illæ diuitiæ? In die iræ certè non proderunt. Prouerb. 11. verſ. 4. Imò, ait, ne frater quidem germanum ſuum omnibus ſuis theſauris & diuitiis poteſt redimere à morte, & præſeruare quò minus moriatur. Quinque illi epulonis purpurati fratres non poterant ipſum ex vinculis mortis liberare. Luc. 16.

Loc. I. Mors nemini parcit, ne diuitibus quidem & potentiſſimis: ſed æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres.

Mors ſeruat legem, tolit cum paupere Regem. Hoc ſolatio erit miſeris & pauperibus, quod ipſi non ſoli moriuntur, ſed & cæteri.

Via omnis carnis. Ioſ. 23. v. 14. 1. Reg. 2. verſ. 2. Omnibus conſtitutum mori. Hebr. 9.

Ditiores & potentes verò hinc admonitionem petere debent, quod, licet in his terris aliquantiſper ſint ipſis diuitiæ inſtar muri, Prou. 18. verſ. 11. tamen ex illis contra mortem nihil habeant præſidii. Ideoque ſint humiles & quærant diuites fieri in pietate. 1. Tim. 6. verſ. 18. ne mors ipſis tam ſit amara, Syr. 41.

II. Stultè agunt qui tanta ſolicitudine nummos quærunt, cum illa omnia quæ magno ſudore acquiſierunt ſint relinquenda, cum amaritudine, & ipſis nudis egrediendum. Eccleſ. 5. v. 14. Iob. 1. v. 21.

III. Innuit Pſaltes, Fratrem nihil intentatum relinquere, vt redimat fratrem, vel à morte vel ex inferno, ſi modo poſſet id omnibus ſuis diuitiis conſequi. At hodie tam rara eſt quoque fratrum gratia, vt multi, qui aliquid hæreditatis à fratribus expectare poſſunt, non vitam illorum redimere, ſed ipſos potius neci tradere cupiant:

piant: imò tanta eſt quorundam inſatiabilis auaritia, vt ſi vel vno aureo poſſent fratrem redimere ex inferno, id difficulter ſint facturi.

Magna hæc eſt & Dauidi inaudita ἀστοργία, & inhumanitas, quam vtplurimum ſpes nummorum & bonorum parit. At hæc in homines Chriſtianos, imò ne quidem in beſtias, debebat cadere.

IV. Fruſtrà ægroti Medicis & quibuſcunq; aliis pollicentur magnam vim auri & argenti, vt iuuent illos, ne moriantur: quod nonnulli, quibus mors tam amara eſt Syr.41. faciunt. **Aber der tod nimpt kein Gelt darfür. Es muß ſeyn.**

II. Pars.

Sicut diuitiæ à morte corporali non poſſunt præſeruare: ita nec animam ex inferno poſſunt liberare. Ideoque ait: Nec dabit Deo lytrum. Nulla enim expiatio pro anima hominis eſt Deo grata: præter illud Chriſti λύτρον. Qui illud neſcit, etſi Deo munera offerre velit ampliſſima, nihil efficiet.

Nam præterquam quod Deus munera non accipit, tantum vnius etiam animæ redemptio flagitat pretium, quantum totus mundus in æternum exſoluere nequit. Quia enim infinita maieſtas Dei offenſa eſt, non poſſunt homines par pretium Deo offerre, vt ſit propitius illis, præterquam illud λύτρον, quod eſt mediatoris Dei & hominum. **Aber kein gelt mag da nichts thun.**

LOCVS I. Videmus quam pretioſa ſit vna anima coram Deo. Multi verò adeò nullius pretii illas æſtimant, vt alius propter ſcortum fædum, alius propter vinum, alius propter turpem quæſtum &c. animam ſuam Satanæ oppignorare non vereatur, quæ totius mundi diuitiis liberari non poteſt. O inſaniam.

Tu itaque ô Chriſtiane animulam tuam, quam Deus ſuo ſanguine redemit, ſic tractes, vt illa aſſumatur in manus Dei, & perpetuo fruatur gaudio. Sap.3.v.1.

Hoc

Hoc non nisi iustis contingit, vt ibidem innuitur: hoc est, fide iustificatis. Rom. 5. vers. 1. His enim Christus est iustitia. 1. Cor. 1. vers. 30. Ierem. 23. v. 6. & 33. vers. 17. Iehoua iustitia nostra.

Inprimis cura vt commendes ipsam Domino in mortis agone. Psal. 31. vers. 6. Christus. Luc. 23. v. 46. Stephanus. Act. 7. vers. 59.

II. Quam vana sit opinio eorum, qui docent, Eleemosynis, & pecuniis legatis monachis & sacrificulis, animas liberari ex purgatorio. At nulla vis bonorum sufficit ad liberandam animam vnam.

Nos lætemur in hoc, quod sanguis Christi verum est λύτρον, 1. Pet. 1. vers. 19. Credamus ergò in Christum redemptorem. Rom. 3. v. 24. Iustus fide hac viuet. Habac. 2. v. 4.

FINIS.

THEMA XIII. CLASSIS IX.

Psalm. 49. v. 15.

Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos.

DISPOSITIO.

Petierat epulo purpuratus Luc. 16. mitti Lazarum ad fratres suos, & nuntiari illis, quid de ipso fiat in inferno: vt exemplo ipsius edocti sic agant, ne & illi veniant in locum cruciatus. At pater Abrahamus denegat ipsi hanc petitionem, & posse ipsos ex Prophetis isthæc (vt omnia alia ad salutem necessaria) cognoscere, asserit. Hoc verum esse, vel hic locus præsens, & hæc sententiola Psalmi breuissima ostendit: Quâ erudimur, quid de impiis futurum sit post hanc vitam. Quia igitur multi sunt, qui cum quinque fratribus Diuitis de his parùm cogitant, dum in terris viuunt: neque verò sperandum sit aliquem ex mortuis ad nos transiturum, qui de his rebus nos instruat: ideò iuxta doctrinam Abrahami ex Psalte, vtpote Propheta hoc audiamus: ne incauti obruamur à morte & ad eundem locum deueniamus. Videbimus ordi-

nè

nè ſingula verba textus: & Singulis ſuas doctrinas ſubiicimus.

1. Initiò notandum de quibus hîc loquatur Pſalmus. Quando enim de grauiſſimis tormentis & pœnis dicitur, ibi tum diuites potentes iſta ad ſe nihil pertinere putant: Sed tantum de vulgo hominum ſermonem eſſe. At hoc loco in ſpecie loquitur de diuitibus & potentibus verſ. 6. in dignitate conſtitutis. verſ. 12. &13. & ſapientibus huius mundi. verſ. 11. at impiis, qui confidunt in diuitiis verſ. 7. & opprimunt bonos. v. 6. & cæteris ſimilibus. De his inquam dicitur, quanta mala patiantur vbi gloria illorum euanuit, & amiſſæ ſunt per mortem diuitiæ. De his poſt.

DOCTRINA. Antequam pergamus hoc loco monendi ſunt Magnates, Diuites, potentes, quos omnes Propheta iubet attentis hæc audire auribus verſ. 3. ne ſibi (quod multi faciunt) imaginentur, fore ipſos poſt hanc vitam à tormentis & pœnis infernalibus immunes. Putant enim quod ſicut hîc in terris extra omnem teli iactum ſint poſiti, ita Deum etiam ipſis parſurum poſt hanc vitam.

At potentes potenter patientur tormenta. Sap. 6. verſ. 7. Et Regibus etiam paratus infernus. Eſa. 30. verſ. 33. Et cui multum commiſſum ab eo multum repetetur. Luc. 12. verſ. 48. Nec enim reſpectus perſonarum eſt apud Deum. Deut. 10. 2. Par. 19. Act. 10. Vide egregium locum Eſa. 14. v. 11. & 15.

Et expertus epulo de hoc teſtari poteſt. Luc. 16.

Ideoque quò magis exaltauit te Dominus, tanto magis ſtude humilitati. Syr. 3. v. 20. & pietati quæ ad omnia vtilis eſt. 1. Tim. 4. v. 8.

Nemo autem offendatur, ſi videat impios hîc florere. Das Blat wird ſich bald wenden: vt ſequitur.

II. De impiis quantumuis potentibus & diuitibus recenſet, quid fiat poſt hanc vitam.

Tria autem enumerat horrenda mala.

1. Mactantur. Sunt inſtar ouium, quæ pinguefiunt

& ſa-

& saginantur, atque lautiori pabulo pascuntur, vt mox cum crassiores euaserunt mactentur. Wie die faisten starcken Hämmel.

DOCET autem Ieremias cap. 12. vers. 3. vsum huius loci, vt intelligamus quare in his terris Dominus ad tempus patiatur impios esse felices: vt scilicet reseruentur maioribus pœnis, quo facti fuerunt pinguiores bonis temporalibus.

Nemo igitur inuideat ipsis felicitatem istam momentaneam, Psal. 37. v. 2. & 36. Psal. 73. v. 18. 19. Nemo cupiat ipsorum esse loco. Mox finis erit.

2. Mactantur in inferno. Non moriuntur tantum morte corporali sicut cæteri homines, sed subitò saginati isti abripiuntur in infernum, & damnationem.

Infernus (vt ita dicam) est macellum istud, siue laniarium (vel laniena) in quo isti verueces præpingues mactantur miserè.

DISCANT pii quanto ipsi possint maiori cum gaudio mori, quàm cæteri: cum sciant se venire ad locum quietis, Apoc. 14. v. 13. Esa. 56. refrigerii & solatii. Luc. 16. v. 25. & in quo sentiant gratiam Domini. Sap. 3. v. 9. Verè itaque ipsis mors somnus est & dulcis transitus ad vitam. Ioan. 5. v. 24. Ideoque non est quod trepident aut timeant. Nunc dimittis. Luc. 2. vers. 29. Rectè autem impios dicit, Psal. 74. vers. 19. cum horrore finire vitam: quia rapiuntur mox ad infernum, tanquam verueces ad laniarium. Studendum itaque pietati, vt mors sit lucrum. Phil. 1. v. 21.

3. Quod si tantum trucidarentur in inferno, esset id tolerabile. At mors depascet eos: æterna ipsos mors cruciat: nec tamen possunt emori. Optant mori sed mors fugit ab eis. Apoc. 9. v. 6.

Sicut pecudes depascunt herbas, non autem radicitus euellunt: ita mors illos depascit, Er naget sie / sed non tollit vel absumit. Idque in æternum patiuntur absque vlla spe redemptionis. Sup. v. 9. huius Psalmi.

DISCE tu, qui Epicureus es & infernum non times, quid

quid fiat in inferno. Dicunt tales: Es wird nit so heiß seyn in der Hölle. Der Teuffel muß dannoch machen/ daß wir bey jm bleiben können/ ꝛc.

At cogita de morte depascente: de verme non moriente, igni non extinguendo: Esa. 66. v. 24. de stridore dentium, Matth. 8. & 22. de lacu ardenti. Apoc. 21. v. 8. Audi expertum epulonem. Luc. 16. v. 24. Crucior.

Qui hæc contemnit experietur quid sit infernus, magno cum suo malo. Cogita: O Ewig Ewig wie bistu so lang. Noli esse irrisor. Es ist ernst. ꝛc.

FINIS.

THEMA XIV. CLASSIS IX.

Psalm. 49. vers. vltimo.

Homo in dignitate constitutus & non intelligens, similis est bestiis, quæ pereunt.

DISPOSITIO.

Ægrè ferunt plerique homines, si quis illos vel cum iumentis, brutisque animantibus, vel cum bestiis conferat. At hoc, nolint velint, audire coguntur à Psalte hoc loco. Nec temerè hoc illi excidisse putandum, quia bis eodem Psalmo repetit, versu 12. & vltimo. Et multos (vitæ atque mortis ratione) brutis animantibus similes palàm asserit, qui etiam sic pereant.

Discendum itaq; 1. de quibus hominibus hoc pronuntiet Psaltes.

Deinde considerandum, qua ratione illi iumentis similes dicantur: vt sic viuere discamus, ne idem etiam in nos torqueri possit.

I. Pars.

Initiò opinabuntur ditiores, nobiliores & potentes, Psaltem sic tantum perstringere ignobiles, pauperes, simpliciores, ex vulgo hominum: Die armen heilloſen

Lent leben wie das Viehe: quia non curant mundiciem, splendorem, nec lautius viuere possunt.&c.

At si rectè verba Psalmi huius considerauerimus, loquitur de Diuitibus, potentibus, & in dignitate constitutis. Hoc enim, vt initio dictum est, secunda vice repetitur. De his pronuntiat, quod iumentis similes sint.

At sunt etiam inter illos pii & Deum timentes, & charissimi amici Dei, qui hæc dona ipsis contulit ex singulari gratia.

De dignitate, vide verba Domini ad Dauidem, Feci tibi nomen, quale est magnorum in terra. 2. Sam. 7. vers.9.

De diuitiis & gloria simul Salomoni dicitur, Dedi tibi diuitias & gloriam, vt nemo tibi similis fuerit. 1. Reg. 3.vers.13.

Ideò Psaltes restringit suum sermonem ad eos, qui licet in dignitate sint constituti, tamen non sint intelligentes. Hoc verò non de simplicioribus est accipiendum, qui ciuili prudentia non sunt donati. Etenim quæ stulta sunt coram mundo Deus elegit 1. Corinth. 1. vers.27. Et supra v.11. etiam cum his qui in dignitate sunt constituti coniungit sapientes, scilicet huius seculi. Illi autem nihil intelligunt eorum, quæ sunt Dei. 1.Corinth.2.vers.14. Et intellectus illorum excæcatus atque obscuratus est, quia abalienati sunt à vita Dei. Ephes. 4. v.18.

Nec agnoscunt beneficia Dei, nec sunt grati. De his loquitur Dauid hoc loco.

DISCIMVS, Non omnes eos, qui sunt in magna authoritate apud homines, & quos mundus admiratur, suspicit, veneratur, ac tantum non adorat, propterea quoque apud Deum in magno esse pretio. Nisi enim humiliter agnoscant, vnde hæc illis contigerit gratia: & nisi Deum ex verbo suo cognoscere discant, atque mysteria diuina simpliciter (absque omni supercilio rationis) & ea quoque intelligant quæ ad pacem ipsorum faciunt, Luc.19. vers. 42. atque piè iuxta præscriptum verbi diuini viuant: certè Deus illos pluris non æstimat quam iumenta.

ta. Ideoque etiam ſcriptura tales ſæpius non dignatur hominum voce, ſed vocat beſtias, leones, Ezech. 19. verſ. 3. vaccas, Amos 4. verſ. 1. tauros Eſa. 34. verſ. 7. canes, Pſal. 22. v. 17. Eſa. 56. Matth. 7. &c.

Itaq; pii non ſic illorum felicitatem & gloriam admirentur, vt eandem quoque ſibi contingere optent: cum Deo ſint execrabiles, mox perituri.

Ipſi verò impii in ſua dignitate non ſuperbiant, quia mox cum beſtiis peribunt, niſi fiant intelligentes.

II. Pars.

Porrò etiam dicendum, quare tales cum beſtiis conferantur. Id fit multas ob cauſas. Quamuis autem de interitu ipſorum hîc principaliter ſit ſermo: tamen etiam ratione vitæ ſunt ſimiles beſtiis.

1. Prona enim ſicut ſpectant animantia cætera terram, ita ipſi tantum circa terrena ſunt occupati, τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες Phil. 3. v. 19. &c. cum tamen Deus homini os ſublime dederit, vt cælum, hoc eſt cæleſtia & quæ ſupra ſunt, contueatur. Philip. 3. verſ. 14. Coloſſ. 1. verſ. 1. & 2.

2. Deinde ſimiles ſunt beſtiis cum moriuntur. Quia licet ſapientes, diuites, glorioſi fuerunt, tamen mox vbi mortui hinc abſceſſerint, omnia ipſorum altiſſima obliuione ſepelientur. Sicut iumentorum poſt mortem nulla eſt memoria. Vide Eccleſ. 2. v. 16. & 9. v. 5.

3. Ideo etiam ſicut beſtię interire dicuntur. Quia ſicut bruta moritura nihil de Deo cogitare poſſunt: ſic nec illi quicquam faciunt, quod ad ſalutem ipſorum pertinet: non commendant Deo animam: non orant pro remiſſione peccatorum, non quærunt Chriſtum aduocatum: ſed moriuntur ſine lux & ſine crux & ſine omni Deo, vt dicitur prouerbio. &c. Interdum etiam ſubitò abripiuntur mactandi vt oues: ſup. verſ. 15. & Ier. 12. v. 3.

DISCANT hinc pii ſic agere, ne ſimiles ſint beſtiis, vel in vita vel in morte. Nolite fieri ſicut equus & mu-

lus. Pſalm. 32.v.9. Et ne ſint deteriores aſino & boue. Eſa. 1.v.3. vel ciconia.Ier.8.v.7.

Idque vel hanc ob cauſam, quia poſt mortem talium deterior eſt conditio, quàm beſtiarum, quæ nihil ſentiunt mali. At qui beſtialiter vixerunt & ſic mortui ſunt, tum etiam æternos cruciatus ſentient. Quantò ſatius ipſis, ſi porci fuiſſent irrationales.

FINIS.

THEMA XV. CLASSIS IX.

Pſalm. 59. verſ. 6.

Ne ſis miſericors his, qui præuaricantur iniquè.

DISPOSITIO.

Quamuis titulus Pſalmi oſtendat, qua occaſione is à Dauide fuerit compoſitus, nimirum contra Saulem, cum vellet ipſum interficere 1. Sam. 19. tamen latius etiam ſeſe extendunt verba huius Pſalmi.

Etenim (vt interpretes plerique omnes ſtatuunt) loquitur Dauid hîc in perſona Chriſti, quia ſeſe in ſuis ærumnis meditatione acerbiſſimæ paſſionis conſolatus fuit.

Et quod Dauid de hoſtibus ſuis, idem magis Chriſtus de Iudæis infenſiſſimis hoſtibus, hîc conqueritur, & vltionem Diuinam aduerſus ipſos implorat. In illis impletum eſt, quod verſ. 7. & 15. fuit imprecatus, vt ſcilicet ſicut canes famelici diſcurrant, per omnes nationes. Sunt itaque hæc paucula verba [verſus 6.] verba Chriſti, quæ, quia prima fronte apparent aliena a mente ipſius, accuratius penſitanda ſunt.

Senſum itaque horum verborum primùm inueſtigabimus, deinde ſubiiciemus quæſtionem atque doctrinam.

Textus Paraphraſis.

Implorat Pſaltes ſub perſona Chriſti diuinam vltionem aduerſus hoſtes ſuos. Videatur verſus etiam 14. Pſalmi huius.

Ne

Ne verò existimet aliquis sine discrimine peccatoribus Christum imprecari vindictam & iram Domini, ideoque notandum erit.

1. Quosnam peccatores intelligat gratia Domini indignos: hos scilicet, qui præuaricantur iniquè, id est, qui sunt malitiosi, & obstinati in suis sceleribus audacter pergunt, & absque omni rubore peccant, & quos non pœnitet scelerum. Quales describuntur Esa. 3. v. 9. Non absconderunt peccata &c. Et Ier. 9. vers. 5. iniquè agendo sese fatigant. Et cap. 11. vers. 15. exultant in malitia sua.

2. His scilicet impœnitentibus & malitiosis peccatoribus imprecatur Christus, vt non misereatur ipsorum pater cælestis.

Quia non ex infirmitate sed ex proposito peccant, & contra conscientiam malitiosè agunt, neque agnoscunt sua peccata, nec dolent de admissis, nec cessant peccare: nec misericordiam Dei implorant, sed manent in peccatis. Ideoque indigni sunt gratia Dei.

QVÆSTIO.

Quæritur, An non hæc imprecatio Christi pugnet cum illa precatione eiusdem in cruce, Pater remitte. Luc. 23. vers. 34. Et an non sit hæc imprecatio contraria diuinæ misericordiæ, quæ omnium hominum peccata superat Rom. 5. v. 20.

Respondetur. Sicut Deus non tantum est clementissimus pater erga omnes pœnitentes peccatores, atque illorum mortem non vult qui conuertuntur, Ezech. 18. & 33. sed etiam vicissim seuerissimus est vltor & iudex eorum, qui in peccatis pertinaciter pergunt: Ita Christus quidem orauit pro his, qui ex ignorantia ab aliis decepti peccabant (si enim cognouissent Dominum gloriæ, non crucifixissent. 1. Corinth. 2. v. 8.) at pro impœnitentibus, qui scientes & volentes erant in peccatis perseueraturi, non rogauit. De his sonat isthæc præsens imprecatio, vt diximus. Hi sunt qui sanguinem Christi concul-

cant. Nec volunt conuerti, ſed tergum obuertunt Domino, Ierem.2.v.27.

Ideoq; traduntur in reprobum ſenſum, Rom.1.v.28. & indurantur, Eſa.6 v.10. iuſto Dei iudicio, vt pereant.

DOCTRINA.

I. Turpiter ſeipſos decipiunt, qui in miſericordiam Dei peccant, & impoſſibile hoc eſſe opinantur, vt clementiſſimus Deus aliquem propter peccata æterno igni adiudicet.

Etenim tàm iuſtus eſt quàm clemens: & poteſt iraſci peccatoribus non minus quàm poteſt eſſe clemens, Syr. 5. verſ.7.

Ira ipſius ignis conſumens, Deut.4.v.24. Inquiunt illi: Es iſt vmb einen guten ſeufftzen zu thun / wann wir ſterben wöllen / ſo iſts alles wett / ꝛc. Reſpondeo. Non eſſe ſeram quidem pœnitentiam, nec in ipſo mortis agone quidem, ſi vera & ſeria ſit. At quia Chriſtus talibus imprecatur, Ne miſerearis ipſorum, incertum eſt, an Deus his, qui malitioſè ſemper pœnitentiam extraxerunt & procraſtinarunt, hanc gratiam ſit largiturus, vt poſſint ſeriis gemitibus ad ipſum conuerti. Es möchte auch wohl der gute ſeufftzen gar außbleiben. Hinc rectè canit Eccleſia: Ich fürcht fürwar die Göttlich Gnad / die er allzeit verachtet hat / werd ſchwerlich ob jhm ſchweben. Admonitio hîc ſecuris inculcanda pluribus.

II. De peccato irremiſſibili, quod eſt in Spiritum ſanctum, ex hoc loco dici poſſet.

De quo vide Matth. 12. Hebr.6. & 10. 1.Ioan.5.

FINIS.

THEMA XVI. CLASSIS IX.

Prouerb.1. verſ.24. ad 29.

Quia vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum &c.

DIS-

DISPOSITIO.

Introducit hoc loco Salomon Sapientiam loquentem cum hominibus securis & contemptoribus verbi diuini. Siue autem per Sapientiam intelligamus verbum Domini, quod sapientiam præstat paruulis, [Psal.19.vers.8.] siue ipsum filium Dei, qui factus est sapientia [1.Corin.1.v.30.] nostra, idem erit sensus.

Duo autem hoc loco proponit Sapientia diuina. Primùm ostendit, quàm grauiter peccent homines securi & impœnitentes.

Deindè subiungit, quæ ipsis exspectandæ pœnæ, si non mox resipiscant.

Videamus vtrumque, & quid nos isthæc moneant, diligenter attendamus.

I. Pars.

De securis & contemptoribus varia queritur Sapientia Domini.

1. Vocaui vos, & renuistis venire.

Vocat autem per verbum Prophetarum, Christi & Apostolorum ad pœnitentiam, quod patet ex Esa. 21. v. 12. Ier.3.v.14. Ezechiel.14.v.6. Ioël.2. & 2.Petr.3.v.9.

Ipse Christus, Matth. 9. v.13. Veni vocare ad pœnitentiam. At plerique venire nolunt. Sicut vocati ad cœnam magnam, Luc.14.

Hæc magna ingratitudo, quæ offendit Deum grauissimè.

2. Extendi manum meam, & nemo aspexit. Varia autem denotat extensio manus Domini.

1. Vel sic vocat homines, vt veniant ad se, sicut dicitur Esa.65.vers.2. Tota die expandi, &c. Et hoc coincidit cum his, quæ iam sunt dicta.

2. Vel sic compescere vult & silentium indicere, (sicut pater filiis nutu, aut alius extensa manu silentium indicit, vt Paulus Act.21. v.40.) vt ipsum exhortantem, docentem, &c. audiant. Oues enim audire vocem pastoris, & ipsum sequi debent, Ioan.10.v.27.

At ſecuri nolunt animaduertere. Obturant aures ſicut ſerpentes, Pſalm.58.v.5.

Vide Hier.6.v.10. & 7.v.27. & 13.v.11.

Et tergum obuertunt, Hier.2.v.27.

3. Conſilium meum deſpexiſtis.

Salus vbi multa conſilia, Prouerb. 11. v. 14. Aber kein rath iſt gut/ man folge dann. Itaque manifeſtauit nobis Chriſtus omne conſilium patris. Ioan.1.v.18. Manifeſtaui vobis conſilia Dei, Actor.20.v.27. Nos mentem Domini tenemus, 1.Cor.2. in fine.

At ſpernunt homines pleriq; conſilium Domini, dum ſpernunt verbum ipſius, & ingrediuntur iuxta vias ſuas. Vide de Phariſęis Luc.7.v.30. Hoc vehementer afficit Dominum.

4. Correptionem meam noluiſtis.

Etiam pœnis & paternis caſtigationibus volui vos emendare. At nec hoc viſitationis tempus agnouiſtis, Lucæ 19.v. 44.

Non conuertuntur ad percutientem, Eſa.9.v.13. Hier. 2.v.30. Fruſtrà percuſſi.

Solet enim Deus beneficiis & pœnis homines ad pœnitentiam inuitare. Et dolet, ſi ne quidem pœnis poteſt ipſos attrahere.

VSVS huius loci is erit inter alia, vt diſcamus probare noſmetipſos, an nō in numero eiuſmodi contemptorum reperiamur. Nemo autem ſibi blandiatur, ſed ſua ſtudia & mores diligenter exigat, & expendat, quàm paternè hactenus à Domino fuerit monitus: vbi deprehendet facilè, an non iſtas admonitiones ſecurè contempſerit. Sicut illi, qui pactum cum inferno ſe feciſſe gloriantur, Eſa. 28.v.15. Iſta ſecuritas plures perdidit. 1. Theſſal.5.v.3. Ergo fatere culpam: reſipiſce, & hodiè ſi audieris vocem Domini, obtempera. Pſalm.95. Noli procraſtinare pœnitentiam. Quia ſequitur iam pœna.

II. Pars.

Iam denuntiat pœnam ſecuris & contemptoribus.

1. In-

1. Interitus, & perditio, quam timetis, veniet super vos.

2. Et inopinatus quidem super vos veniet interitus, vt non possitis effugere. Veniet enim sicut turbo. Et sicut tempestas. Da ist kein außreissen.

3. Et ne possent sperare meliora, & dicere: At tu Domine tum iuuabis nos, pro tua clementia insigni, ideò iam præcidit ipsis omnem spem: imò ait, ego tum ridebo & subsannabo vos.

Par pari referam. Vos me irrisistis & subsannastis docentem, monentem, castigantem, &c. nec quicquam vos mouit. Ita & me nihil commouebit vestra angustia: Es soll mir nicht zu Hertzen gehn.

4. Attamen clamabimus ad te Deum nostrum, & non poteris denegare opem tuam? Respondet, Ego non audiam inuocantes. Frustrà tum clamabitis. Es wirdt zu spat seyn.

DOCET, Maximas imminere calamitates securis, & inprimis metuenda hæc duo. 1. Subitò peribunt illi, cum nihil tale exspectant. Balthasar, Dan. 5. Diues, Luc. 12. hac nocte auferetur anima.

2. Perituri sunt sine omni auxilio. Ostendunt id similitudines de tempestate coorta subitò, quam nemo potest impedire vel auertere. Sic turbo, ventus repentinus obuia quæque vastat, &c. Et grauissimum est, quod à Deo nihil possunt exspectare auxilij nec clementiæ. O grauem sarcasmum, si Deus riserit in interitu nostro. Graue est, si id faciant homines. At quid tum erit? Extremum refugium est, conuerti ad preces. At si Deus non audire velit? O miseriam. Vide querelam Saul. 1. Sam. 28. v. 15. Hæc certè sunt seriis gemitibus deploranda, & occurrendum Deo in tempore, Amos 4. v. 12.

Quæritur autem, an non hoc naturæ Dei aduersetur, & scripturis aliis, si non audiat clamantes ad se? Resp. De pœnitentibus hîc non esse sermonem, sed de impœnitentibus, qui coacti malis clamant, non ex fide, &c. Ea-

dem est ſententia. Eſa 1. verſ. 15. Mich. 3. verſ. 4. Prou. 21. v. 13. Ier. 7. v. 16. Ezech. 8. v. 18.

FINIS.

THEMA XVII. CLASSIS IX.

Prouerb. 11. verſ. 4.

Diuitiæ non proderunt in die iræ: at iuſtitia liberabit à morte.

DISPOSITIO.

Diuitias poſſeſſoribus inſtar muri validi eſſe Salomon author eſt, Prou. 18. v. 11.

Sic quidem in his terris, & ad tempus poſſunt ſuos defendere, & apud homines. At viciſſim hoc loco docet, diuitias aliquando planè nihil poſſe iuuare poſſeſſorem, ſcilicet cum mortis vel iudicij hora aduenerit: ideoque aliud eſſe quærendum, quod à morte & in morte poſſit liberare. Hoc enim vult inſignis hæc, quam legi audiuiſtis, ſententiola Salomonis. Quæ quia bimembris eſt, de duabus his (quas iam attigimus) admodum neceſſariis rebus monere poterit.

Vtrumque membrum itaq; ſigillatim tractabimus: & ſingula vtriuſque verba, quia valdè ſunt emphatica, enucleabimus.

I. Pars.

1. De diuitiis pronunciat Salomon, quod non proſint, aut non iuuent.

At cap. 10. v. 2. idipſum pronunciat de diuitiis iniuſtè partis. Et de his quidem extat prouerbium, De malè quæſitis non gaudet tertius hæres. Sed longius progreditur, atque hoc loco indefinitè & generaliter pronunciat, quod nihil iuuare poſſint: etiamſi maximè ſint iuſtè partæ.

Quomodo verò non proſint? An non inſtar muri ſunt, vt initio dictum? An non indè vitam & domeſticos ſuſten-

ſuſtentare liberaliter poſſumus? Quin imò, & genus & formam regina pecunia donat. Et certum eſt, ad omnes vitæ partes multum poſſe facere diuitias. Apud homines iſthæc valent. Apud Deum non item.

2. At ſeipſum explicat Sapiens, dicens, Nihil prodeſſe diuitias in die iræ.

1. Dies iræ eſt, tempus vltionis & vindictæ diuinæ, cum Deus ad ſupplicium rapit impios.

De hac die vide Sophon.1.v.18. & præcedentibus.

2. Dies iræ etiam eſt dies mortis: vbi irati Dei faciem vident impij morituri. De hac die iræ vide Syrach. 18. verſ.24.

3. Dies iræ tandem etiam vocatur.Rom.2.v.5. dies extremi iudicij: qua pronuntiabitur ſententia irati iudicis. De hac videtur hîc potiſſimum loqui: ſicut ex altero membro patet, vbi de morte æterna loquitur. Quacunque igitur die Dominus viſitauerit diuites, nihil iuuare poterunt diuitiæ: neque vltionem impedire, nec mortem retardare, nec æternam damnationem ab iis auertere.

LOCVS. Videmus quantum à via veritatis aberrent, qui tantum hanc ob cauſam ſibi optant diuitias, quod putant (ſicut & multi ex his, qui poſſident diuitias, ſibi perſuadent) neque Dei neq; hominum præſidio opus eſſe diuitibus, atque tales extra omnem (quod dicitur) teli iactum poſitos. Siue enim fames, ſiue bellum, ſiue peſtis. &c. ſemper illos poſſe effugere malum, & aliorſum ad loca tuta migrare.

Ideoq; pecuniam & aurum pro ſolatio habent. Iob. 31. verſ. 24. At Deus pecunia non flectitur ad commiſerationem. Nec mors pecunia, quantumuis ingenti, corrumpi ſe patitur: ſed mors Dominum ſeruo, ſceptra ligonibus æquat. Et quid tentatum conſolabitur pecunia? Syr. 5. v. 10. imò terrebit & accuſabit potius, quia fuit ſcandalum iniquitatis. Ezech. 7. v. 19. Neque etiam ex inferno quiſquam pecunia & diuitiis redimitur, vt clare patet Pſalm. 49. v. 9. Exemplum Epulonis, Luc. 16. id teſtatur.

Stulti

Stulti igitur ſunt (ſicut dicitur Diuiti, Luc. 12. verſ. 20.) 1. non tantum ij, qui benedicunt animæ ſuæ propter diuitias, hoc eſt, qui in illis lætantur: ſed 2. magis qui confidunt in illis. 3. & hi etiam, qui illas vnicè exoptant, & tanquam prædæ inhiant illis. Quia nihil proderunt. Imò nocebūt inhiantibus, vt patet 1. Tim. 6. v. 9. Vide inſignem locum Ezech. 7. v. 19. Taceo, quod mortem faciunt acerbiorem, Syr. 41. & relinquuntur cum dolore, Eccleſ. 5. v. 15. Aliud igitur potius quærendum. De quo ſequitur.

II. Pars.

1. Iuſtitia liberat à morte. Hoc mirum videri poſſet, quia etiam iuſti (qui ſic in ſcripturis nominantur, vt Noha, Gen. 6. v. 9. Loth, 2. Petr. 2. v. 8. & pii, Eſa. 56. in fine) mortui ſunt. Itaque de morte corporali, quæ via eſt vniuerſæ carnis, 1. Reg 2. v. 2. (tàm iuſtorum quàm iniuſtorum) hæc non debent intelligi: ſed de morte æterna.

2. Per iuſtitiam autem non poteſt intelligi propria ſanctitas, iuſtitia hominum, quod, quia ſint cæteris iuſtiores, non poſſint damnari iuſtè.

Etenim omnes iuſtitiæ noſtrę ſunt ſicut veſtis immunda, Eſa. 64.

Itaque hæc intelligenda de iuſtitia fidei. Cum enim Chriſtus factus ſit nobis iuſtitia, 1. Corin. 1. v. 30. credentibus illa imputatur per fidem, Rom. 3. v. 12. Hinc iuſtificati fide pacem habemus cum Deo, Rom. 5. Hoc nihil eſt aliud, quàm quod Chriſtus ait Ioan. 5. v. 24. Qui credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, ſed tranſibit à morte in vitam.

LOCVS. O ars artium, & ſcientia ſcientiarum, quæ nos tutos præſtat à morte. Ein Kunſt die für den Todt gut iſt. Et quidem tantò nobilius hoc eſt remedium, quantò crudelior eſt mors æterna, quàm corporalis.

Quod ſi omnes quærerent (ſi modò poſſent) præſeruatiuam à morte corporali, quantò magis quærendum id, quod præſeruat à morte æterna.

Hûc

Hûc hûc itaque aduerte animum, qui vis eſſe immortalis. Da operam vt ſis iuſtus. Sic non morieris. At quomodo potero eſſe talis? Crede in eum, qui iuſtificat impium. Rom.4.v.5. Apprehende eum, qui eſt iuſtitia noſtra. Hier.33.v.17. Iehoua iuſtitia. 1.Cor.1.v.30. Et ex fide quoque ſectare iuſtitiam. 1. Tim.6.v.11. De his alibi plura. Sic iuſtus eris & immortalis, propter Chriſtum.

FINIS.

THEMA XVIII. CLASSIS IX.

Prouerb.14. verſ. 11.

Domus impiorum delebitur. Tentorium autem rectorum florebit.

DISPOSITIO.

Nihil ferè eſt in communi vita, quod magis offendat pios & cordatos, quàm ſi videant florere impios inſtar lauri, vt habet Pſalmus 37. & contrà pios ſubindè attenuari & minui. Hinc Propheta etiam Deo ſuo litem mouere cupit, Hierem.12. verſ.1. Et Pſaltes propè commotus eſt, Pſalm.73. verſ. 2. Atque hodiè etiam hic nodus multos torquet. At Salomon hoc loco egregiè pauciſſimis verbis docet, quod magna ſit quidem diſparitas ſiue inæqualitas inter rectos & impios, in his terris: maior autem ſit futura poſtquam illi vtrinque hac vita functi fuerint.

Nos 1. collationem inſtituemus inter fortunam vtriuſque, recti ſcilicet & impij, in hac vita.

2. Fortunam vtriuſq; poſt mortem conſiderabimus.

I. Pars.

Quantum ſit diſcrimen inter fortunam piorum & impiorum in hac vita, quoad externam faciem & coram mundo, Salomon elegantiſſimè tantum duobus verbis depingit: quando ſcilicet impiis tribuit domum, & piis ſiue rectis tentorium aut tabernaculum.

Quan-

Quantum enim domus affabrè extructa pręstat tabernaculo & tuguriolo vilissimo, quod à vento facilè disiicitur: tantum excedit illa felicitas externa impiorum fortunam piorum tenuem.

Nec ab hac sententia Salomonis discrepat id Psalmi 73.v.4. quod dicuntur consistere immunes à periculis, instar palatij firmissimi. Et Psal.144.v.12. Filij eorum & filiæ tanquam palatia exornata, &c.

Sunt enim multi impij diuites, quibus pecunia murus validus, Prouer.18.

Et sicut domus firma atque stabilis nulla vi ventorum potest euerti, ita videntur illi nullo infortunio posse deiici à statu dignitatis.

Gloriantur de generis nobilitate, amicorum erga ipsos fide, opum atq; bonorum cumulo.

Et cæteri omnes beatum dixerunt, cui sunt hæc, Psal. 144.v.vltimo.

At pij plerumq; sunt tenuioris fortunæ, & multis circumuenti malis. Vide Hieremię querelam cap.12. Et Psaltis illius, Psal.73.v.14.

Mundus illos premit, & quandoque etiam opprimit. Sicque tanquam in tabernaculis & tentoriis viuunt, quæ nusquam ab iniuria tempestatum tuta sunt, &c.

Vsvs huius loci hic erit, vt pij de sui tabernaculi vilitate & miseria sæpè cogitantes, cupiant dissolui, Phil.1. v. 23. & superindui tabernaculo non fabricato manibus, sed æterno, 2.Cor.5.v.1. & 2.

Sicque moneantur, quod non habeant hîc ciuitatem manentem, Hebræ.13. vers. 14. Sic & Petrus ipse corpus suum vocat tabernaculum mox destruendum, 2. Petr. 1. vers.14.

Nec moueantur felicitate impiorum, Psalm.37.vers.1. sed cogitent, si maximè ipsi variis aduersæ fortunæ tempestatibus obruantur, hanc esse tentorij eius fortunam, quod domum luteam vocat, Hiob.cap.4.v.19.

Et minori cum dolore relinquere possunt sua tuguriola,

la, quàm diuites impij ſua palatia. Mors itaque non amara ipſis eſſe debet, Syr.41.

Ideoq; πολίτευμα in cœlis illos ſolari debet, Phil.3. vbi paratæ manſiones auguſtiſſimæ, Ioan.14.verſ.2. in quibus nec dolor, nec gemitus, Apocal.21.v.4. cum viciſſim impij ablegandi ſint ad lacum ardentem, igne & ſulphure, Apocal.21.v.8.

II. *Pars.*

Magna verò rerum inuerſio futura eſt, poſtquàm diem ſuum obierunt & recti & impij.

Tum enim domus impiorum, quæ videbatur nũquam euertenda, ſubitò concidet, & funditus delebitur.

Per domum in ſcriptura ſæpius intelligitur poſteritas ſeu familia. Vt domus Dauid creſcebat, & domus Saul decreſcebat, 2.Sam.3.v.1. Sic Deut.25.v.9. dicitur frater defuncto fratri, per liberorum ex vidua ipſius procreationem, ædificare domum.

Hoc itaque vult, impiorum poſteritati Deum non benedicturum, vt ſic ipſius memoria cum ipſis deleatur. Sic Eſa.14.v.20. Non vocabitur ſemen peſſimorum. Nemo honeſtam ipſorum faciet mentionem, & vel carebunt poſteris, vel tamen illi erunt pauperes, Eccleſ.5.v.13. atque ignobiles, & nemo poſteris benefaciet, ſed omnes execrabuntur ipſos, & ſic delebitur omnis domus eius. Ita Pſal. 37. ſemen impiorum peribit.

Contrà, vbi tabernaculum piorum videbitur planè eſſe deſtructũ, ibi tum florere incipiet. Etenim generationi rectæ benedicetur, Prou.10.v.7. atq; in perpetua memoria erit iuſtus, Pſalm.112. Nec vnquam delebitur ſemen & memoria ipſius: benefaciet ipſius poſteritati Dominus in mille generationes, Exod.20.v.6. Mortuo excitabitur ſemen, Eſa.61.v.9. Et liberabitur, Prou.11.v.21. Nec deerunt benefactores excitati à Deo, qui celebrent benefacta piorum. Sicque immortales erunt. Et hoc verè eſt florere. Vide Syr.44.v.10. & ſeqq.

Sed

Sed & in altera vita, vbi impij æternis ignibus vstulati marceſcent, florebunt pij in perpetuo gaudio. Iuſtus florebit. Pſal. 92. v. 13. & 14.

Vsvs huius loci is eſt, vt quicunque benè cupiunt familiæ & poſteritati ſuæ, & qui florere ipſos poſt mortem ſuam volunt, ſtudeant pietati.

Plerique hodiè in eo errant, quod ſic optimè poſteris conſultum putant, ſi multas ipſis relinquant opes. At illæ cum poſteris tranſituræ ſunt, nec quicquam iuuabunt, imò retardabunt ipſorum pietatem non rarò. Ideoque tum demum optimè conſulere poteris poſteritati, ſi relinquas poſt te benedictionem Domini, nomen laudabile, & memoriam nulla obliuione delendam. Id iuſtis contingere aſſerit Pſalmus 112. v. 2. & 3. Et Salomon Prou. 10. verſ. 7.

Ideoque opera danda vt ſimus iuſti, & iuſtificati per fidem ſectemur omnem pietatem, iuſtitiam, &c. De quo monet Paulus 1. Tim. 6. verſ. 11. & 2. Tim. 2. verſ. 22. Sic florebunt poſteri. Ideoq; fama pretioſior auro dicitur. Prouerb. 22. v. 1. Syr. 42. v. 15. Eccleſ. 7. v. 2.

FINIS.

THEMA XIX. CLASSIS IX.

Prouerb. 19. verſ. 26.

In funere filij impij & inobedientis Decoctoris tractandum.

Qui affligit patrem & fugat matrem, ignominioſus eſt & infelix, ſiue maledictus,

DISPOSITIO.

Inter Decalogi præcepta ſecundæ tabulæ non tantum primum obtinet locum illud, quod patrem & matrem iubet honorare, ſed & idipſum, Paulo teſtè, primum præceptum eſt in promiſſione. Epheſ. 6. Quo ſignificare voluit Dominus, quàm ſtrictè illud velit obſeruari. Reperiuntur tamen plurimi, qui iſtud ſecurè contemnunt: & quod

& quod deterius est, sibi interim blandiuntur, si maximè parentes non honore, sed mœrore affecerint. Talem casum nobis (haud dubiè experientia dolenda edoctus) proponit Salomon. Eius singula primum verba excutiemus, deinde doctrinas subiiciemus.

Textus Paraphrasis.

1. Qui vastat patrem, inquit, ignominiosus est filius. Vastare patrem dicuntur filij, qui res patris clàm auferunt, & domum illius plenam atque refertam paulatim euacuant, & vastitatem in ædibus paternis efficiunt. **Kistenfeger/ die auß tragen / Wein/ Brodt/ vnd was sie finden.**

Hoc fit ab illis, qui sua prodigalitate & vita scelerata omnia solent decoquere: Vel sic meretrices alunt [Prou. 29. vers. 3.]. Vel prauis sodalitiis seducti omnia dilapidant. Filius perditus. Luc. 15.

Vel si passim æs alienum contrahant, parentes argento emungunt, ne in carcerem detrudantur aut malè pereant, propter debita. **Die können einem Vatter das Hauß vnd den Seckel bald leeren.**

2. Aliud scelus etiam recenset. Qui matrem fugat, ignominiosus est filius. Sunt qui matri viduæ nihil se honoris debere opinantur: ideoque post patris obitum, ipsis minimè luctuosum, mox inuolant in bona paterna, & licenter omnia dilapidant, vt vel mater domum & agros & omnia vendere, vel bonis cedere atq; locum mutare cogatur, tantum vt ab iniuria filij tuta sit. Exempla non sunt nulla.

3. Quid autem tali filio exspectandum? Ignominia & maledictio, non tantum corporalis & terrena, sed & æterna: sicut Cain & Cham maledicti fuere à Deo & hominibus. **Das wirdt ein solcher Galgenvogel daran gewinnen.**

Et sæpè Deus pœna talionis illos punit in hac vita, vt idem à suis experiantur liberis. Quosdam autem maioribus & æternis pœnis reseruat.

LOCI.

I. Monendi ergò ſunt hoc loco omnes hi, qui ſub diſciplina parentum ſunt, vel etiam qui iam ſunt (vt ipſi quidem putant) ſui iuris, & tamen parentes adhuc habēt in viuis, ne exiſtiment, omninò licere ipſis, ſic exuere parentes, & bonis atq; facultatibus orbare, vt ipſis cum familia benè, parentibus verò malè ſit: vel vt cum Paulo loquamur, vt ipſis ſit relaxatio, parentibus anguſtia.

Hoc enim noſtro tempore communiſſimum eſt, quod filij adultiores, qui & ipſi familias ſuas alere coguntur, vnum hoc optant, vt vel parentes mox decedant è viuis, vel tamen cedant bonis, vt ipſi ſuos liberalius poſſint ſuſtentare.

Quod ſi nolint hoc facere parentes, ipſi omnia tentant, vt vaſtent domos parentum, vel furtim ſurripiendo quæcunque poſſunt, vel ære alieno grauando bonos parentes. Et aliis multis modis.

Hi ſunt vaſtatores illi paternarum ædium, de quib. Salomon hoc loco. Alij idem aliis modis agunt. Alij cum matribus viduis ſic agunt, vt ſuprà diximus in Paraphraſi. Et hi tamen omnes nolunt videri tam grauiter peccaſſe.

Inquiunt: Es iſt doch mein/ was mein Vatter vnd Mutter hat. Es gehört doch mir zu. At talibus hæredipetis denunciat Salomon maledictionem. Prou. 20. v. 21.

Sed & quibuſcunque aliis, qui affligunt parentes, grauis comminatio proponitur. Prou. 30. v. 17.

Quin potius hoc agant pij liberi, vt parentes, præſertim pauperes, aut ſenio confectos, aut altero coniuge orbatos, conſilio & auxilio iuuent, & ſic exhilarent [Prou. 23. v. 24. & 25. Et Prou. 10. v. 1. & 15. v. 20.] vt ipſi aliquando idem à ſuis ſperare poſſint. Vide præcepta Tobiæ. Tob. 4. Syr. 3. Et Prou. 23. v. 22. Eph. 6. v. 2. Col. 3. v. 20. Exemplum ciconiarum his proponendum, &c.

II. Sed & parentes non nimium indulgeant filiis, præſertim ſi videant eſſe decoctores. In tempore his rebus occurrant. Non cedant bonis ante tempus, ſicut pater

ter filij perditi. Luc. 15. præsertim si vident liberos propendere ad prodigalitatem. Serò medicina paratur postea. Multi nolunt illos contristare, sicut de Dauide legitur. 1. Reg. 1. vers. 6. Postmodum verò illi contristant parentes. Were aber besser Kinder weineten als die alten. Itaque tenendæ regulæ Prou. 13. v. 24. & 23. v. 13. & 29. v. 17. Syr. 30.

III. Magistratus videns filios sic affligere parentes, coherceat inobedientes, vigore legum sacrarum, Exod. 21 v. 15. & 17. Leuit. 20. v. 9. Deut 21. v. 18. 19.

FINIS.

THEMA XX. CLASSIS IX.

Esaiæ 14.

Non vocabitur in æternum semen pessimorum.

DISPOSITIO.

In hoc capite Esaiæ vaticinatur Propheta contra Regem Babylonium, eique minatur pœnas grauissimas, propter tyrannidem, quam exercuerit, & in suos & in alios. Et inter cęteras pœnas, quod scilicet sit præcipitandus ad inferos, & priuandus honore sepulturæ, etiam hanc ponit, quod memoria ipsius ęterna obliuione delenda sit. Quia verò hæc non ad Regem illum Babylonium tantum, sed & ad omnes impios & impœnitentes pertinent, Iddeoque hæc paucula verba tractanda suscipiemus, hoc pacto, vt occasione huius loci dicamus.

1. Quam magna pars felicitatis sit honesta defunctorum memoria, & viciſsim quanta maledictio sit, si nulla vel non honesta fiat defuncti memoria.

2. Quid faciendum vt maneat honesta nominis nostri memoria: quidve fugiendum, ne deleatur memoria nostri super terram.

I. Pars.

Multi sunt qui planè nihil curant, siue aliqua post mortem memoria nominis extet vel non: & parùm etiam referre putant, siue honesta siue inhonesta ipsorum

fiat mentio post mortem, dummodò illi non audiant malè cum viuunt.

Hi Stoici & Epicuræi non rectè sentiunt.

Etenim ipse Dominus singularis beneficij loco hoc promittit bonis, quod honestam ipsorum etiam post mortem memoriam sit conseruaturus. Psal. 112. v. 6. Prou. 10. v. 7. Dauidi promittitur nomen quale est magnorum in terra. 2. Sam. 7. Et is magnas agit gratias Deo suo propterea.

Christus mulierem commendat propter opus bonum, & promittit illi memoriam sempiternam. Matth. 26. v. 13. Marc. 14. v. 9.

Ideoque Salomon auro pretiosiorem famam vocat. Prou. 22. vers. 1. idem Syrach. 42. vers. 15. sentit. Item Eccles. 7. v. 2. melior vnguento. Ethnici quoque intellexerunt quantum bonum sit, honesta fama nominis. Ideoque sic immortales fieri voluerunt. Neque vnquam Thebanus ille Hercules tot fuisset labores & pericula subiturus, si nulla æternitatis cura animum tetigisset. Hinc Curtij, Reguli & aliorum fortia facta manarunt.

Contrà verò inter maledictionis diuinæ species hæc non minima censenda est, si deleatur memoria hominũ. Id patet ex verbis Esaiæ prælectis: vbi minatur Deus Regi Babylonio, quod memoria ipsius atque seminis eius perpetuá obliuione delenda sit. Sic etiam minatur Dominus aliis impiis. Deut. 32. Delebo memoriam nominis ipsorum. Similia multa vide passim. In specie de Amalechitis. Exod. 20. De Ammonitis etiam. Exech. 25. v. 10.

Et in genere de omnibus impiis.

Deut. 29. v. 20. & 9. v. 14. Iob. 13. v. 12. & 18. v. 17. & 24. v. 20. Prou. 10. v. 7.

Idipsum imprecatur malis Psaltes.

Psal. 9. v. 6. & 109. v. 13. & 15.

Item Sap. 4. v. 19. Syr. 10. v. 20.

Quod si verò impiorum etiam mentio fiat post mortem, idipsum maledictio erit.

Quia

Quia non in laudem hoc cedit ipſorum, ſed ad ignominiam. Et hoc imprecatur malis Pſal.109.verſ.14: vt non deleatur memoria peccatorum. Sic memoria Sodomorum Sapient. 10. v. 7. conſeruatur, ad perpetuam illorum infamiam. Eſt hæc maledicta memoria Syr.23.v.36.

Satius eſſet ipſorum nunquam fieri mentionem, quàm ſi ita ſint celebres, vt eſt Pilatus, Iudas, &c.

VSVS huius loci inter alia hic erit, vt intelligamus peccare eos, qui defunctis bonis, de Eccleſia vel Republica benè meritis, conuitium faciunt, vel tamen honeſtam ipſorum non faciunt mentionem: & malos viciſſim, Deo & hominibus exoſos, commendant. Quod multis hodie ſolenne eſt, &c. Dauid Ionathanum mortuum immortalitati conſecrat.2.Sam.1.

II. Pars.

Ex prędictis facilè patebit, quid faciendum vt conſeruetur memoria noſtra cum laudibus, ſicut habetur Prou. 10. v. 7. in verſione Latina. Etenim quia iuſti memoria æterna erit, & iuſti memoria in benedictione conſeruabitur, iuſtè & piè agamus, vt nomen etiam noſtrum viuat poſt funera. De quo Syr. 42.verſ.16. Sicut etiam ipſi, de quibus ſuprà diximus, Ethnici intellexerunt, quod viuat poſt funera virtus. Ideò virtute illi ſua laudem immortalitatis conſequi voluerunt apud poſteros.

Nos id vera fide & pietate, atque virtutibus ex fide profectis conſequi ſtudeamus, vt apud Deum & homines ſimus poſt mortem celebres, vt ſunt Noe, Daniel, Hiob, &c. Vide Ezech.14.verſ.14. Studeamus benè mereri de Eccleſia, Republica & priuatis omnibus. Et ſi plus non poſſumus pręſtare, tamen precibus iram Domini auertamus. Ezech.13. & 22. Vide Sap.8.verſ.13. per ſapientiam habebo immortalitatem & memoriam æternam.

Huius ſapientiæ initium eſt timor Domini, Prouerb.1. Syr.1. Timor Domini gloria eſt & corona. Syr.1.v.11. Vide quomodo & Magiſtratus boni Syr.44.v.9. & Miniſtri Eccleſi-

clesiarum Syr.39. ante finem, iuxta vers. Germ. honestam acquirant nominis famam.

Contrà verò quia ex Ps.34.v.7.& Sap.4.v.19.atq; cæteris locis suprà parte 1. citatis patet, quod deleatur memoria nominis impiorum, eorum scilicet, qui sibi blandiuntur in peccatis suis Deut. 29. vers.19. qui adulteriis & immisericordia erga pauperes Deum offendunt Iob. 24. vers. 20. qui sunt calumniatores, & malum pro bono rependunt, Psal.109.vers.2.& 15. qui superbia peccant. Syr.10.v. 20.&c. facilè hinc omnes vident, quid fugiendum, ne vel nulla vel non honesta defunctorum post mortem fiat mentio, &c. Possunt hæc explicari singula latius.

FINIS.

THEMA XXI. CLASSIS IX.

Esa. 28. v.14. & 15.

Audite illusores, qui dicitis, percussimus fœdus cum morte & cum inferno pactum &c.

DISPOSITIO.

Grauissimè his verbis reprehendit Dominus illusores securos, qui comminationes Prophetarum paruipendebant. Nec quidem cum vulgo hominum hic loquitur, sed cum his qui sedebant ad gubernacula Reipublicæ: Audite vos, qui dominamini super populum meum, ait.

Egregiè autem depingit cogitationes hominum securorum. Licet enim illi præsertim potentiores & authoritate graues, talia non apertè proloquantur, Dominus tamen, qui est καρδιογνώστης πάντων, has ipsorum cogitationes intelligit, & hoc loco in lucem producit: Cum itaque idem planè sit ingenium illusorum & securorum omni tempore, libet has illorum cogitationes excutere, vt scilicet discant alij, Deo has esse cognitas, & rectius sentiant. Atq; cum tria sint ipsis metuenda mala, quæ tamen illi superare facilè posse videntur, de singulis ordinè dicemus.

I. Pars.

I. Pars.

Nos ordinem Prophetæ inuertemus, & quod is vltimo loco ponit, primo loco tractabimus, Quia istud cætera antecedit semper.

Primum itaque malum securis metuendum, sunt communes calamitates, quæ tanquam eluuiones immittuntur orbi. Gemeine Landstraffen. Vbi omnes simul inuoluuntur. Da muß Kuh vnd Kalb miteinander gehn.

At nec his se tangi posse putant securi. Ideoque in corde suo dicunt: Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos.

MONET hic locus, quàm accuratè Deus obseruet cogitationes hominum, qui cõtemnunt omnes illius comminationes, tanquam si sint fulgura ex pelui.

Et sanè etiam inter nos non pauci reperiuntur, qui iisdem cogitationibus indulgent.

Neque ex vulgo hominum tantum, sed & ex optimatibus, vt & hoc loco. Putant enim illi, Nullam calamitatem tam magnam, quin illi possint tum inuenire effugium, quia contra omnem fortunam satis sint muniti.

Si sit fames, habere se sat bonorum vnde possint vitam sustentare.

Si bellum, pecunia etiam ab hoste vitam posse redimi.

Si pestis grassetur, sumptus suppetere, vt possint in alia loca tuta migrare. At sciendum, quod qui has cogitationes aspicit, possit omnes tales conatus interuertere, & tales rapere ad supplicium, etiam si in cœlo nidum ponant inter stellas, Obad. vers. 4. aut in abysso maris sese abscondant. Amos 9. v. 3. Quis enim effugiat manum Domini? Psal. 139. Alia itaque ratione procedendum, si velis esse tutus. Age pœnitentiam: humiliare coram Deo. Sic sta oppositus contra Deum Ezech. 13. vers. 5. & 22. v. 30. & præparare in occursum Deo. Amos 4. vers. 12.

II. Pars.

Alterum malum metuendum securis, est mors. Illa

quidem malum impiis horribilissimum. Sed & hanc securè contemnunt præuaricatores. Putant longè abesse terminum vitæ, cum sint adhuc vegeto & valido corpore. Ideoq; non aliter agunt, ac si pactum fecissent cum morte. **Als wann sie Brieff vnd Sigel hätten / daß sie noch nicht sterben würden.** Fœdus cum morte fecimus.

LOCVS. Etiam nostratibus hæc admonitio necessaria admodum. Obsecro autem te, vt animaduertas, quomodo Deus tàm accuratè audiat, & obseruet voces illas, cum securi monentur de morte, & vt sese præparent ad nouissimam horam, quæ superuentura sit, cum illi non putabunt, Luc. 12. v. 40. ibi respondent per iocum: Multum adhuc absum à mortis termino. **Ich hab ein harten Kopff: Der Wein schmeckt mir noch wohl: Ich stirb noch nicht: Es wird hiezwischen noch viel Wasser den Berg hinunder lauffen/biß es darzu kompt.** Et infinita alia audiuntur ab illusoribus.

Hoc certè non aliter accipit Deus, ac si dicerent, Nos pactum fecimus cum morte. At irritum id facit Deus. Ideoque sæpè de improuiso abripiuntur illi, & superuenit mors tanquam laqueus, Luc. 21. v. 35. Cauendæ itaq; illusiones istæ, quas Deus audit. Et vigilandum potius, atque orandum omni tempore, Matth. 24. & 25. Marc. 13. & 14. 1. Petr. 5.

III. Pars.

Tolerabile esset, si mors finem faceret omnium malorum, quæ sunt timenda impiis: at restat ipsis adhuc tertium malum, & quidem maximum, scilicet infernus, æternum gehennæ incendium. At ne infernum quidem securi timent, licet audiant de horrendis cruciatibus. Cum inferno fecimus pactum, dicentes.

LOCVS. An non audis, ô Christiane, talia dicentes, apud nos? At Deus prohibeat, inquis, quis tam sit impius? Quid verò aliud dicunt illusores isti, qui audientes de inferni horrendis cruciatibus ex Euangelio Luc. 16. de Epulone & aliis locis, risum vix continentes dicunt, **Wann**

die

die Schäffer nit vom Wolff / vnd Pfaffen nicht von der Höll sagen könten / so wisten sie nichts. Die Höll ist nicht so heiß: Der Teuffel nicht so schwartz. Er muß dennoch machen/daß man bey jme bleiben kan. Et multa alia. Quid hoc aliud est, quam si dicant, Pactum fecimus cum inferno? Wir wöllen mit dem Teuffel wol tädingen. Et sanè optimates, illustres, aut nobiliores nonnulli indignū sua persona iudicant, quibus subindè ingrata illa de inferno & Diabolo concio proponatur. Sie meinen der Teuffel dürff sie nicht holen/ sie seyen jhme zu stattlich.

At nec hoc loco his qui dominabantur super populum Iuda, vult parci Dominus, & pactum illud cum inferno irritum se facturum pronunciat. Etiam purpurato illi, Luc. 16. Imò Regibus quoque paratus infernus, attestante Esaia cap. 30. v. 33. Caue igitur à peccatis, si vis tutus esse ab inferno.

FINIS.

THEMA XXII. CLASSIS IX.

Hierem. 12. vers. 3.

Rapis eos quasi ouem ad mactandum, & sanctificas eos in diem occisionis.

DISPOSITIO.

Sæpè pij etiam in corde suo cum Deo disputant, quomodo fiat, vt impiis benè, piis verò malè sit, in his terris. Atque non raró solicitantur à carne sua ad indignationem. At spiritus aduersus carnem pugnans, semper ita dirigit illas piorum disputationes, vt eluctentur, & sese colligant, atque Deo laudem iustitiæ tribuant, cum videlicet ad normam verbi Diuini iudicia Domini exigunt. Psalm. 73. vers. 17. vt videre est Psalm. 73. vers. 2. & 15. & Hiob. 21. vers. 6. & seqq. & tandem vers. 16. Talis quoque inter alios est hic locus Hieremiæ. Qui licet primùm litem Deo suo intendere voluerit, hanc eandem ob caussam, mox tamen mutat sententiam, & veram caussam,

cur Deus ad tempus impiis proſperam concedat fortunam, nobis ediſſerit.

Quia igitur non libenter acquieſcit animus humanus, hæc verba diligenter penſitanda erunt.

Videbimus autem 1. de quibus hîc loquatur Propheta. 2. Quid de illorum felicitate ſentiat & pronunciet hoc loco. 3. Et quid nos iſthæc moneant.

I. Pars.

Primùm ſciendum duo eſſe genera impiorum, qui proſperiori fortuna vtuntur.

Alii ſunt hi, de quibus ſpes aliqua ſupereſt, fore vt conuertantur ad Dominum.

De his mentio fit Rom. 2. v. 4. & cauſa ibi alia additur, quare illis benefaciat Dominus, ſcilicet vt ſua bonitate illos inuitet ad pœnitentiam.

Tales interdum redeunt in viam. Et tales fuerunt plurimi ex gentibus, qui ad Chriſtum ſunt conuerſi. 1. Cor. 6. v. 11. De his non loquitur Hieremias hoc loco.

Alii verò ſunt qui contemnunt diuitias bonitatis & miſericordiæ Domini, & planè ſunt deſperati & deplorati, qui habent cor pœnitere neſcium, & colligunt ſibi irā in die iræ, quo patefiet iuſtum Dei iudicium. Rom. 2. De his loquitur hîc Hieremias, & cauſam aliam ponit, quare Deus patiatur ipſos eſſe in his terris felices. An denen doch kein Hoffnung mehr iſt/ daß ſie fromb werden.

II. Pars.

Cauſa, quare Deus ipſos permittat eſſe felices, vno verbo hæc eſt, vt reſeruentur grauioribus tormentis propediem cruciandi. Sie müſſen es bald thewer gnug bezahlen. Idque Propheta ſimilitudine quadam explicat. Sicut cum ſaginantur oues ſiue pecudes, tum mox venit tempus mactationis: Ita cum impii videntur feliciſſimi, propè inſtat interitus ipſorum. Es will ſie Gott alſo in die Maſtung legen/ Daß ſie dem Teuffel ein fetter Braten ſeyen.

Et

Et eleganter id exprimit verbis mutatis. Sanctificas eos. Hoc est sicut oues destinatæ sacrificiis (inprimis vero agnus ille paschalis Exod. 12. vers. 6. qui à die 10. ad 14. separandus erat) segregabantur à cætero grege, & reseruabantur, vt mactari possent suo tempore: ita impii sæpè non cum cæteris hominibus affliguntur Psal. 73. vers. 5. sed reseruantur quasi loco quodam separato, (Du sparest sie.) vt occidantur à Diabolo, & æterno igne assati crucientur sine fine.

Et quia mox mactandi sunt, ideò nec Diabolus etiam illos vexat, sonder läst jhnē eine kleine weil gut leben, Dann es wird sie doch thewer gnug ankommen. Er weiß daß sie jme nicht entlauffen. Et quo maior videtur illorum felicitas, tantò propior interitus. Epulo exemplum esse potest. Luc. 16. Et Herodes. Actor. 12. Sanherib. Esa. 37.

III. Pars.

Vsus huius loci multiplex est. Pauca attingemus.

I. Sic munire debemus animos nostros, contra offendicula, 1. ne murmuremus contra Dominum, aut cum ipso litigare conemur. 2. nevè indignemur neq; inuideamus impiis qui videntur felices. Psal. 37. v. 1. & 7. 3. neq; felices & beatos propterea illos putemus sicut vulgus Psal. 144. v. 15. beatum dixerunt. 4. neq; ipsorū impietate Deum delectari existimemus. Psal. 73. v. 13. Et tandem non impietatem ipsorum imitari cupiamus, vt & nobis benè sit Psal. 37. v. 8. Non enim debent commoueri pedes nostri Psalm. 73. v. 2. nec sic dicamus vt illi. Ibid. v. 15.

Cogitemus. Es ist ein feister Hammel / den der Teuffel braten muß / si videamus impium felicem, potentem, securum. &c.

Citò enim peribit. Psal. 73. v. 19. & 37. v. 2. & 10. Nec debet nobis mora esse tam longa, vt conqueramur, sicut Habac. 1. v. 13. & Malach. 3. v. 14. Vide quid ibi sequatur v. 16. & cap. 4. vers. 3.

II. Videmus nec piissimos quidem immunes esse ab eiusmo-

eiusmodi cogitationibus: quod putant indignos esse impios, quibus Deus benefaciat. Cur Deus pauperes sinit opprimi, dicunt, & multos pessimos nebulones exaltat, ditat? &c.

At non indulgendum his cogitationibus, sed illæ mox corrigendæ & compescendæ, ne nimium indulgeamus affectibus. Sicut videmus Hiobum, Psalten, & hîc Hieremiam mox reuocare sententiam. Et si quid nobis videtur difficile, illud omne superemus meditatione verbi Dei, & inprimis hac regula: Iudicium Dei occultum esse potest, iniquum esse non potest. Iustus enim Dominus, & iusta omnia illius iudicia, Psalm. 119. v. 137. quod Mauritius Imperator agnouit, &c.

FINIS.

THEMA XXIII. CLASSIS IX.

Sapient. 2. à vers. 1. ad 12.

Dixerunt impii, exiguum est tempus vitæ nostræ, & cætera, quæ sequuntur vsq; ad vers. 12.

DISPOSITIO.

Miseriam vitæ humanæ nemo est qui nesciat, siue pius sit, siue impius. Ideoque non pij tantum in scripturis introducuntur, considerantes vitæ suæ fugacitatem & instabilitatem atque miseriam, vt Hiob. cap. 7. Syr. 40. & Esa. 40. v. 6. sed & impij, hoc loco, de eadem re disputantes audiuntur. At dissimilitudo est maxima inter has piorum & impiorum meditationes. Horum enim meditatio ad securitatem, illorum verò ad pietatem cedit.

Itaque iam hæc duo tractanda erunt.

1. Quomodo impij soleant considerare vitæ suæ miseriam.

2. Quomodo vicissim pij eandem piè debeant meditari.

I. Pars.

Impios non latet, quod breuis & misera sit vita humana:

na: quod etiam Ethnici deplorarunt, vt Xerxes & Heraclitus.

Hoc etiám illuſores ſciunt & referre poſſunt hoc loco, additis ſimilitudinibus non ineptis. Exiguum eſt, inquiunt, tempus vitæ noſtræ. Sicut cinis diſſipatur, & ſicut aër tenuis, ſic citò tranſit vita noſtra.

Et hoc quidem verè dicitur. Sed iuxta illi ſunt illuſores & Epicuræi, negantes animæ immortalitatem, & reſurrectionem mortuorum.

1. Non eſt refrigerium in fine hominis, aiunt.

2. Nemo rediit ex inferis, qui poſſit referre de ſtatu animæ poſt hanc vitam.

3. Sicut fortuitò nati ſumus, ita fortuitò morimur. Hoc eſt falſiſſimum. Et contrarium teſtatur Hiob. 10. v. 8. & Pſal. 139. v. 14.

4. Licet rationis vſu & loquela præ cæteris animantibus ſimus donati, tamen hoc mox omne perit nobiſcum. Et nihil exſpectandum poſt hanc vitam.

5. Poſt mortem nulla erit memoria noſtri, ſiue benè ſiue malè egerimus. **Es wird doch eben gleich gelten. Wann wir ſterben/ſo iſts gar auß.** Ex his concludunt, viuendum ſecundum regulam Epicuræorum: Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas. Simile fere illud eſt, edamus, bibamus, &c. 1. Corint. 15. v. 32. Indulgeamus genio. Oblectemus nos luxu & libidinibus, vt poſteri etiam habeant, quod de nobis loquantur, Quia nihil aliud hinc licet auferre. Sit hæc ſors noſtra.

Et ſi qui ſunt, qui nos velint hoc nomine reprehendere, ſiue ſenes ſint, ſiue pauperes, ſiue viri, ſiue fœminæ, illos opprimemus, & rapiemus potius illorum bona, vt ſic lautius viuere poſſimus. **Wir wöllen ſie wol mit gewalt ſchweigen/ꝛc.**

VSVS, Quamuis non omnes Epicuræi ex noſtris hæc apertè proloquuntur, multi tamen ipſa vita ſua palam conteſtantur, ſe eiuſdem eſſe ſententiæ cum his illuſoribus hoc loco. Multi certè iiſdem penè verbis vtuntur,

qui

quibus hi. Es ist noch nie keiner wider kommen/ der sagte wie es dort zugienge. Item: Wann wir sterben so sind wir tod. Will unser HErr Gott unser nit/ so ist der Teuffel unser froh. Was frag ich nach dem Himmel/ bin ich doch zuvor auch nicht darinnen gewesen. &c. Hi certè nihilo sunt meliores hisce iudicio diuino iam damnatis & reprobatis hominibus. Et ouum ouo (quod dicitur) tam non est simile, quàm sunt quorundam Epicuræorum nostri seculi sermones & cogitationes similes hisce, quæ iam ex Sapiente audiuimus. Multorum Deus venter est. Phil. 3. vers. 19. qui non vt viuant, sed vt bibant, se creatos & natos opinantur, sicut de Bonoso quodam dicitur. Horum finis est interitus. Phil. 3. vers. 19. Omnis enim Asotus est Asostus. Posset res exemplis illustrari. At illa sunt odiosa. Et videbunt aliquando tales Epicuræi, siue nobiles, siue ignobiles, siue diuites siue pauperes fuerint, cui illuserint.

II. *Pars.*

Pii verò has impiorum voces meritò abominantur, & alia ratione vitæ suæ breuitatem & miseriam meditantur, quàm vt inde occasionem sumant, sese in voluptates carnales immergendi.

Ideoq; orat Psaltes non semel. Psal. 39. v. 6. & Psal. 90. v. 12. vt erudiatur de vitæ breuitate, &c. Addit autem quorsum vtilis ista meditatio, vt ambulemus corde sapienti.

1. Primum enim hæc meditatio docet pios cogitare de causa huius miseriæ, scilicet peccato, Etenim propter peccata ira Dei venit super filios Adæ. Hinc Psal. 90. vers. 8. peccata nostra ponis in conspectu tuo. Et vers. 7. In ira tua defecimus. Esa. 64. Peccata nostra sicut ventus abstulerunt nos. Et hinc rectè pii occasionem sumunt, vt peccatum detestentur, & quantum in hac carnis infirmitate fieri potest, caueant ab omnibus, quæ Dei iram in nos concitare solent.

2. Et quia breuis est vita nostra, pii operam dant sedulo,

dulo, vt hoc exigui temporis ſpacium benè collocent, & ſic viuant vt non fruſtrà nati ſint. Seruiunt Deo & proximo in ſua vocatione. Et dum tempus habent benefaciunt omnibus. Gal. 6. v. 10. Sic Paulus hortatur. 1. Cor. 7. v. 29. Tempus contractum eſt. Ideo qui vtuntur hoc mundo, illo non abutantur. Præterit enim σχῆμα huius mundi. Atque vt ſic firmam faciant pii electionem & vocationem ſuam (2. Pet. 1. verſ. 10.) operam dant ſedulo.

3. Quia breuis & calamitoſa eſt hæc vita, hoc agunt pii, vt inquirant aliam & futuram meliorem vitam, cum hic manentem non habeant ciuitatem. Hebr. 13. verſ. 14. Et ideò ingemiſcunt cum omnibus creaturis ſuper hac mundi vanitate. Rom. 8. verſ. 22. deſiderantes liberari, & ſuperindui 2. Corinth. 5. verſ. 2. atque diſſolui Phil. 1. verſ. 23. & dimitti in pace. Luc. 2. v. 29.

4. Et quia mox hinc migrandum, pii perpetuò ſunt in excubiis, vigilant, orant, cum virginibus prudentibus Matth. 25. v. 10. vt parati ſint veniente ſponſo.

5. Atque cum ſuam indignitatem agnoſcant, aduocatum 1. Ioan. 2. v. 1. & mediatorem 1. Tim. 2. v. 5. quærunt.

6. Et interim in patientia poſſident animas ſuas, Luc. 21. v. 19. fructum facientes in patientia Luc. 8. verſ. 15. & liberationem corporis exſpectantes. Rom. 8. v. 23. Hæc ſalutaris eſt meditatio.

FINIS.

THEMA XXIV. CLASSIS IX.

Matth. 24. v. 48.

Parabola de ſeruo nequam: qui dicit in corde ſuo, cunctatur venire Dominus meus, &c. vſque ad finem capitis.

Eadem habentur etiam Luc. 12.

DISPOSITIO.

Omnes Chriſtiani fatentur Deum eſſe Dominũ ſuum.

Quia

Quia in ſymbolo confitemur, ipſum eſſe Dominum cœli & terræ. Quia verò multis dicere poteſt illud Mal.1. verſ.6. Si Dominus vbi timor meus? ideoque ſæpiſſimè Saluator noſter proponit parabolas de ſeruis, vt ſcilicet nos erudiat, quid deceat ſeruos Domini, quid non. Tales extant Matth.13.18.21.22.25. & alibi. Talis etiam proponitur parabola hoc loco, de ſeruo fideli & ſeruo nequam. Nos tantum de hoc dicemus, nihil de illo: quia metus eſt, ne plures reperiantur aliquando ſerui infideles. Hæc autem tria notabimus.

1. Quæ fuerint peccata ſerui infidelis.
2. Quæ cauſa ipſius malitiæ.
3. Quæ pœna ipſi infligenda.

Singula ad noſtrum inſtitutum accommodabimus.

I. Pars.

Hoc potiſſimum reprehenditur in hoc ſeruo.

1 Quod non vigilat & ſolicitè exſpectat ſingulis momentis aduentum Domini ſui.

2. Quod edit & bibit atque ſecurus eſt. Non facit operas debitas, ſed tantum indulget genio.

3. Quod non edit & bibit tantùm, ſed etiam vino ſe ad ebrietatem ingurgitat.

4. Quod vim facit conſeruis, & ancillis: & plagoſus eſt, vbi ex vino incaluit.

L. Tales ſerui nequam hodie multi ſunt: qui vel in omnibus vel in aliquibus tamen rei deprehenduntur.

Multi ſunt ſecuri & ignaui, qui non faciunt operas vocationis ſedulo. Non cogitantes quod Dominus venturus, & de laboribus officij ſit reddenda ratio. Sie laſſens Tag vnd Nacht werden. At de omni verbo otioſo reddenda ratio. Matth.12. Magis de ignauo otio. Et cui multum commiſſum ab eo multum repetetur. Luc.12.

Alii tantum hoc agunt, vt corporis curam agant. Tantum terreſtria curant, non cœleſtia: contra id Phil.3.v.13. Col.3.verſ.2. Illi tantum cupiunt habere repoſita in multos

tos annos, vt requiescere, edere & bibere atque gaudere possint, vt refert parabola Luc. 12. vers. 19. Tantum sunt soliciti, quid esuri aut bibituri sint, & quibus indumentis vsuri. Mat. 6. vers. 25. At hæc gentilium fuit cura. Christiani primùm animæ curam suscipere debebant, vt Christus ibidem monet. vers. 33. & 19.

Alii deteriores sunt, & sic viuunt vt bibant semper. Potentes ad bibendum vinum. Esa. 5. vers. 22. De manè ad vesperas. vers. 11. Epulo. Luc. 16. Horum Deus est venter Philip. 3. vers. 19. Finis interitus. At cauete ne grauentur corda. Luc. 21. vers. 34.

Alii etiam opprimunt seruos, id est, pauperem qui conseruus est defraudant. Amos 8. vers. 6. vel contumelia afficiunt & iniustè bona proximi ad se rapiunt. Sicut Ahab vineam Nabothi. 1. Reg. 21. v. 16. & Ziba bona Mephibosethi. 2. Sam. 16. Ancillas etiam (ait Christus) percutiunt. Sic multi agunt scilicet apud nos, vt libidinibus operam dantes miseras puellas, vel pecunia illectas, vel blanditiis circumuentas constuprent, & perpetua sic ignominia afficiant.

Hæc duo coniungit Paulus 1. Thessal. 4. v. 4. & 6. Hæc est sanctificatio vestra: Et ne quis defraudet. Deus vindex erit. vers. 6. Heb. 13. v. 4.

II. Pars.

Sed quæ causa, quod seruus, cui Dominus tot bona concredidit, tam perfidè agit? Hæc, quod in corde suo dicit, cunctatur venire Dominus meus. Hoc est, quia securus est, & postea superuenit Dominus ea hora, qua is non putauit venturum.

Locvs. Hæc securitas etiam nos perdit.

Multi non patiuntur sibi persuaderi venturum iudicium extremum. Vide illusores. 2. Pet. 3. vers. 3. Multi de mortis hora non cogitant: ideò non agunt sapienter. Psal. 90. v. 12.

Et quia non mox punit Deus, & non citò profertur

ſententia contra malos, abſque timore vllo peccant filii hominum. Eccleſ.8.v. 11.

Ideoq; hortatur Syrach: Memorare nouiſſima & non peccabis in æternum. Syr. 7. v.40.

Et toties Saluator monet, vigilate. Neſcitis enim quando tempus. Matth. 24.25. Mar.13.14. Luc.12. Inculcat id ſimilitudinibus de virginibus decem. Matth. 25. de laqueo, Luc.21.verſ.35. de fure perfodiente domum. Matth. 24.verſ.43. Luc.12. Et, omnibus dico, ait, vigilate. Mar.13. v.37. Cum dixerint pax pax, &c. 1. Theſſ.5.v.3.

III. Pars.

Dominus inueniens ſeruum, ſecurum, ebrium, pulſatorem &c. malè excipiet. Veniet n. hora illa, qua non putauit ſeruus. Diſſecabit eum. Mercedem dabit cum hypocritis. Quia ſimulauit, non pæſtitit fidelitatem hero ſuo.

Quæ autem illa futura merces, addit. Fletus & ſtridor dentium. Idem. Matth.8.13.22.

LOCVS. Monemur quam graui ſententia damnandi ſint, qui non fuerunt fideles ſerui, ſed hæc peccata commiſerunt, de quibus ſuprà in prima parte dictum eſt.

Etenim multò grauius peccant, qui iuramentum fidelitatis præſtiterunt, quàm cæteri.

Sic grauius punientur Chriſtiani, quàm gentes: quę neſciuerunt Deum. Quia ſeruus ſciens voluntatē. &c. Lu.12.

Itaque ſemper cogitandum nos eſſe ſeruos, & 1. Pet. 4. v.10. variorum bonorum Diſpenſatores, à quibus requiratur fidelitas, teſte Paulo. 1. Cor.4.v.2.

Cogitandum, Dominum venturum de improuiſo. Veniet ſicut fur. 2. Pet.3. Apoc.3. & 16.

Exſpectandum itaque in conuerſatione ſancta 2. Pet.3. verſ. 11. vt digni inueniamur ſtare. Luc. 21. Maximè verò cauenda hypocriſis. Syr.1.verſ.36. Deus cor intuetur. Niſi id fiat, grauis ſententia pronunciabitur: Serue nequam Matth.25.v.26. & 30.

Eiicite ipſum in tenebras exteriores, Vbi ploratus &c. Lacus ardens. Apoc.21. & vermis atque ignis. Eſa.66.v.24.

THE-

THEMA XXV. CLASSIS IX.

Matth. 25.

De virginibus quinque fatuis.

DISPOSITIO.

In hoc capite Christus descripturus statum Ecclesiæ, qualis is sit futurus sub aduentum filii hominis, adducit inter cætera similitudinem, de virginibus decem, quarum aliæ prudentes vocantur, & intromittuntur ad nuptias sponsi cælestis, Christi videlicet.

Aliæ verò fatuæ appellantur, & excluduntur à nuptiis illis.

De prudentibus iam non dicemus, sed tantum de stolidis. Erunt autem hæc 2. notanda.

1. Quomodo illæ volentes intromitti ad nuptias, repulsam passæ fuerint.

2. Quæ causa repulsæ fuerit.

I. *Pars.*

Christum sponsum esse, nemo est qui nesciat. Ecclesiam sponsam esse patet ex canticis, & Psalm. 45. vers. 10. & Ephes. 5. v. 23.

Solennitas autem Nuptiarum tum demum futura est, cum apparuerit sponsus cum omnibus sanctis Angelis Matth. 25. vers. 31. & vitæ cælestis gaudia perfectè fuerint reuelanda in Nouissimo die.

Sicut ad nuptias illas cælestes vocati sunt omnes homines, teste Christo Matth. 22. ita etiam vellent quidem comparere, tam fatuæ, quàm prudentes virgines.

Et hoc loco quidem dicitur, illas pulasse ostium, & dixisse, Domine aperi nobis.

At responsum accipiunt, Non noui vos. Et sic excluduntur à nuptiis cum gemitu, & foris extra palatia cælestia relinquuntur.

DOCET hæc prima pars parabolæ, multos aliquando à regno cælesti fore exclusos, qui iam sibi persuadent,

ſe certò fore intromiſſos. Et hoc apertè teſtatur Chriſtus, Nō omnis qui dixerit mihi Domine Domine. Mat.7.v.21.

Neq; verò hîc ſermo eſt de Iudæis, Turcis & Gentibus. nolentibus comparere ad nuptias, ſed de Chriſtianis & his qui præſtò ſunt, & pulſant fores, atque rogant, Domine aperi nobis. Et de his maximè, qui agnouerunt Deum, & Domine Domine dixerunt, vide Matth 7.verſ.22.

Et de virginibus dicitur hoc. Quid de meretricibus fiet? Sunt enim in ipſa Eccleſia non tantum boni & verè renati, ſed his etiam admixti plures hypocritę, qui profitentur ſe ſcire Deum. Tit. 1. verſ. 16. & ſpeciem pietatis habent. 2. Tim.3. verſ.5. at vim eius abnegarunt, & Deum factis negant.

Hoc vult parabola de zizaniis inter triticum ſeminatis à Diabolo. Matth.13.v.25.

Ideoque danda opera, ne quis ſeipſum decipiat. Probate vos an ſitis in fide. 2. Corinth. 13. verſ. 5. Nihil enim valebunt iſtæ (quas nonnulli per iocum ſolent referrè) cum Petro ianitore confabulationes, vt intromittantur, &c. Sponſus enim ipſe reſpondebit non noui vos. At væ illis quos Chriſtus non nouit, qui alioquin cognoſcit oues ſuas, Ioan.10. v.14. & probè nouit qui ſint ſui. 2. Tim.2.ver.19. Cæteris quos ipſe non nouit dicetur, Abite iniqui. Matth.7.v.23.

Ne itaque & nos excludamur, iam porrò erit diſpiciendum, quæ cauſa huius repulſæ fuerit: vt diſcamus illarum virginum exemplo edocti rectius ſapere.

II. Pars.

Cauſa repulſæ eſt hæc, quod non fuerunt paratæ ſub aduentum ſponſi, vt poſſent cum cæteris ingredi, ſed ſerò venerunt, ianuis iam clauſis. His itaque non amplius patet ianua. Quid igitur defuit illis? Oleum. Habebant quidem ſecum lampades, ſed oleo vacuas. Intelligitur cor fide ſaluifica deſtitutum.

Et quanquam cupiant à cæteris mutuo accipere oleum: illæ tamen hoc denegant. Iuſtus enim ſua fide viuet,

non

non aliena. Habac.2. verſ.4. Dum itaque ſtolidæ abeunt ad emendum oleũ, venit ſponſus illis abſentibus & clauditur ianua.

Docet hæc pars parabolæ, quid fiat ſi vel nouiſſimus dies, vel hominis hora nouiſſima in morte, deprehendat hominem imparatum, & qui ſibi in vita non ex verbo Dei comparauit oleum fidei, & firmiſſimarum conſolationum, quibus contra terrores mortis, tanquam face ardente in tenebris illis Pſalm.23 verſ.4. poſſit vti.

Multi putant ſe tum in agone mortis vocaturos Miniſtros Eccleſiæ, & ex illorum conſolationibus mox percepturos fidem, & ſic piè morituros.

At ſi illi ſecurè contempſerunt multo tempore verbum Domini, metus eſt, ne in agone mortis etiam firmis ex eodē verbo conſolationibus deſtituantur: aut ne horrores mortis tanti ſint, qui non admittant informationem illam ſub finem vitæ. Non enim mox inſtillari poteſt iſtud oleum fidei: ſed auditus requiritur, & vt ad cor penetret. Rom.10.v.18. Deut.6.v.6. Et certò ſtatuendum, venturum Dominum ex improuiſo, atq; ianuam clauſam non iterum fore apertam. Poſt mortem enim nulla amplius erit occaſio diſcendi ſacra. Nec aliorum opera iuuant. Non enim poſſunt alii dare de oleo ſuo: alioquin non ſufficiet illis. Vide v. 9. In tempore ergo inſtruendæ lampades oleo, quod ex verbo Domini petitur. Nihil procraſtinandum. Hodie. Pſal.95. v. 8. & Hebr.3.v.7. Nunc tempus acceptum. 2. Cor.6.verſ.2. Et ſemper vigilandum. Apoc.3.v.3.

THEMA XXVI. CLASSIS IX.

Matth.22.v.11. ad 14.

De veſte nuptiali, &c.

DISPOSITIO.

Nota vobis eſt parabola illa de Rege [1.Tim.6.verſ.15.] Regum, omnipotente, Deo ſcilicet patre cæleſti, qui fecit

cit nuptias filio suo Christo, desponsando illi Ecclesiam. Ephes. 5.

Notum etiam vobis illud, quod vocati ad has nuptias occisis seruis comparere noluerint, vt opus fuerit mittere seruos ad exitus viarũ, & vocare ad nuptias obuios quoscunque. Hoc est, quod Iudæis occisoribus Prophetarum, Matth. 23. v. 37. venire recusantibus, vocati fuerint Gentiles ad Christianismum. Et hi quidem comparuerunt magno numero (iuxta id Esa. 60. vers. 5. multitudo gentium) boni pariter & mali, ex quibus vnus quidem vehementer legitur displicuisse Regi, sordida veste indutus.

Videamus igitur 1. quis ille, & qualis vestis. 2. Quid de ipso fuerit factum, cum Regi non placuisset.

I. Pars.

Iudæis propter impietatem & incredulitatem Rom. 11. v. 20. abiectis, vocauit Dominus ad Euangelii doctrinam Gentiles, qui auidè illam exceperunt, magno numero, vt Romani, Corinthij, Galatę, Ephesij, &c. Et in his etiam sumus nos Germani, ex gentibus oriũdi. Hi sunt, qui iuxta exitus viarum (alieni quippe à testamentis promissionis, sine Deo Ephes. 2. v. 12.) vocati comparuerunt.

At non omnes tamen placent Deo. Id denotatur per eum qui comparet quidẽ, at sine veste nuptiali: cum alioquin honestè soleant vestiri qui honoris causa inuitantur ad nuptias. Hic non placet Regi, qui sordidatus peccatis.

DOCET Christus, non placere Deo patri cœlesti eos, qui vera carent fide, ideoque etiam ipsorum vita non respondet professioni. Et hîc quidem notandum, quod per vestes sordidas in scripturis intelligantur peccata, Esa. 64. vers. 6. vestis immunda. Thren. 1. vers. 9. Sordes eius in fimbria vestimenti eius. De peccatis loquitur.

Zachar. 3. v. 3. Indutus vestibus sordidis stabat ante Angelum. Peccata denotat.

Contra per vestes candidas albas & mundas iustitia intelligitur placens Deo.

Zachar. 3. v. 4. Auferte vestimenta sordida & induite elegan-

elegantioribus, &c. Explicat idem: abſtuli à te iniquitatem.

Apoc.3.v.3. Ambulabunt in albis.

Idem hic de veſte nuptiali intelligitur: quæ eſt Chriſtus, factus nobis iuſtitia.1.Cor.1.Rom.13. Induamini Dominum Ieſum. Induitur is in Baptiſmo.Gal.3. Quicunque baptiſati eſtis Chriſtum induiſtis. Et fide. Si verò veſtis ſordidata fuerit, curandum vt dealbetur ſicut nix. Eſa.1.v.18.

Quod fit vera pœnitentia. Ideoque orat Dauid, laua me, munda me. Pſal.51.v.9.

Vsvs huius loci erit, vt intelligamus, neceſſe omninò eſſe vt omnes, qui Chriſto nomen dederunt, vera fide præditi ſint & vitam profeſſioni conuenientem agant. Sic enim Paulus 2. Tim.2. verſ.19. Diſcedat ab iniquitate qui nominat nomen Ieſu.

Vocatus itaque per verbum Euangelij compareat, & amplectatur doctrinam cœleſtem, ſed iuxta fidem alat, & caueat, ne polluat ſe peccatis contra conſcientiam.

In hoc multi errant, quod exiſtimant, poſſe aliquem Chriſtianiſmum profiteri, & interim viuere pro lubitu. Sic etiam ſentiebant tempore Pauli.

At ſic malè audit nomen Domini. Rom.2.v.24. Ideoq; toties hortatur Paulus, vt digne ambulent Deo, Col.2.1. Theſſ.2. vocatione, Eph.4.v.1. & Phil 1.v.27. Euangelio.

Et grauem hoc loco ſententiam audit hic ſordidatus hoſpes, vt iam ſequetur.

II. Pars.

Rex conſpicatus inter cæteros hoſpites ſordidum illum, quærit, amice quomodo huc veniſti, non habens veſtem nuptialem? Ille verò obmuteſcit. Non enim poteſt quicquam prætendere.

Mandat itaque Rex vt ligatis manibus & pedibus eiiciatur in tenebras exteriores, &c.

Docet hæc pars parabolæ 1. Omnes ſiſtendos Regi illi iudici, vt rationem reddant dictorum & factorum, 1. Pet. 4. v. 5. Ibi tum omninò mutos coram iudicio diuino

futuros omnes eos, qui vocati comparuerunt, at ſine veſte nuptiali: hoc eſt, hypocritas, qui ſciuerunt voluntatem Domini & non fecerunt. Luc. 12. verſ. 47. Nihil enim quicquam poterunt prætendere, qui toties ſunt moniti, ſed fruſtrà & in vanum audiuerunt verbum Domini, & pietatem tantum ſimularunt. 2. Tim. 3. v. 5. Tit. 1. v. 16. Si non veniſſem & dixiſſem illis, ait Chriſtus, Ioan. 15. v. 22. peccatum non haberent: nunc autem non habent quod prætexant peccato ſuo. Obmuteſcent itaque & dicetur illis: Tota die expandi manus ad populum inobedientem. Eſa. 65. v. 2. Et volui vos congregare: at tu noluiſti. Matth. 23.

Et quid quæſo reſpondebunt iuſto iudici, qui tot annis magna cum diligentia fuerunt [Act. 20. v. 20. & 21.] informati, ſed planè nihil perfecerunt in pietate, & in volutabro illo 2. Pet. 2. v. 22. ſeſe magis oblectarunt, quàm in aquis mundis, fontibus ſalutis. Eſa. 12. v. 3. Pſalm. 36. v. 10. Ier. 2. v. 13. De hoc vtinam ſæpius cogitarent noſtrates multi, præſertim hi, qui iam non muti ſunt, ſed vel in peccatis gloriantur, vel ſua ſcelera fuco conantur pingere, imò miniſtris Eccleſiæ obiurgantibus (& porcos illos ſordidos lauare cupientibus) in faciem reſiſtunt, maledicunt, conuitium faciunt. Vnnd wöllen vngeſtrafft ſeyn. Obmuteſcent aliquando.

II. De cruciatibus inferni dici poteſt, Eiulatus. Stridor. De his vide alibi plura. Eſa. 66. v. 24.

THEMA XXVII. CLASSIS IX.

Luc. 12. Parabola de diuite ruſtico.

Stulte, hac nocte auferetur anima tua.

DISPOSITIO.

Duos nobis hiſtoria Lucæ Euangelica proponit diuites. Ex his vnus purpuratus ille Epulo eſt, ſatis famoſus Luc. 16. cuius lamentabiles voces ex inferno reſonare debent in auribus noſtris, quotieſcunque nobis non tantum Dominicale proponitur, ſed & exemplum illius allegatur.

Alter

Alter verò diues hic rusticus est, qui sibi collegit magnam copiam frumenti, repositam in multos annos, de quo hoc loco agitur.

De hoc, cum viuit adhuc, sententiam grauem pronunciari audimus, antequam legatur descendisse in infernum, ad suum illum purpuratum socium.

Cum autem ille non quinque tantum fratres sed plures, hic verò socios post se reliquerit plurimos, qui eadem impietate laborant, operæ erit pretium illius exemplum (occasione præsentis funeris) probè nostratibus inculcare.

Duas autem tractabimus partes: Vbi duas audiemus voces.

1. Audiemus vocem diuitis, & quid is dicat animę suæ.

2. Audiemus etiam vocem Dei, & quid ipse dicat de anima diuitis.

I. *Pars.*

Diues extruit sibi horrea amplissima & congregat omnia quæ nata sunt bona. Non autem cogitat, quod pro pauperibus quicquam velit reseruare. Ideo dicit, quæ mihi nata sunt, non aliis etiam, iuxta id Eccles. 11. v. 1.

Et bona mea omnia recondam, non deriuabo fontes foràs. Prou. 5. v. 16.

Neque verò propter futuram necessitatem asseruat hæc, sed vt habeat reposita in multos annos.

Sic se felicem putat, & benedicit animæ suæ, Requiesce, ede, bibe, gaude. Nihil tibi deerit, etiam post multos annos.

Locvs. Cogitabitis amicissimi, non malè loquutum hunc diuitem. Numquid enim non est felicissimus? Beatum dixerunt cui sunt hæc. Psal. 144. v. 15.

Et hoc vnum optant plurimi, vt idem dicere possint, Habes reposita in multos annos.

Atq; vt ipsis hoc vel tandem contingat, nihil intentatum relinquunt, panem manducant cum dolore Eccles. 5.

verſ.16. & cum ſolicitudine Pſal.127.v.2. Et ne quidem de nocte quieſcit animus illorum. Eccl.2.v.23.

Et hos ſanè prudenter agere iudicat mundus: præſertim ſi in iuuentute corradant nummos, vt in grauiori ſenecta poſſint requieſcere, edere, bibere, gaudere.

Quid igitur deſideratur in hoc diuite?

Numquid non licet habere agros? Imò. Pius Abrahamus agros habet & colit.

Numquid frumenta, præſertim vbi ager vberes fructus attulit, poſſunt aut debent reſeruari ad futuram neceſſitatem? Maximè. Commendatur hoc nomine Ioſephus. Gen. 41. Et Chriſtus iubet colligere fragmenta ne quid pereat. Ioan.6.v.12. Sed num licet etiam requieſcere à labore, edere, bibere & gaudere: Ita ſanè. Vult enim Deus etiam peculiarem diem dari quieti. Exod.20.v.10 & pecudes quoq; non ſemper laboribus premi. Nec reprehenditur Rex Ioſias quod comederit & biberit. Hier. 22. verſ.15.

Quin imò panem & vinum producit Deus, vt hominis cor non tantum roboretur, ſed etiam lætificetur. Pſal. 104.v.14. Ideoque licet etiam gaudere.

Quid igitur deſideras in hoc homine?

Multum ſanè, vt & in noſtratibus diuitibus.

1. Quod Dei nullam facit mentionem planè qui dedit ipſi hanc frumentorum copiam. Ideoque ne vno quidem verbo ipſi agit gratias. Nec agnoſcit cum Dauide illam coronationem anni Pſal. 64. verſ. 10. & 12. ſed vel ſuo labore, vel iuxta naturæ curſum hæc ſibi contigiſſe putat. Ideò etiam non exiſtimat quicquam eſſe reponendum pro pauperibus: ſed tantum pro anima ſua.

Non ergo cupit fœnorari Domino. Prou.19.v.17. Et ſua vocat bona, quæ Dei ſunt benedictio, vt Iacobus Patriarcha vocat. Gen.33.v.11.

2. Tantum de corporali vita ſolicitus eſt, & in terreſtribus tantum gaudet. De cœleſtibus theſauris nihil cogitat. De his Paulus Phil.3.v.19. Deus venter.

3. Promittit ſibi multos annos: ideoque de morte nihil

nihil cogitat, nec de peccato, cuius mors ſtipendium. Rom. 6. Propterea etiam cum Deo non redit in gratiam per pœnitentiam. Idem plerique tales etiam hodiè faciunt. Hoc iam latius deduci poteſt.

II. Pars.

Hæc cum ita ſint, aliam Diues hic audit ſententiam, triſtiſſimam ſanè. Et quidem à Deo ipſo.

1. Stultus vocatur à Deo, quem mundus prudentiſſimum & prouidum patrem familias iudicat.

2. Denunciatur illi mors. Auferetur anima tua.

3. Et non dicit, ego tollam animam, ſed repetent alij, Diaboli ſcil. animam tuam, quibus illam deuouiſti.

4. Et quid iuuabunt illa in multos annos repoſita? Aliis relinquenda ſunt vel ingratis vel ignotis.

LOCVS. Videmus alia eſſe iudicia Dei, quàm ſunt hominum. Hi prudentes Oeconomos putant eſſe auaros, at Deus ſtultos vocat. Et ſanè omnium amentiſſimi & ſtolidiſſimi ſunt, qui ſic curant terrena & corporalia, vt animam interim negligant. Cum potius quærendũ ante omnia regnum Dei. Matth. 6. v. 33. & theſauri incorruptibiles. Ibid. verſ. 19. & cœleſtia atque ſuperna. Coloſſ. 3. v. 1. Diſcant ergo diuites, 1. vt in Deo diteſcere cupiant, & diuites ſint bonis operibus. 1. Timoth. 6. v. 17. Et videntes quid deſideretur in hoc diuite, ipſi corrigant.

2. Ne cor apponant ſi affluant diuitiis. Pſal. 62. v. 11.

3. Nec confidant in diuitiis. 1. Timoth. 6. v. 17. Iob. 31. verſ. 24.

4. Sed de morte ſępius cogitent, & quod illæ tum nihil profuturæ Prouerb. 11. verſ. 4. ſed aliis relinquendæ. Eccleſ. 2. v. 18. & 5. v. 13. 1. Tim. 6. v. 7. atque nudis egrediendum. Hiob. 1. v. 21. Pſal. 49 verſ. 18. Videatur ſupra ſuo loco illud præconium Aſiæ atque multorum regnorum Domini Saladini.

Hoc agendum, vt anima, etiamſi hoc momento à corpore auellenda ſit, non rapiatur à Diabolis, ſed ab

Angelis

Angelis portetur in ſinum Abrahæ. Luc.16.v.22. & in manus Dei commendetur. Pſal.31.v.6. Sap.3.v.1.

Qui hæc non curant, eandem Dei vocem aliquando audient, quam hîc diues, Stulte, &c.

Cæteri diuitias non appetant, quia fallaces & periculoſæ. 1. Timoth.6.v.9.& 17. ſed viuant ſua ſorte contenti. 1. Tim.6.v.6. Syr.29.v.28. Vide etiam id Prou.30.v.8.

Non enim viuitur ex multis diuitiis, teſte Chriſto, Lucæ 12. verſ.15.

FINIS.

THEMA XXVIII. CLASSIS IX.

Luc.12.v.47.

Seruus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit plagis multis.

DISPOSITIO.

De ſeruis Domini Dei noſtri multa Chriſtus in hoc capite tractat, dum iubet illos ſolicitè exſpectare aduentum Domini, præcinctis lumbis. Vult etiam ſeruum diſpenſatorem fideliter facere operas vocationis, vt audiat ſeruus fidelis, & præficiatur omnibus bonis heri ſui. Viciſſim verò minatur Chriſtus ſeruo negligenti, ebrioſo & plagoſo internecionem.

Et huic comminationi ſubiicit hæc, quæ legi audiuiſtis, verba, quibus denunciat grauius iudicium ſeruo ſcienti voluntatem Domini, & non facienti, quàm ignoranti mentem heri.

Dicendum autem 1. Quiſnam intelligatur aut dicatur eſſe ſeruus ſciens voluntatem heri.

2. Vnde ſeruus poſſit voluntatem Domini cognoſcere, vt faciat illam.

3. Quæ pœna non facientis illam ſerui.

I. Pars.

Petrus audiens Parabolam de ſeruis exſpectantibus Domi-

Dominum, & patrefamiliâs, qui vigilare debeat, ne fur domum perfodiat: interrogat Christum, Domine, ad nos istam dicis parabolam, an etiam ad omnes? Ita forsitan quærat aliquis, ad nos ne ista de seruis parabola pertinet; aut ad quos alios?

Hoc loco sciendum, 1. Nos omnes esse seruos Dei omnipotentis. Sumus enim ab ipso pretio empti, 1. Cor. 7. v. 23. Ideoq; non vult nos fieri seruos hominum. Ibidem.

Et Luc. 1. v. 74. redemit, vt seruiamus ipsi, &c. Psalm. 2. Seruite Domino in timore.

2. Et sumus serui scientes voluntatem Domini. Non est mandatum hoc suprà te. Deut. 30. v. 11. Dictum est tibi, ô homo, Mich. 6. v. 8. &c.

Mentem Domini tenemus, 1. Cor. 2. in fine. Non celaui vos omne consilium. Act. 20. v. 27. Et nemo est, qui possit ignorantiam prætexere. Si non venissem & dixissem. Ioan. 15. v. 22.

II. Pars.

At vnde sciam ego homo misellus voluntatem Domini, qui neq; literas neque natare didici? Ego sum homo simplex, & duris manuum laboribus victum quæro, non possum vacare his rebus. At affectata hæc est ignorantia, qualis illa Esa. 1. v. 3. & Ierem. 8. v. 7. Vbi notanter additur, Mein Volck willes nicht wissen. Audi tu. Numquid non potes audire sacras côciones? Vbi ex scripturis tibi ostenditur, quæ sit voluntas Domini. Ex his probè cognoscere potes, quænam sit illa.

Proposuit enim nobis compendio rem omnem per Mosen, atq; in paucula præcepta redegit. Decalogum facilè potes addiscere.

Clarius ista omnia per Prophetas explicuit passim, quarum voces audiuntur in sacris concionibus. Exemplis & miraculis omnia comprobauit & illustrauit: & iudicia Domini hodiè cernere licet passim. Loquutus est nobis per filium nouissimè. Heb. 1. v. 2. Et is qui in sinu patris est reuelauit omnia, Ioan. 1. v. 18.

Præ-

Prædicarunt Euangelium Apostoli omni nationi sub cœlo. Col.1.v.23.

Et hodie idem verbum Domini sonat passim, ex quo voluntatem Domini possumus cognoscere. Restat igitur vt faciamus illam. At nos contrarium plerumq; facimus.

Exemplis res fiet manifesta. Omnes sciunt, Ebrietatem, scortationem, adulterium, mendacium, calumniam, auaritiam, &c. esse peccata grauissima, ęterna damnatione digna. 1. Cor.6. Gal.5. Contrà placere Domino fructus Spiritus & opera iustitiæ, de quibus Gal.5. omnibus constat. At quis est, qui faciat Domini voluntatem, faciendo bonum, & vitando malum?

Plurimi verò scientes volentes transgrediuntur mandata Domini. Et idem possemus iam dicere quod olim Esa.53.v.1. Rom.10.v.18. Quis credit auditui nostro?

III. Pars.

Quia hæc ita sunt comparata, nihil nobis exspectandum, præter vindictam grauissimam. Et quamuis qui ignorans peccat, (vt Paulus 1. Tim.1.v.13. & crucifigentes Christum, 1. Corinth.2.v.8. Luc.23.v.34.) non sit excusatus omni ex parte: mitius tamen, Christo teste, punietur. At sciens volensque peccans contra voluntatem Domini, horribile sibi iudicium accersit. Et pluribus vapulabit. Vide Heb.6.v.4. & 10.v.26. & 27. Erunt enim damnationis gradus, & grauius alij tam illic quàm hîc cruciabuntur aliis. Quid igitur de nostratibus futurum putatis? Id certè quod Deus minatur Leuit.26.vers.18. addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra. Et v. 28. septem plagis corripiam.

Huc pertinent illæ comminationes Christi, Væ tibi Capernaum, &c. Tolerabilius erit terræ Sodomorum. Matth.10.v.11.

Vsvs huius loci is erit, vt nō miremur, si videamus nos grauius affligi à Domino, quam vel Turcas aut aduersarios nostros. Quia nos scimus apertius quæ sit voluntas Domini. Et ideo iudiciū à Domini domo incipit. 1.Pet.4.

Ita-

Itaque emendanda vita. 1. Fatendum, serui inutiles sumus. Luc. 17. v. 10. 2. Agnoscendum nos esse seruos, & faciendum iuxta exemplum seruorum Centurionis. Matth. 8. vers. 9. 3. Rogandus etiam Dominus vt det velle & perficere. Phil. 2. v. 13. atque Spiritum rectum. Psal. 51. v. 12. & 13. 4. Orandum, ne abiicias in tempore senectutis, Psal. 71. v. 9. & non in furore arguas. Psal. 6. v. 1. Visita plagis hominum. 2. Sam. 7. v. 14 Misericordiam autem tuam non auferas. Psal. 89. v. 34.

FINIS.

THEMA XXIX. CLASSIS IX.

Luc. 16.

De Epulone diuite purpurato.

DISPOSITIO.

Admodum famosus est Epulo ille purpuratus Euangelicus, non tantum propter vitam sceleratam, sed etiam propter lamentationes illas, quæ ab ipso audiuntur in inferno. Et sanè operæ pretium, sæpè illius fieri in Ecclesiis nostris mentionem, quia non quinque tantum fratres, sed plures post se reliquit, de quibus metus est, ne & ipsi veniant in locum cruciatus: præsertim cum illi iam sint securi, & putent se extra omnem teli iactum positos: & quia sint diuites, illustres, nobiles, &c. non opus esse, vt Mosen vel Prophetas multum curent.

Breuitatis autem causa, tantum duo iam tractanda suscipiemus.

1. Considerabimus statum Epulonis in hac vita.
2. Eiusdem conditionem post hanc vitam.

I. Pars.

Epulone vix quisquam videtur felicior in his terris.

1. Diues est. Viuit in abundantia.
2. Et non ex illis, qui non audent vti suis bonis. Eccles. 6. v. 2. sed lautè viuit. Epulatur splendidè. Vestitur regaliter.

3. Nec est afflicta valetudine, quæ nauseam affert, **sonder es schmecket jhme wohl.** Quotidiè enim epulatur splendidè.

4. Honesto loco habetur, vtpote qui cognatos habet & fratres plures absque dubio etiam diuites.

Debebat itaque studere pietati, & Deo gratias agere, pro his magnis donis. Et propter Deum benefacere pauperibus. At iuxta est impiissimus.

1. Non curat Mosen & Prophetas, sicut nec fratres, quod ipse innuit. vers. 30.

2. Superbus est. Purpura quotidiè & bysso induitur. Id Regium erat.

3. Potator est strenuus, & epulo quotidianus.

4. Durus & immisericors erga pauperes, & sic erga Deum ingratus. vers. 21.

Indignus itaq; quem terra ferat diutius. Ideoq; moritur & in terram reuertitur, post se cum gemitu relictis omnibus diuitiis: vt iam de ipso non dicatur, quod sit diues, sed erat aliquando talis. **Es war ein mahl ein reicher.**

LOCVS. Sic plerumque fit, vt hi, qui præ cæteris à Deo sunt affecti beneficiis, plerumque sint omnium pessimi & ingratissimi.

1. Existimant enim, qui ditiores sunt & iuxta impij, se neque Deo, neque hominibus honorem vel obedientiam debere. Et contemnunt omnes admonitiones. Psal. 73. vers. 8.

2. Multum peccatur luxu. Ἀσωτία est in vino. Eph. 5. Manè surgitur ad bibendum. Esa. 5. v. 11.

3. Modus in vestitu non seruatur. Illum quoque vestitum Deus execratur, qui non est conueniens personæ, tempori, &c. Esa. 3. v. 16.

4. Maximè verò execratur illam erga pauperes immisericordiam. Prou. 17. v. 5. Qui despicit. Non cibastis. Abite. Matth. 25. v. 45.

Notandum autem omnibus, quod diuitibus aliam viuendi regulam Paulus præscribat. 1. Tim. 6. v. 17.

Dein-

Deinde non superbè iactandæ diuitiæ, sed potius cogitandum semper de eo, quod hic dicitur, Mortuus autem est & diues. O quàm amara mortis recordatio diuiti. Syrach. 41. Noch dannoch muß es seyn. Nec pecunia redimet à morte. Psalm.49.vers.8. Diuitiæ in die iræ nihil prosunt. Prou.11.v.4.

Omnia relinquenda, & incertum quibus. Luc.12.v.20. & Eccles.2.v.18. Nudis egrediendum. Hiob.1.v.21. Eccles. 5.v.14. Psal.49.v.18. Et dicetur, Erat olim diues.

Hoc ergo agendum vt amicos facias ex diuitiis. Luc. 16.v.9. qui testentur de operibus illis charitatis. Matth.25. vers.40.

Et vt relinquas famam honestam, quæ præstat diuitiis. Prou.22.v.1. Syr.41.v.15.& 16.

Vt mortuus non sis in fabulam & prouerbium, sicut hic Epulo. De cæteris in 2. parte.

II. Pars.

Vidimus Epulonem diuitem, felicem in his terris. Iam verò magna sequitur Metamorphosis.

1. Pauper est, cui negatur guttula aquæ.
2. Cruciatur quotidiè splendidè.
3. Non purpura sed flammis infernalibus circumdatus.
4. Neque sperare potest redemptionem vllam. Hiatus. O miseriam, ô dolorem, ô gemitus.

Locvs I. Hîc quæso arrigite aures, vos qui estis diuites impij, vt lamentationes socij vestri purpurati ex flammis infernabilibus audiatis, & ad animum reuocetis. Cogitate, quanta fortunæ facta sit mutatio. Et hoc probè scitote, quod quicunque in his terris sunt diuites, & iuxta impii, eosdem sint sensuri cruciatus.

Videte quanta sit diuitiarum vanitas, vt ne omnibus bonis vnam aquæ guttulam possit redimere. Animaduertite, qui bona vestra accipitis in hac vita, quid dicat Abrahamus, Recepisti: iam mox cruciaberis. In flamma. Nec erit redemptio. Psal. 49. Nũquid videmini vobis au-

dire eiulantem & plorantem atque stridentem dentibus? sed frustrà. An putatis melius vobiscum actum iri? Minimè verò. Non enim respiciet Dominus vel pecuniam, vel bona, nec purpuram, nec byssum, nec fratres quinque.

Tolerabile esset id, quod vobis amarissimum videtur, scilicet mori corporaliter. At secunda vos exspectat mors. Apoc. 21. v. 8. Ihr müsset besser daran.

Neque existimandum, propterea etiam post hanc vitam felices vos futuros, quia hic tales sitis.

1. Itaque regula illa Epicuræorum, (Ede, bibe, lude) longum valere iussa, Mosen audite & Prophetas, qui vultis effugere gehennæ incendium.

2. Quærite thesaurum cœlestem. Matth. 6. v. 19. & 33. Coloss. 3. v. 1.

3. Cauete à peccatis, quibus diues sibi hos accersiuit cruciatus, de quibus in prima parte dictum.

II. Locvs. Non offendamur si impij hic sint felices, diuites, &c. Hier. 12. Psal. 73. Hiob. 21. Psal. 37. Illic alia erit rerum facies. Nec quisquam sibi optet diuitias fallaces. 1. Tim. 6. v. 17. Imò noxias interdum. 1. Tim. 6. v. 9. propter corruptionem. Matth. 19. vers. 24. Beati qui sua sorte contenti viuunt. 1. Tim. 6. v. 6. Prou. 30. v. 7. Pij hic pauperes, ibi omnes erunt diuites & gloriosi.

FINIS.

Thema XXX. Classis IX.

Act. 12. v. 21 ad 24.

De Herode, qui percussus ab Angelo factus est σκωληκόβρωτος.

DISPOSITIO.

Tres leguntur in historia Euangelica Reges fuisse & Principes Iudææ, quibus singulis nomen fuit Herodis. Vnus ex illis Herodes Magnus, qui & Ascalonites Rex Iudææ & Gallileæ fuit. Is est qui infantes Bethlehemiticos occidit. Matth. 2.

Alter

Alter Herodes Antipas fuit filius Magni illius, atque hic Tetrarcha Iudææ fuit, & frater Philippi. Mali corui malum ouum. Is Ioannem Baptistam occidit. De hoc Luc. 3. v. 1. & Matth. 14. Tertius est Herodes cognominatus Agrippa, Rex Iudææ, filius Aristobuli, & nepos Herodis Magni.

Huius fit mentio in historia prælecta. Et hic est qui Iacobum occidit, Petrum carceri inclusit. Act. 12. Et historia quidem Euangelij non facit mentionem, quo genere mortis perierint duo priores, at de tertio hoc loco legitur, quod singulari Dei iudicio fuerit, nouo quodam & inaudito in scripturis mortis genere, interemptus.

Hæc verò quia ad nostram admonitionem scripta sunt 2. Tim. 3. surdis auribus non sunt prætereunda.

Videamus itaque 1. insolentiam Regis huius.

2. Horrendum Dei iudicium aduersus ipsum.

I. Pars.

Postquam Herodes ille Agrippa Iacobum Apostolum occidisset, & gratum se Iudæis excæcatis fecisse intellexisset, Petrum etiam captũ post Pascha populo sistere voluit, vt occideretur; at ipsum diuina prouidentia liberatum non potuit rapere ad supplicium.

Post verò ipse à Domino ad supplicium raptus fuit hac occasione. Anno quarto, postquam Rex totius Iudææ fuisset (vt referunt historiæ) venit Cæsaream, vbi celebrauit festum maxima frequentia Iudæorum, editis ludis sumptuosissimis pro salute Claudij Cæsaris.

Altero ludorum die manè in Theatrum progreditur, indutus veste tota intertexta argenteis filis mirabili artificio, in quam cum primi radij solis inciderent, splendorem ex reflexu spargebant tam illustrem, vt oculi intuentium perstringerentur fulgore vestis. Ipse orationem interim habebat ad populum pomposam & grauem atque splendidam. Quare assentatorum aliqui, Regem concionantem interpellantes acclamationibus, Deum appellabant, & veniam petebant, quod hactenus eum

tantum vt hominem timuerint, cum nunc ſupra humanam naturam auguſtiorem ipſius cum ſpeciem, tum vocem, cernant atque audiant.

His vocibus Rex minimè offenſus eſt, neque etiam aſſentatorum impios clamores compeſcuit: nec gloriam Deo dedit, vt Lucas habet.

Quomodo autem Deus ſuum honorem vindicarit, poſt dicetur.

I. Vide quouſque procedat humani ingenij arrogantia & temeritas, vt qui donis à Deo ſunt ornati, ſeipſos tandem ſic admirentur interdum, vt ſe in ſolium diuinæ maieſtatis collocare non vereantur. Hanc ſuperbiam inſtillauit Satan Protoplaſtis, vt voluerint Deo eſſe ſimiles. Gen. 3. v. 5. non contenti ſua felicitate. Sic multi non ex Magnatibus tantum, ſed & alij, qui donis ſuis ſuperbiunt, ſeipſos habent pro diis. Qui enim non cogitant illud, Quid habes quod non accepiſti? 1. Cor. 4. v. 7. ſed ſibiipſis hoc tribuunt, Deum de ſolio deturbare conantur. Vide Eſa. 37. v. 24. Contra Sanherib. Et Eſa. 10. v. 13. Dan. 4. v. 27.

Ideoque humilientur omnes ſub potenti manu Dei vt exaltet ſuo tempore. 1. Pet. 5. v. 6.

Et quo quiſque maior, tantò magis ſeipſum humiliet. Syr. 3. verſ. 20.

Notent hoc imprimis, magnates, nobiles, & qui in authoritate ſunt conſtituti. Et ſæpius repetant illud Dan. 4. in fine, & id Luc. 1. v. 52.

Cogitent omnes, puluis & cinis es. Quid igitur ſuperbis? Syr. 10. verſ. 9. Et id Syr. 40. v. 1. iuxta Latin.

II. Sicut ſuperiores non debent delectari vocibus aſſentatorum: ita inferiores non debent vltrà quam par eſt admirari eos, qui non ſunt niſi homines. Et ſic Chriſtiani vtrinque caueant adulationes. Nulla vnquam nocentior peſtis adulatione. Adulator enim quaſi venenum inſtillat auditori: & interim vel eſt hypocrita, vel Idololatra, qui hominem colit vt Deum, aut tantum ſimulat venerationem. Et vterque punitur à Deo, vt ſequitur.

II. Pars.

Honorem meum alteri non dabo, ait Dominus. Esa. 42. Cum itaque hunc honorem sibi rapuisset Herodes singulari supplicii genere punitur. Et quidem è vestigio percutitur ab Angelo. Neque etiam dignum ipsum iudicat Dominus, vt occidatur ab Angelo eo momento, vel vt armata manu pereat, sed in perpetuam illius ignominiam vermium esca fieri cogitur, dum adhuc viuit. Et quot vermes sensit, tot ipsi sunt immissi carnifices, qui iugulum ipsius petant. Nec quisquam est, qui huic malo medicinam faciat. Historiæ referunt, ipsum post maximos cruciatus quinto die extinctum fuisse. Factum hoc, anno post resurrectionem Christi duodecimo, anno tertio Cæsaris Claudii.

L. I. Memorabile exemplum est iudicii diuini, qui superbos, Tyrannos, persequutores & quoscunque alios, sic debellare potest, vt ne à vilissimis quidem animalculis possint sese defendere omni sua potentia. Pharaonem pediculi infestant. Exod. 8. v. 19. Vide exercitum Domini, Ioël. 2. v. 25.

Nec desunt exempla Magnatum, qui à muribus interfecti sunt, vt Hatto Episcopus Moguntinus: Item Wilderolphus, Episcopus Argentinensium, Anno 997. Et Popiellus Polonorum princeps. Sic & Nobilis quidam An. 1056. A vermibus & pediculis erosi præter hunc Herodem leguntur, Antiochus Epiphanes, Herodes Magnus auus huius, Iulianus, Apostatæ illius Synonimi auunculus, Galerius Maximinus Imperator, Honoricus Rex Vandalorum, Arnulphus septimus à Carolo Magno Imperator &c. Et haud ante multos annos potentissimus quidam Rex morbo pediculari extinctus scribitur. Pontificem Hadrianum quartum musca suffocauit gutturi adhærens.

Itaque dicant omnes, Non nobis sed nomini tuo da gloriam. Psal. 115. v. 1. Et Deum timeant si non velint experiri ipsius vindictam. Nullibi tuti impii. Amos 9. vers. 3. Obad. 1. vers. 4.

L.II. Tyrannorum & impiorum quorumcunque potentiam & vim non tantoperè metuendam cernimus: qui nec ſeipſos ab iniuria vermium defendere poſſunt. Deum timeamus atque ipſi confidamus.

Thema XXXI. Classis IX.

Apocalypſ. 20. in fine.

Qui non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, coniectus eſt in ſtagnum ignis.

DISPOSITIO.

In hoc capite deſcribit Ioannes proceſſum iudicialem, obſeruandum in die nouiſſimo. Et oſtendit mortuos magnos atque puſillos, ſiſtendos coram tribunali Dei, & iudicandos ex libris aperiendis. Ex his libris vnum vocat librum vitæ, in quo qui non inuentus fuerit atroci ſententia iudicis damnandus ſit. Quia autem hæc non ſunt futura ſpectacula ridicula & inania, de his nobis erit cogitandum accuratius. Vt autem rem omnem intelligamus, tria hoc loco notanda erunt.

1. Qualis ſit ille liber vitæ.
2. Quinam inſcripti ſint, vel non.
3. Quid de non inſcriptis fiat.

I. *Pars.*

Initio notandum, ſcripturam his de rebus iuxta captum noſtrum loqui, non quod Deus talem aliquem librum chartaceum in manu ſua, aut tablino ſuo habeat, qui ex papyro vel membrana ſit confectus, in quo literis & atramento ſcribantur nomina hominum, ſicut habent Magiſtratus ſingularum ciuitatum ſuam ſcriptam conſignationem ciuium. Aut ſicut Dux exercitus habet conſignationem militum. Muſter Regiſter. Talia enim in Deum non cadunt, qui non ex indice demum ſuos cognoſcere cogitur, ſed iam nouit exactiſſimè, qui ſint ſui. 2. Tim. 2. v. 19. Dicuntur autem hæc de Deo vſitata metaphora ſeu ἀνθρωποπαθεία, iuxta humanarum actionum modum, vt intelligere poſſimus aliquid. Eſt

Est autem liber ille vitæ, Iesus Christus, in quo ab æterno sumus electi & prædestinati & adoptati in filios, & chari redditi. Eph. 1. v. 5. & seqq. atq; etiam in tempore per sacramenta initiationis inscripti, & populo Dei assignati.

De hoc libro vitæ exstant plures scripturæ loci. Exod. 32. v. 33. Psal. 69. v. 29. Dan. 12. v. 1. Phil. 4. v. 3. Apoc. 3. vers. 5. & 13. v. 8. & 17. v. 8. & 21. v. 27.

Dicuntur alibi etiam nomina scripta in cœlo, quod idem est. Luc. 10. v. 20. Hebr. 12. vers. 23. Esa. 4. v. 3. Inter viuentes scripti sunt.

Et certè Christus iubet gaudere eos, quorum nomina inscripta sunt. Luc. 10. v. 20.

II. Pars.

Erit itaque dispiciendum nobis, quinam inscribantur in librum vitę. Et hoc quidem non in arcano Dei consilio quærendum nec statuendus fatalis aliquis electorum (ex absoluto Dei decreto) numerus, qui nec augeri nec minui possit: sed ex dictis iam allegatis facile est colligere, quinam sint inscripti, qui non.

Constat autem inscriptos esse solos in Christum credentes, qui fide iustificati in beato illo electorum numero assignati sunt. Et iustos inscribi Psal. 69. vers. 29. innuit. Hos etiam liberandos Daniel, & sanctos appellandos, Esaias, atque angelis aggregandos, Epistola ad Hebræos, locis suprà citatis testantur. Et apertis libris Dan. 7. v. 10. Apoc. 20. v. 12. tantum nomina eorum legentur, & inter angelos assumentur, qui fideles & pii, Iesu Christo ad finem vsque vitæ adhæserunt. Qui vicerit eum non delebo. Apoc. 3. vers. 5. sed confitebor nomen eius coram patre & angelis. Sub Euangelio enim his certandum & perseuerandum. Phil. 4. vers. 4. Hi non adorant bestiam. Apoc. 13. vers. 8. & 17. vers. 8. De impiis verò & infidelibus scriptura pronunciat, quod vel non inscribantur cum iustis Psal. 69. vers. 29. vel deleantur. Et hoc idem est, quod non inscribi. Quia Psaltes hæc duo coniungit, vt posterius sit explicatio prioris. Notanda autem grauis illa Dei sen-

tentia Ex. 32. v. 33. Delebo de libro vitæ eum qui peccauerit. Idem minatur Pſalmus iam ſæpè allegatus impiis omnibus, perſequutoribus & inimicis Chriſti. Vide ibi.

Tales in librum vitæ nunquam ſunt relati ab exordio mundi. Apoc. 17. verſ. 8. Poſſent habere partem in libro vitæ. Sed non credunt. Ergo non inſcribuntur, aut pro deletis habentur.

III. *Pars.*

At ne quis dicat, Mihi perinde eſt, ſiue ſim inſcriptus ſiue non. Et ſi non inueniar in libro illo, forſitan obliuiſcetur mei Dominus, vt ſi maximè in cælos non aſſumar, tamen etiam mihi non detur locus in inferno &c. [Sic enim ludere ſolent prophanæ mentes, cum his diuinis myſteriis.] Ideoque iam tertio loco ex verbis prælectis diſcamus, quid futurum ſit de non inſcriptis: Qui non inuentus erit in libro vitæ, coniicietur in ſtagnum ignis, præcipitabitur in infernum. Etenim vbi ante Thronum Domini congregati fuerint omnes populi, tantum hi hæreditatis cæleſtis futuri ſunt participes, qui inuenientur habere ius ciuitatis, & πολίτευμα in cœlis. Phil. 3. v. 20. Eingeſchriebene Bürger.

Cæteri omnes rapientur à Diabolis ad ima tartara. Nec quiſquam effugiet. Præter cælum enim & infernum nullus erit locus alius. Et qui non aſſumentur in cælos, ad inferos detrudentur. Ibi ploratus, ignis & vermis. &c. De quibus ſuprà ſæpius dictum in præcedentibus. Hæc cum ita ſint, opera danda, vt ſimus & ſtemus in fide. 2. Cor. 13. v. 5. & 1. Cor. 16. verſ. 13. vtque electionem firmam faciamus. 2. Pet. 1. verſ. 10. & ſancta conuerſatione exſpectemus Dominum. 2. Pet. 3. v. 11. & 14.

Et hoc ſtudiosè caueamus ne ſtipulationem in baptiſmo initam nefariè violemus, & partem, quam in libro vitæ, per meritum Chriſti & vocationem, habere potuiſſemus, amittamus &c.

FINIS CLASSIS NONÆ.

AP-

APPENDIX

Primæ partis Promptuarij Exequialis, siue auctarium,

Continens

QVÆSTIONES BREVES EX DIVERSIS LIBRIS AVGVSTINI

desumptas, & iucundas, & vtiles, & materiæ huic, quæ in præcedentibus tractata est, conuenientes.

QVÆSTIO AVGVSTINIANA I.

Vtrum prosit aliquid animæ mortui locus corporis sui.

Primùm, Vtrum intersit aliquid ad inferendam vel augendam miseriam post hanc vitam spiritibus hominum, si eorum corpora sepulta non fuerint: non secundum opinionem vtcunq; vulgatam, sed potius secundum Religionis nostræ sacras literas est videndum. Neque enim credendum est, sicut apud Maronem legitur, insepultos nauigando atq; transeundo inferni amne prohiberi, quia scil. Nec datur horrendas, nec rauca fluenta, Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt. Quis cor Christianum inclinet his poëticis fabulosisq; figmentis, cum Dominus Iesus, vt inter inimicorum manus qui eorum corpora in potestate haberent, securi occumberent Christiani, nec capillum capitis eorum afferat periturum, exhortans, ne timeant eos, qui cum corpus occiderint, amplius non habent quod faciant. Vnde in primo libro de Ciuitate Dei satis, quantum existimo, sum locutus, vt eorum dentem retunderem, qui Barbaricam vastitatem, præcipuè quam nuper Romæ perpessa est Christianis temporibus imputando, illud etiam obiiciunt, Quod suis

Lib. De cura pro mortuis. Cap. 2. Tom. 4.

illic non ſubuenerit Chriſtus. Quibus cum reſponſum fuerit, animas fidelium pro fidei ſuæ meritis ab illo fuiſſe ſuſceptas, inſultant de cadaueribus inſepultis. Totum itaque iſtum de ſepultura locum verbis talibus explicaui.

Libr. 1. *De Ciuit. Dei. Capit.* 12. *Tom.* 5.

At, inquam, in tanta ſtrage cadauerum nec ſepeliri potuerunt. Neque iſtud pia fides nimium reformidat tenens prædictum. Nec abſumentes beſtias reſurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit, nullo modo diceret veritas: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Si quicquam obeſſet futuræ vitæ, quid inimici de corporibus occiſorum facere voluiſſent? Niſi fortè quiſpiam ſic abſurdus eſt, vt contendat eos, qui corpus occidunt, non debere timeri ante mortem, ne corpus occidant, & timeri debere poſt mortem, ne corpus occiſum ſepeliri non ſinant. Falſum eſt ergo quod ait Chriſtus, qui corpus occidunt, & poſtea non habent, quid faciant, ſi habent tanta, quę de cadaueribus faciant. Abſit vt falſum ſit, quod veritas dixit. Dictum eſt enim aliquid eos facere, cum occidunt, quia in corpore ſenſus eſt occidendo: poſtea verò nihil habere quod faciãt, quia nullus ſenſus eſt in corpore occiſo. Multa itaq; corpora Chriſtianorum terra non texit, ſed nullum eorum quiſquam à cœlo & à terra ſeparauit, quam totam implet præſentia ſui, qui nouit vnde reſuſcitet, quod creauit. Dicitur quidem in Pſalmo: Poſuerunt mortalia ſeruorum tuorũ eſcam volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorũ beſtiis terræ. Effuderunt ſanguinem eorum ſicut aquam in circuitu Hieruſalem, & non erat qui ſepeliret: ſed magis ad exaggerandam crudelitatem eorum, qui iſta fecerunt, non ad eorum infelicitatem, qui iſta perpeſſi ſunt. Quamuis enim hæc in conſpectu hominum dura & dira videantur: ſed pretioſa in conſpectu Domini

mini mors ſanctorum eius. Proinde omnia iſta, id eſt, curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, magis ſunt viuorum ſolatia quam ſubſidia mortuorum. Si aliquid prodeſt impio pretioſa ſepultura, oberit pio vilis aut nulla, præclaras exequias in conſpectu hominum exhibuit purpurata illi diuiti turba famulorum, ſed multo clariores in conſpectu Domini hulceroſo illi pauperi miniſterium præbuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ gremium ſuſtulerunt. Ridentur hæc illi, contra quos defendendam ſuſcepimus Ciuitatẽ Dei. Veruntamen ſepulturæ curam etiam eorũ Philoſophi contempſerunt: & ſæpè vniuerſi exercitus, dum pro terrena patria morerentur, vbi poſtea iacerent, vel quibus beſtiis eſca fierent, non curarunt. Licuitque de hac re plauſibiliter poëtis dicere: Cœlo tegitur, qui non habet vrnam.

Quantò minus debent de corporibus inſepultis inſultare Chriſtianis, quib. & ipſius carnis & membrorum omnium reformatio, non ſolum ex terra, verum etiam ex aliorum elementorum ſecretiſſimo ſinu, quò dilapſa cadauera receſſerunt, in temporis puncto reddenda & reintegranda promittitur.

QVÆSTIO II.

Quæ ſit ratiõ ſanctorum corpora ſepeliendi.

NEc ideò tamen contemnenda & abiicienda ſunt corpora defunctorum, maximeque iuſtorum atque fidelium, quibus tanquam organis & vaſis ad omnia bona opera, ſanctus vſus eſt Spiritus. Si enim paterna veſtis & annulus, ac ſi quid huiuſmodi tanto charius eſt poſteris, quanto erga parentes maior extitit affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multò coniunctius atque familiarius, quam quælibet indumenta geſtamus.

Cap.13. lib. 1. De Ciuitate Dei. Et in lib. de cura pro mortuis ad Paulinum, cap.3.

Hæc

Hæc enim non ad ornamentum vel adiutorium, quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iuſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, & ſepultura prouiſa: ipſique dum viuerent, hæc de ſepeliendis vel etiam transferendis ſuis corporibus filiis mandauerunt. Et Tobias ſepeliendo mortuos, Deum promeruiſſe, teſte Angelo, cõmendatur. Ipſe quoq; Dominus die tertio reſurrecturus, & religioſæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod vnguentum pretioſum ſuper membra eius effuderit, atque hoc ad eum ſepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum diligenter atq; honorificè tegendum ſepeliendumque curarunt. Verùm iſtæ autoritates non hoc admonent, quod inſit vllus cadaueribus ſenſus: ſed ad DEI prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoq; mortuorum pertinere ſignificãt, propter fidem reſurrectionis aſtruendam. Vbi & illud ſalubriter diſcitur, quanta poſſit eſſe remuneratio pro eleemoſynis, quas viuentibus & ſentientibus exhibemus, ſi neque hoc apud DEVM perit, quod exanimis hominum membris officij diligentiæque perſoluitur. Sunt quidem & alia, quæ ſancti patriarchæ de corporibus ſuis vel condendis, vel transferendis prophetico ſpiritu intelligi dicta voluerunt. Non autem hic locus eſt, vt ea pertractemus, cũ ſufficiant ea quæ diximus. Sed ſi ea, quæ ſuſtentandis viuentibus ſunt neceſſaria, ſicut victus & amictus, quamuis cum graui afflictione deſint, non frangunt in bonis perferendi tolerandique virtutem, nec eradicant ex animo pietatem, ſed exercitatam faciunt fœcundiorem, quanto magis cum deſunt ea, quæ curandis funeribus condendiſq; corporibus defunctorum adhiberi ſolent, non efficiunt miſe-

miseros in occultis piorum sedibus iam quietos? Ac per hæc quando ista cadaueribus Christianorum in illa magnæ vrbis, vel etiam aliorum oppidorum vastatione defuerunt, nec viuorum culpa est, qui non potuerunt ista præbere, nec pœna mortuorum, qui non possunt ista sentire.

QVÆSTIO III.

De captiuis sanctis an solatio careant.

SEd multi, inquiunt, Christiani etiam captiui ducti sunt. Hoc sanè miserrimum est, si aliquò duci potuerunt, vbi Deum suum non inuenerunt. Sunt in scripturis sanctis huius etiam cladis magna solatia. Fuerunt in captiuitate tres pueri, fuit Daniel, fuerunt alij Prophetæ, nec DEVS defuit consolator. Sic non deseruit fideles suos sub damnatione gentis, licet barbaræ, tamen humanæ, qui Prophetam non deseruit, nec in visceribus beluæ. Hoc quoque illi, cum quibus agimus, malunt irridere quàm credere: qui tamen in suis literis credunt Arionem Methymnæum, nobilissimum citharistam, cum esset deiectus è naui, exceptum Delphini dorsum, & ad terram esse prouectum. Verùm illud nostrum de Iona propheta incredibilius est, planè incredibilius, quia mirabilius: Et mirabilius, quia potentius.

Cap. 14. lib. 1.

QVÆSTIO IV.

Vtrum liceat homini seipsum occidere metu pœnæ vel dedecoris.

NAm vtiq; si non licet priuata potestate hominem occidere vel nocentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit, profectò etiam qui se ipsum occidit, homicida est. Et tanta fit nocentior, cum se occiderit, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putauit. Nam si Iudæ factum

Cap. 17.

ctum meritò deteſtamur, eumque veritas iudicat; cum ſe laqueo ſuſpendit, ſceleratæ illius traditionis auxiſſe potius quàm expiaſſe commiſſum, quoniam Dei miſericordiam deſperando exitiabiliter pœnitens, nullum ſibi ſalubris pœnitentiæ locum reliquit: quanto magis à ſua nece ſe abſtinere debet, qui tali ſupplicio, quid in ſe puniat, non habet. Iudas enim cum ſe occidit, ſceleratum hominem occidit: & tamen non ſolum Chriſti, verum etiam ſuæ mortis reus finiuit hanc vitam, quia licet propter ſuum ſcelus, alio ſcelere occiſus eſt.

Huc pertinent etiam ſequentia verba Auguſtini.

Lib. 1. *cap.* 20. Neque enim fruſtra in ſanctis canoniciſq; libris, nuſquam nobis diuinitus præceptum permiſſumvè reperiri poteſt: vt vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis, vel vllius carendi cauendivè mali cauſa, nobiſmetipſis necem inferamus. Nam & prohibitos nos eſſe intelligendum eſt, vbi lex ait: Non occides: preſertim, quia non addidit, proximum tuum, ſicut falſum teſtimonium, cum vetaret: falſum, inquit, teſtimonium non dices aduerſus proximum tuum. Nec ideò tamē ſi aduerſus ſeipſum quiſquam falſum teſtimonium dixerit, ab hoc crimine ſe putauerit alienum: quoniam regulam diligendi proximum à ſemetipſo dilector accepit, quandoquidem ſcriptum eſt: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Porrò ſi falſi teſtimonij non minus reus eſt, qui de ſeipſo falſum fatetur, quam ſi aduerſus proximum hoc faceret: cum in eo præcepto, quo falſum teſtimonium prohibetur, aduerſus proximum prohibeatur, poſſitq; nō rectè intelligentibus videri, non eſſe prohibitum, vt aduerſus ſeipſum quiſquam falſus teſtis aſſiſtat: quantò magis intelligendum eſt, non licere homini ſeipſum occidere, cum in eo quod ſcriptum eſt: Non occides, nihilo deinde addito, nec ipſe vtique cui præcipitur, intelligatur exceptus. Vnde quidam

dam hoc præceptum etiam in bestias ac pecora conantur extendere, vt ex hoc etiam nullum eorum liceat occidere. Cur non ergò & herbas, & quicquid humo radicitus alitur ac figitur? Nam & hoc genus rerum, quamuis non sentiat, dicitur viuere: ac per hoc potest & mori, proinde etiam cum vis adhibetur, occidi. Vnde & Apostolus, cum de huiusmodi seminib. loqueretur: Tu, inquit, quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. Et in Psalmo scriptũ est: Occidit vites eorum in grandine. Nũquid igitur ob hoc cum audiuimus: Nõ occides, virgultum vellere nefas dicimus, & Manichæorum errori insanissimè acquiescimus? His igitur deliramẽtis remotis, cum audimus: Non occides, si propterea nõ accipimus, hoc dictum esse de frutetis: quia nullus est eis sensus, nec de irrationalib. animantibus, volatilibus natatilibus, ambulãtibus, reptilibus: quia nulla nobis ratione sociantur, quam non eis datũ est nobiscum habere cõmunem. Vnde iustissima ordinatione creatoris, & vita & mors eorũ nostris vsibus subditur. Restat vt de homine intelligamus, quod dictũ est: Non occides: non alterum ergò, nec te. Neque enim qui se occidit, aliud quàm hominem occidit.

Quasdam verò exceptiones eadem ipsa diuina *Lib.1. c.21.* fecit autoritas, vt non liceat hominem occidi. Sed his exceptis, quos Deus occidi iubet, siue data lege, siue ad personam pro tempore expressa iussione. Non autem ipse occidit, qui ministerium debet iubenti, sicut adminiculum gladius est vtenti. Et ideò nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est: Non occides, qui Deo authore bella gesserunt, aut personam gerentes publicę potestatis secundum eius leges, hoc est, iustissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit

luit filium nequaquam ſceleratè, ſed obedienter, occidere. Et meritò quæritur, vtrum pro iuſſu Dei ſit habendum, quòd Iepte filiam, quæ patri occurrit, occidit, cùm ſe immolaturum Deo id vouiſſet, quod ei redeunti de prælio victori primitus occurriſſet. Nec Samſon aliter excuſatur, quod ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit: niſi quia Spiritus latenter hoc iuſſerat, qui per illum miracula faciebat. His igitur exceptis, quos vel lex iuſta generaliter, vel ipſe fons iuſtitię Deus ſpecialiter occidi iubet, quiſquis hominem vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur.

QVÆSTIO V.

Cur ab his, qui per gratiam regenerationis ſunt abſoluti à peccato, non auferatur mors, id eſt, pœna peccati?

Lib.13c.4. SI quem mouet, cur vel ipſam patiantur, ſi & ipſa pœna peccati eſt, quorum per gratiam reatus aboletur: iam iſta quæſtio in alio noſtro opere, quod ſcripſimus de Baptiſmo paruulorum, tractata ac ſoluta eſt, vbi dictum eſt: Ad hoc relinqui animæ experimentum ſeparationis à corpore, quamuis ablato iam criminis nexu. Quoniam ſi regenerationis ſacramẽtum continuò ſequeretur immortalitas corporis, ipſa fides eneruaretur, quæ tunc eſt fides, quando exſpectatur in ſpe, quod in re nondum videtur. Fidei autem robore atque certamine in maioribus duntaxat ætatibus etiam mortis fuerat ſuperandus timor, quod in ſanctis Martyribus maximè eminuit: cuius profectò certaminis eſſet nulla victoria, nulla gloria: quia nec ipſum omninò poſſet eſſe certamen, ſi poſt lauacrum regenerationis iam ſancti non poſſent mortem perpeti corporalem. Cum paruulis autem baptizandis quis non ad Chriſti

ſti gratiam propterea potius curreret, ne à corpore ſolueretur? Atq; ita non inuiſibili præmio probaretur fides: ſed iam nec fides eſſet, confeſtim ſui operis quęrendo & ſumendo mercedem. Nunc vero maiore & mirabiliore gratia Saluatoris in vſus iuſtitiæ, peccati pœna conuerſa eſt. Tunc enim dictum eſt homini: Morieris ſi peccaueris. Nunc dicitur Martyri: Morere, ne pecces. Tunc dictum eſt: Si mandatum transgreſſi fueritis, morte moriemini. Nunc dicitur: Si mortem recuſaueritis, mandatum tranſgrediemini. Quod tunc timendum fuerat, vt non peccaretur: nunc ſuſcipiendum eſt, ne peccetur. Sic per ineffabilem Dei miſericordiam, & ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutis, & fit iuſti meritum etiam ſupplicium peccatoris. Tunc enim mors eſt acquiſita peccando, nunc impletur iuſtitia moriendo. Verùm hoc in ſanctis Martyribus, quibus alterutrum à perſecutore proponitur, vt aut deſerant fidem, aut ſufferant mortem. Iuſti enim malunt credendo perpeti, quod ſunt primi iniqui non credendo perpeſſi. Niſi enim peccâſſent illi, non morerentur: peccabunt autem iuſti, niſi moriantur. Mortui ſunt ergò illi, quia peccauerunt: non peccant iſti, quia moriuntur. Factum eſt per illorum culpam, vt veniretur in pœnam: fit per iſtorum pœnam, ne veniatur in culpam: non quia mors bonum aliquod facta eſt, quæ antea malum fuit, ſed tantam Deus fidei præſtitit gratiam: vt mors, quam vitæ cõſtat eſſe contrariam, inſtrumentum fieret, per quod tranſiretur in vitam.

QVÆSTIO VI.

An non pœna ſit maior delicto in damnatis.

HIc quidam eorum, contra quos defendimus ciuitatem Dei, iniuſtum putant, vt pro peccatis, quamlibet magnis, paruo licet tempore perpetra- *Lib.21.c.11.*

tis pœna quisque damnetur æterna, quasi vllius id vnquam iustitia legis attendat, vt tanta mora temporis quisq; puniatur, quanta mora temporis vnde puniretur, admisit. Octo genera pœnarum in legibus esse scribit Tullius, Damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, seruitutem. Quid horum est, quod in breue tempus pro cuiusque peccati celeritate coartetur, vt tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum, nisi fortè talio? Id enim ait, vt hoc patiatur quisq; quod fecit. Vnde illud est legis: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Fieri enim potest, vt tam breui tempore quisque amittat oculum seueritate vindictæ, quem tulit ipse alteri improbitate peccati. Porrò autem si alienę fœminæ osculum infixum, rationis sit verbere vindicare, nónne qui illud puncto temporis fecerit, incomparabili horarum spatio verberatur, & suáuitas voluptatis exiguæ diuturno dolore punitur? Quid in vinculis? Nunquid ibi tam diu quisq; iudicandus est esse debere, quàm diu fecit, vnde meruit alligari, cum iustissimè annosas pœnas seruus in compedibus pendat, qui verbo aut ictu celerrimè transeunte vel lacessiuit Dominum, vel plagauit? Iam verò damnum, ignominia, exilium, & seruitus, cum plerumque sic infliguntur, vt nulla venia relaxentur, nónne pro huius vitæ modo similia pœnis videntur æternis? Ideò quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum, & tamen peccata, quæ vindicantur longissimi temporis pœnis, breuissimo tempore perpetrantur, nec quisquam extitit, qui censuerit tàm citò nocentium finienda esse tormenta, quàm citò factum est vel homicidium, vel adulterium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed iniquitatis & impietatis magnitudine metiendum. Qui verò pro aliquo gran-

grandi crimine morte mulctatur, numquid mora, qua occiditur, quæ perbreuis est, eius supplicium leges breue existimant, & non quod eum in sempiternum auferunt de societate viuentium? Quod est autem de ista ciuitate mortali homines supplicio primæ mortis, hoc est, de illa ciuitate immortali homines supplicio secundæ mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges huius ciuitatis vt in eam quisque reuocetur occisus, sic nec illius leges ciuitates admittunt, vt ad eius quis vltra beatitudinem reuocetur æternam, secūda morte damnatus. Quomodo ergò verum est, inquiunt, id, quod ait Christus vester: In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis, si temporale peccatum supplicio punitur æterno? Nec attendunt non propter æquale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali, id est, vt qui mala fecerit, mala patiatur, eandem dictam fuisse mensuram, quamuis hoc in ea re propriè possit accipi, dè qua Dominus cum hoc diceret loquebatur, id est, de iudiciis & condemnationibus. Proinde qui iudicat & condemnat iniustè, si iudicatur & condemnatur iustè, in eadem mensura recipit, quamuis non hoc quod dedit. Iudicio enim fecit, iudicio patiatur. Quamuis enim fecerit damnationem, quod iniquum est, patiatur damnationem, quod iustum est.

Huc pertinent etiam sequentia.

Sed pœna æterna ideò dura & iniusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest ille sensus altissimæ, purissimæq; sapientiæ, quo sentiri possit, quantum nefas in illa prima præuaricatióne cōmissum sit. Quanto enim magis homo fruebatur Deo, tánto maiore impietate dereliquit Deum, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum: quod esse posset in *Lib. 21. c. 12.*

æternum. Hinc eſt vniuerſa generis humani maſſa damnata, quoniam qui hoc primitus admiſit cum ea, quæ in illo fuerat radicata ſua ſtirpe, punitus eſt, vt nullus ab hoc iuſto debitoq; ſupplicio, niſi miſericordia & indebita gratia liberetur, atq; ita diſpertiatur genus humanum, vt in quibuſdam demonſtretur, quid valeat miſericors gratia, & in cæteris, quid iuſta vindicta. Neque enim vtrunque demonſtraretur in omnibus, quia ſi omnes remanerent in pœnis iuſtæ damnationis, in nullo apparet miſericors gratia redimentis: rurſum ſi omnes à tenebris transferrētur in lucem, in nullo appareret ſeueritas vltionis. In qua propterea multo plures, quàm in illa ſunt, vt ſic oſtendatur, quid omnibus deberetur. Quod ſi omnibus redderetur, iuſtitiam iudicantis iuſtè nemo reprehenderet. Quia verò tàm multi exinde liberantur, eſt vnde agantur maximæ gratiæ gratuito muneri liberantis.

QVÆSTIO VII.

An certa ſit reſurrectio mortuorum?

Lib. 22. c. 12 SEd ſcrupuloſiſſimè quærere, & fidē, qua credimus reſurrecturam carnem, ita quærendo aſſolent irridere, vtrum fœtus abortiui reſurgant. Et quoniam Dominus ait: Amen dico vobis, capillus capitis veſtri non peribit: vtrum ſtatura & robur æqualia futura ſint omnibus, an diuerſæ corporum quantitates? Si enim æqualitas corporum erit, vnde habebunt, quod hic non habuerunt in mole corporis illi abortiui, ſi reſurgent & ipſi: aut ſi non reſurgent, quia nec nati ſunt, ſed effuſi? Eandem quæſtionem de paruulis verſant: vnde illis menſura corporis, quam nunc defuiſſe videmus, accedat, cum in hac ætate moriuntur. Neque enim dicturi ſumus, eos non reſurrecturos, qui non ſolum generationis, verumetiam regenerationis capaces ſunt. Deinde interro-

terrogant, quemadmodum ipſa æqualitas habitura ſit. Si enim tam magni & tam longi erunt omnes, quàm fuerunt quicunque hic fuerunt maximi atq; longiſſimi, non ſolùm de paruulis, ſed & de pluribus magnis quærunt, vnde illis acceſſurum ſit, quod hic defuit, ſi ibi hoc quiſq; recipiet, quod hîc habuit. Si autem, quod ait Apoſtolus, occurſuros nos omnes in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & illud alterum, quos prędeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui: ſic intelligendum eſt, vt ſtatura & modus Chriſti corporis omnium, qui in regno huius erunt, humanorum corporum ſit futurus: multis erit, inquiunt, de magnitudine & longitudine corporis detrahendum. Et vbi iam erit: capillus capitis veſtri non peribit, ſi de ipſa corporis quantitate tam multum peribit? Quamuis & de ipſis capillis poſſit inquiri, vtrum redeat quicquid tondentibus decidit. Quod ſi rediturum eſt, quis non exhorreat illam deformitatem? Nam hoc & de vnguibus videtur neceſſario ſecuturum, vt redeat tam multum, quod corporis cura deſecuit. Et vbi erit decus, quod certè maius, quàm in iſta eſſe corruptione potuit: in illa iam immortalitate eſſe debebit? Si autem non redibit, ergo peribit: quomodo ergo inquiunt, capillus capitis veſtri non peribit? De macie quoq; vel pinguedine, ſimiliter diſputant. Nam ſi æquales omnes erunt, non vtiq; alij macri, alij pingues erunt. Accedet ergo aliis aliquid, aliis minuetur. Ac per hoc, non quod erat recipiendum, ſed alicubi addendum eſt, quod non fuit: & alicubi perdendum, quod fuit. De ipſis etiam corruptionibus & dilapſionibus corporum mortuorum, cum aliud vertatur in puluerem, in auras aliud exhaletur, ſiue quos beſtiæ, ſiue quos ignis abſumat, naufragio, vel quibuſcunq; aquis, ita quidem pereant, vt eorum carnes in humorem putredo diſſoluat, non mediocriter permouen-

tur:atq; omnia ista recolligi in carnem & reintegrari posse non credunt. Consectantur etiam quasdam fœditates, & vitia, siue accidant, siue nascantur: vbi & monstrosos partus cum horrore atque irrisione commemorant & requirunt, quænam cuiusque deformitatis resurrectio sit futura. Si enim nihil tale redire in corpus hominis dixerimus, responsionem nostram de locis vulnerum, cum quibus Dominum nostrum Christum resurrexisse prædicamus, se confutaturos esse præsumūt. Sed inter hæc omnia quæstio illa difficillima præponitur, in cuius carnem reditura sit caro, qua corpus alterius vescentis humana viscera fame compellente nutritur. In carnem quippe conuersa est eius, qui talibus vixit alimentis: & ea, quæ macies ostenderat, detrimenta suppleuit. Vtrum ergo hoc illi redeat homini, cuius caro prius fuit, an illi potius, cuius postea facta est? ad hoc percunctantur, vt fidem resurrectionis illudant: ac sic animæ humanæ, aut alternantes, sicut ait Plato: veras infelicitates, falsasq; promittāt beatitudines: aut post multas itidem per diuersa corpora reuolutiones, aliquando tamen eam, sicut dicit Porphyrius, finire miserias, & ad eas nunquam redire fateantur: non tamen corpus habendo immortale, sed corpus omne fugiendo.

QVÆSTIO VIII.

An abortiui etiam sint resurrecturi.

Lib.22.c.13 AD hæc ergo, quæ ab eorum parte contraria, me digerente, mihi videntur opposita, misericordia Dei meis nisibus opem ferente, respondeam. Abortiuos fœtus, qui cum iam vixissent in vtero, ibi sunt mortui, resurrecturos vt affirmare, ita negare non audeo: quamuis non videam, quomodo ad eos non pertineat resurrectio mortuorum; Aut enim non omnes mortui resurgent, & erunt aliquæ hu-

manæ

manæ animæ sine corporibus in æternum, quæ corpora humana, quamuis intra viscera materna gestârunt: aut si omnes animæ humanæ recipiant resurgentia sua corpora, quæ habuerunt vbicunq; viuentia, & morientia reliquerunt, non inuenio, quemadmodum dicam, ad resurrectionem non pertinere mortuorum, quoscunque mortuos etiam in vteris matrum. Sed vtrumlibet de his quisq; sentiat, quod de iam natis infantibus dixerimus: hoc etiam de illis intelligendum est, si resurgent.

QVÆSTIO IX.

Quo corporis habitu resurrecturi sint infantes.

QVid ergò de infantibus dicturi sumus, nisi quia nō in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua mortui? Sed quod eis tardius accessurum erat tēpore, hoc sunt illo Dei opere miro, atq; celerrimo recepturi. In sententia quippe Domini, vbi ait: Capillus capitis vestri non peribit: dictum est, non defuturum esse, quod fuit; non autem negatum est, affuturum esse, quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis. Perfecto quippe infanti, deest vtique perfectio magnitudinis corporalis: quæ cum accesserit, iam statura longior esse non possit. Hunc perfectionis modum sic habent omnes, vt cum illo concipiantur atq; nascantur: sed habent in ratione, non in mole: sicut ipsa iam membra omnia sunt latenter in semine, cum etiam natis nonnulla adhuc desint, sicut dentes, ac si quid eiusmodi. In qua ratione vniuscuiusque materiæ indita corporali, iam quodammodo, vt ita dicam, innatum esse videtur, quod nondum est, imo quod latet, sed accessu temporis erit, vel potius apparebit. In hoc ergo infans, iam breuis, aut lon- *Lib.22.c.14*

gus est, qui breuis, longusvè futurus est. Secundam hanc rationem profectò in resurrectione corporis, detrimenta corporis non timemus: quia etsi æqualitas futura esset omnium, ita vt omnes vsque ad giganteas magnitudines peruenirent, nec illi qui maximi fuerunt, minus haberent aliquid in statura, quod eis contra sententiam Christi periret, qui dixit: nec capillum capitis esse periturum: creatori vtique, qui creauit cuncta ex nihilo, quomodo deesse posset, vnde adderet, quod addendum esse mirus artifex nosset.

QVÆSTIO X.

An ad modum Dominici corporis omnium corpora sint resurrectura.

Lib. 22. c. 15 SI vtique Christus in eâ mensurâ corporis, in qua est mortuus, resurrexit, nefas est dicere, cum resurrectionis omnium tempus venerit, accessuram corpori eius eam magnitudinem, quam nõ habuit, quando in ea Discipulis, in qua illis erat notus, apparuit, vt longissimis fieri possit æqualis. Si autem dixerimus ad Dominici corporis modũ, etiam quorumq; maiora corpora redigenda. Peribit de multorum corporibus plurimũ, cùm ipse nec capillum periturum esse promiserit. Restat ergò, vt suam recipiat quisq; mensuram, quam vel habuit in iuuentute, etiamsi senex est mortuus: vel fuerat habiturus, si est ante defunctus. Atque illud quod commemorauit Apostolus de mẽsurâ ætatis plenitudinis Christi, aut propter aliud intelligamus dictum esse, id est, vt illi capiti in populis Christianis accedente omnium perfectione membrorum ætatis eius mensura compleatur: aut si hoc de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, vt nec vltra, nec infra iuuenilem formam resurgant corpora mortuo-

tuorum: ſed in ea ætate & robore vſque ad quam Chriſtum hîc perueniſſe cognouimus. Circa triginta quippe annos diffinierunt eſſe etiam ſeculi huius doctiſſimi homines, iuuentutem. Quæ cum fuerit ſpacio proprio terminata, inde iam hominem in detrimenta vergere grauioris ac ſenilis ætatis: & ideo non eſſe dictum, in menſuram corporis, vel in menſuram ſtaturæ; ſed in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

QVÆSTIO XI.

Qualis futura conformitas ſanctorum ad imaginem DEI.

ILlud etiam quod ait, prædeſtinatos fieri conformes imaginis filij DEI, poteſt & ſecundum interiorem hominem intelligi. Vnde nobis alio loco dicit: Nolite conformari huic ſeculo: ſed reformamini in nouitate mentis veſtræ. Vbi ergò reformamur, ne conformemur huic ſeculo, ibi conformamur Dei filio. Poteſt & ſic accipi, vt quemadmodum ille nobis mortalitate, ita nos illi immortalitate efficiamur conformes: quod quidem & ad ipſam reſurrectionem corporum pertinet. Si autem etiam in his verbis, qua formâ reſurrectura ſint corpora, ſumus admoniti: ſicut illa menſura, ita & iſta conformatio non quantitatis intelligenda eſt, ſed ætatis. Reſurgent itaque omnes, tàm magni corpore, quàm vel erant, vel futuri erant in iuuenili ætate: quamuis nihil oberit, etiamſi erit infantilis vel ſenilis corporis forma: vbi nec mentis, nec ipſius corporis vlla remanebit infirmitas. Vnde etiamſi quis in eo corporis modo, in quo defunctus eſt, reſurrecturum vnumquemque contendit: non eſt cum illo laborioſa contradictione pugnandum. *Lib.22.c.16*

QVÆSTIO XII.

An in suo sexu resurrecturæ fœminæ?

Lib. 22. c. 17 NOnnulli propter hoc, quod dictum est: Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis Christi, & conformes imaginis filij DEI: nec in sexu fœmineo resurrecturas fœminas credunt, sed in virili omnes aiunt: quoniam DEVS solum virum fecit ex limo, fœminam ex viro. Sed mihi melius sapere videntur, qui vtrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido ibi erit, quæ confusionis est causa. Nam prius quàm peccâssent, nudi erant: & non confundebantur vir & fœmina. Corporibus ergò illis vitia detrahentur: natura seruabitur. Non est autem vitium sexus fœmineus, sed natura: quæ tunc quidem & à concubitu, & à partu immunis erit: erunt tamen membra fœminea non accommodata veteri vsui, sed decori nouo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur sapientia atque clementia: qui & quod non erat, fecit, & liberauit à corruptione, quod fecit. Vt enim in exordio generis humani de latere dormientis viri, costâ detractâ, fœmina fieret, Christum & Ecclesiam tali facto iam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe ille viri, mors erat Christi, cuius exanimis in cruce pendentis latus lanceâ perforatum est, atq; inde sanguis & aqua profluxit: quę sacramentum esse nouimus, quibus ædificatur Ecclesia. Nam hoc etiam verbo Scriptura vsa est, vbi non legitur, formauit, aut, finxit, sed ædificauit eam in mulierem. Vnde & Apostolus ædificationem dicit corporis Christi, quod est Ecclesia. Creatura est ergò DEI fœmina, sicut vir; sed vt de viro fieret, vni-

vnitas commendata est. Vt autem illo modo fieret, Christus, vt dictum est, & Ecclesia figurata est. Qui ergò vtrumque sexum instituit, vtrumque restituet. Denique & ipse Iesus interrogatus a Saducæis, qui negabant resurrectionem: Cuius septem fratrum erit vxor, quam singuli habuerunt, dum quisq; eorum vellet defuncti semen, sicut Lex præceperat, excitare: erratis, inquit, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. Et cum aptus locus esset, vt diceret; de qua enim me interrogatis, vir erit, ipsa non mulier: non hoc dixit, sed dixit: In resurrectione enim neque nubent, neque vxores ducent: sed sunt sicut Angeli DEI in cœlo. Æquales vtique Angelis immortalitate, ac felicitate: non carne: sicut nec resurrectione, qua non indiguerunt Angeli: quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergò Dominus futuras negauit esse in resurrectione, non fœminas, & ibi negauit, vbi talis quæstio vertebatur. Vt eam negato sexu muliebri, celeriore facilitate dissoluerет, si eum ibi prænosceret non futurum: imo etiam futurum esse firmauit, dicendo: Non nubent: quod ad fœminas pertinet: neq; vxores ducent: quod ad viros. Erunt ergò, quæ vel nubere hîc solent: vel ducere vxores; sed ibi non facient.

QVÆSTIO XIII.

An in resurrectione omnia vitia corporis sint abolenda.

QVid iam respondeam de capillis atque vnguibus? Semel quippe intellecto, ita nihil periturum esse de corpore, vt deforme nihil sit in corpore: simul intelligitur ea, quæ formæ factura fuerant enormitatem massæ ipsi accessura esse, non locis, in quibus membrorum forma turpetur. Velut, si de limo vas fieret, quod rursus in eundem limum *Lib. 22. c. 19.*

ſimum redactum totum de toto iterum fieret, non eſſet neceſſe, vt illa pars limi, quæ in anſa fuerat, ad anſam rediret: aut quæ fundum fecerat, ipſa rurſus faceret fundum: dum tamen totum reuerteretur in totum, id eſt, totus ille limus in totum vas, nullâ ſui perditâ parte remearet. Quaprópter ſi capilli toties tonſi, vngueſvè deſecti, ad loca ſua deformiter redeunt, non redibunt: nec tamen cuiq; reſurgenti peribunt: quia in eandem carnem, vt quemcunque ibi locum corporis teneant, ſeruata partium cõgruentiâ, materię mutabilitate vertentur. Quamuis quod ait Dominus: Capillus capitis veſtri non peribit, non de longitudine, ſed de numero capillorum dictum multò aptius poſſit intelligi. Vnde & alibi dicit: Capilli capitis veſtri numerati ſunt omnes. Neque hoc ideô dixerim, quod aliquid exiſtimem corpori cuiquam periturum, quod naturaliter inerat, ſed quod deforme natum fuerat: non vtique ob aliud, niſi vt hinc quoq; oſtenderetur, quàm ſit pœnalis conditio iſta mortalium, ſic eſſe rediturum, vt ſeruatâ integritate ſubſtantiæ, ſola ſubſtantiæ deformitas pereat. Si enim ſtatuam poteſt artifex homo, quam propter aliquam cauſam deformem fecerat, conflare, & pulcherrimam reddere: ita vt nihil inde ſubſtantiæ, ſed ſola deformitas pereat: ac ſi quid in illa figura priore indecenter extabat, nec parilitati partium congruebat: non de toto, vnde fecerat, amputare, atq; ſeparare, ſed ita conſpergere vniuerſo, atq; miſcere: vt nec fœditatem faciat, nec minuat quantitatem, quid de omnipotenti artifice ſentiendum eſt? Ergóne poterit quaſq; deformitates humanorum corporum non modò vſitatas, ſed etiam raras atq; monſtroſas, quæ huic miſeræ vitæ congruunt: abhorrent autem ab illâ futura felicitate ſanctorum, ſic auferre, aut perdere, vt quaſcunque earum faciunt, etſi naturalia, tamen indecora

excre-

excrementa ſubſtantiæ corporalis nulla eius diminutione tollantur? Ac per hoc non eſt macris, pinguibúſve metuendum, ne ibi etiam tales ſint, quales, ſi poſſent, ne hîc eſſe voluiſſent. Omnis enim corporis pulchritudo eſt partium congruentia cum quadam coloris ſuauitate. Vbi autem non eſt partium congruentia, aut ideò quid offendit, quia paruum eſt; aut ideò, quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, vbi & quæ parua ſunt, corrigentur: & quod minus eſt, quàm decet: vnde creator nouit, inde ſupplebitur: & quod plus eſt, quam decet, materiæ ſeruatâ integritate, detrahetur. Coloris porrò ſuauitas quanta erit, vbi iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno patris ſui? Quæ claritas in Chriſti corpore, quum reſurrexit, ab oculis diſcipulorum potius abſcondita fuiſſe, quàm defuiſſe credenda eſt. Non enim eam ferret humanus atq; infirmus aſpectus, quando ille à ſuis ita deberet attendi, vt poſſet agnoſci. Quò pertinuit etiam, vt contrectantibus oſtenderet ſuorum vulnerum cicatrices: vt etiam cibum potumque ſumeret: non alimentorum indigentia, ſed ea, qua & hoc poterat, poteſtate. Cùm autem aliquid non videtur, quamuis adſit, à quibus alia, quæ pariter adſunt, videntur: ſicut illam claritatem dicimus affuiſſe non viſam, à quibus alia videbantur, ἀορασία Græcè dicitur: quod noſtri Interpretes Latinè dicere non valentes, in libro Geneſeos cœcitatem interpretati ſunt. Hanc enim paſſi ſunt Sodomitæ, quando quærebant oſtium iuſti viri, nec poterant inuenire. Quæ ſi cœcitas fuiſſet, qua fit, vt nihil poſſet videri, non oſtium, quo ingrederentur, ſed duces itineris, à quibus inde abducerentur, inquirerent.

QVÆ-

QVÆSTIO XIV.

De mortuorum resurrectione contra Gentiles, continens varia notatu digna, quorum etiam in præcedentibus facta est mentio: scilicet de paruulorum resurrectione, & similibus. Sed & contra Philosophos grauiter disputat, quomodo terrenum corpus futurum sit in cœlo, & qua ratione corpus spiritale dicatur, &c.

In Sermone 147. De tempore. Diebus his sanctis resurrectioni Domini dedicatis, quantum donante ipso possumus de carnis resurrectione tractemus. Hæc enim fides est nostra, hoc donum in Domini nostri Iesu Christi nobis carne promissum est, & in ipso præcessit exemplum. Voluit enim nobis quod promisit in fine non solum pronunciare, sed etiam demonstrare. Illi quidem, qui tunc fuerunt, cum illum viderent, & cùm expauescerent, & spiritum se videre crederent, soliditatem corporis tenuerunt. Locutus est enim non solùm verbis ad aures eorum, sed etiam specie ad oculos eorum, parumque erat se præbere cernendum, nisi etiam offerret pertractandum atque palpandum. Ait enim: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cor vestrum? Putauerunt enim se spiritum videre. Quid turbati estis, inquit, & cogitationes ascendunt in cor vestrum? Videte manus meas & pedes meos: Palpate & videte, quia Spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere. Contra istam euidentiam disputabant homines. Quid enim aliud facerent homines, qui ea, quæ sunt hominum, sapiunt, quàm sic dispu-

tare

tare de DEO contra DEVM? Ille enim DEVS est, isti homines sunt. Sed DEVS nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. Quod solent videre, credunt: quod non solent, non credunt. Præter consuetudinem facit DEVS miracula, quia DEVS est: Maiora quidem miracula sunt tot quotidiè homines nasci, qui non erant, quàm paucos resurrexisse, qui erant, & tamen ista miracula non consideratione comprehensa sunt, sed assiduitate viluerunt. Resurrexit CHRISTVS, absoluta est res. Corpus erat, caro erat, pependit in cruce, emisit animam, posita est caro in sepulchro. Exhibuit illam viuam, qui viuebat in illa: Quare miramur? Quare non credimus? DEVS est, qui fecit. Considera auctorem, & tolle dubitationem. Quærunt ergò homines, vtrum corruptio ista corporis, quam sentiunt in carne sua, futura sit in resurrectione mortuorum? Dicimus non futuram. Respondent nobis: Si corruptio non erit, quare manducabitur? Aut si non manducabitur, quare post resurrectionem Dominus manducauit? Modò cùm Euangelium legeretur, audiuimus, quia cum exhiberet se viuum oculis, manibusque Discipulorum suorum, parum illi visum est, ad demonstrandam euidentiam corporalem, sed addidit: Habetis hîc aliquid, quod manducetur? Et obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis, manducauit, & reliquias dedit illis. Dicitur enim nobis: Si corruptio corporis non resurget, quare manducauit Dominus Christus? Legistis, quia manducauit, numquid legistis, quia esuriuit? Quod manducauit IESVS, potestatis fuit, non egestatis. Si desideraret manducare, egeret. Rursus, si manducare non posset, minus valeret. Numquid & Angeli,

quam-

quando ſuſcepti ſunt hoſpitio à patribus noſtris, non manducauerunt: & tamen corruptibiles non fuerunt? Rurſus dicunt: Reſurgent vitia, quæ erant in corpore humano, cum quibus moritur homo? Reſpondemus: Non reſurgent vitia. Et dicitur nobis: Quare ergò Dominus cum ſuorum vulnerum cicatricibus reſurrexit? Quid adhuc dicimus, quia & hoc poteſtatis fuit non neceſſitatis. Sic reſurgere voluit, ſic voluit quibuſdam dubitantibus exhibere in illa carne cicatrices vulneris, vt ſanaret vulnus incredulitatis. Adhuc diſputant & quærunt à nobis: Paruuli, qui moriuntur, paruuli reſurrecturi ſunt, an ætas erit plena reuiuiſcentium, quorum erat parua morientium? Hoc quidem in ſcripturis definitum non inuenimus. Incorruptibilia corpora & immortalia reſurrectura promiſſa ſunt. Sed ſi parua ætas redditur, ſi ſtatura puſilla reuocatur, nũquid & propterea infirmitas reuocatur? Si parui erunt, nunquid iacebunt, & ambulare non poterunt? Credibilius tamen & probabilius accipitur & rationabilius, plenas ætates reſurrecturas, vt reddatur munere, quod acceſſurum erat tempore. Nec enim credituri ſumus ſenectam reſurrecturam, anhelam & curuam. Poſtremo corruptionem tolle, & quod vis adde. Sed inquis: Quomodo erit terrenum corpus in cœlo? Philoſophi enim gentium illi valdè magni, quorum vobis iam vel inſanas certè vel humanas ſententias intimaui, quęſierunt quippe iſta non ſpiritu Dei, ſed coniectura cordis humani: hinc maximè faciunt quęſtionem, tractant ſubtiliter de momentis ponderum & ordine elementorum: & dicunt, quod etiam videmus, mundum ſic eſſe diſpoſitum, vt ima ſit terra, tanquam in fundo eius, ſecunda aqua ſuperfundatur terræ, tertius aër veniat, quartus æther cuncta cooperiat. Illud elementum ſupernum, quod æthera appellant, ignem dicunt

eſſe

esse liquidum & purum, inde sydera esse formata, ibi nihil esse posse terrenum, quoniam ordo ponderum non admittit. Si dicamus eis nostra corpora in terra esse noua victura, & in cœlo non futura, audaciter & temerè immò infideliter dicimus. Credere enim debemus, talia corpora nos habituros, vt vbi velimus, quando voluerimus, ibi simus. Nam si respondemus ad absoluendam de ordine ponderum quæstionem, in terra nos esse victuros, de ipso corpore Domini nobis est quęstio, cum quo ascendit in cœlum. Audistis quod de Euangelio modò recens sonuit in auribus nostris, quia eleuatis manibus suis benedixit eis, & factum est, vt benediceret eis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum Christus Dominus. Qui ferebatur in cœlum? Dominus Christus. Qui Dominus Christus? Quid enim, separaturus es hominem à Deo, & facturus es aliam personam Dei, aliam hominis, vt iam non sit trinitas, sed quaternitas? Quomodo tu homo anima es & corpus, & sicut corpus & anima vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Sed verbum nón recessit à patre, & ad nos venit, & patrem non deseruit, & in vtero carnem accepit, & mundum rexit. Quid ergo leuatum est in cœlum, nisi quod sumptum est de terra? Id est, caro illa, corpus illud, de quo loquens ad discipulos ait, Palpate & videte, quia spiritus ossa & carnẽ non habet, sicut me videtis habere. Credamus hoc fratres, & si argumenta philosophorum difficile soluimus, illud quod demonstratum est in Domino, sine difficultate fidei teneamus. Illi garriant, nos credamus. Sed non potest, inquiunt, esse terrenum corpus in cœlo. Quid si hoc velit Deus? Responde contra Deum & dic, Non potest Deus. Nonne & tu quicunque paganus, dicis omnipotentem Deum. Nonne in libro Platonis, quod hesterno die declaraui, legitur, dixisse Deus non factus diis à se factis: Quo-

niam estis orti, immortales quidem esse & indissolubiles non potestis : non tamen dissoluemini, neque vlla vos mortis fata periment, nec erunt valentiora, quàm consilium meum, quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa, quibus estis colligati? Totum ad volũtatem suam redegit Deus, qui potest, & quod impossibile est. Nam quid est aliud, non potestis esse immortales, sed vt non moriamini ego facio, nisi & quod fieri non potest ego facio? Volo tamen aliquid etiam de diuersitate disputare. Rogo dic mihi: Terra terra est, Aqua aqua est, Aër aër est, Æther est cœlum, & ignis ille liquidus cœlum est. Quatuor nempe ista grauida quasi construxerunt & ædificauerunt mundum: hoc est, ex his quatuor ædificatus est mundus. Quod in imo sit, terra est. Quod desuper, aqua. Quod super aquam, aër est. Quod super aërem est, cœlum est, æther est. Corpora solida quæ tenentur atque tractantur, non humida dico, quæ labuntur & fluunt, corpora dico, tractabilia vnde sunt? Terræ deputanda sunt, an aquæ, an aëri, an ætheri? Responsurus es: Terræ. Terrenum corpus ergò est lignum? Planè terrenum. In terra nascitur, in terra alitur, in terra crescit. Tractabile est, non fluxibile. Redi mecum ad illum ordinem ponderum. Terra est in fundamento. Ordinem sequere. Quod super terram? Aquæ. Quare lignum natat super aquam? Terrenum est corpus. Si reuoces ad illum ordinem ponderum, sub aqua esse debuit, non supra. Inuenimus inter terram & lignum aquam mediam, super terram aquã, & super aquam iterum terram, quando quidem lignum terra est. Perdidisti illum ordinem, tene fidem. Ergo terrena corpora inuenta sunt super elementum, quod secundum est in ordine elementorum, quando natant ligna, neque merguntur. Attende aliud, quod plus mireris. Corpora ipsa grauissima & tamen terrena

mox

mox vt dimissa fuerint super aquam, continuò demerguntur, & ad ima profunda perueniunt, sicut est ferrum, postremo sicut est plumbum. Quid enim plumbo grauius? Accedit tamen manus artificis ad plumbum, facit inde aliquod vas concauum, & natat plumbum super aquam. Ergóne non Deus dabit corpori meo, quod dat artifex plumbo? Deinde aquam ipsam vbi ponitis? Redite ad ordinem elemẽtorum. Certè respondebitis, quòd aqua sit super terram. Quare ergò antequam in terra currant, pendent in nubibus flumina? Reuoca nunc considerationem tuam, & cogitationem ad ea, quæ dicturus sum, si Domino adiuuante explicare potuero. Quid facilius mouetur, quid velocius agitatur? grauius corpus an leuius? Quis non respondeat, leuius? Leuiora enim corpora facilius mouentur, velocius aguntur, grauiora difficilius atque tardius. Certè regulam fixisti, certè considerasti, & circumspectis omnibus respondisti, quia facilius mouentur, & agũtur velocius corpora leuiora quàm grauiora. Ita est, dicis. Responde ergò mihi: Quare leuissima aranea se tardè mouet, & grauis equus velociter currit? De ipsis hominibus loquar, maius corpus hominis grauius est, breuius corpus, quod minus habet ponderis, leuius est. Ita verò est, si alius portet. Si autem ipse homo corpus suum portat, validius currit, macer languore vix ambulat. Appende macrum & robustum hominem, illum languore vix paucas libellas appendentem, illum salubritate corporis multa pondera in carne sua gerentem. Tempta tu ambos tollere, grauis est validus, leuis est macilentus. Recedat portator, appareat ambulator, ipsos dimitte sibi, ferant corpora sua, video validum, robustumque currentem. Si hoc valet sanitas, immortalitas quid valebit? Dabit ergo Deus miram facilitatem, miram leuitatem. Non sine causa illa corpora spiritalia

nuncupata sunt, non ideò dicta sunt spiritalia, quia erunt spiritus non corpora. Nam ista, quæ modò habemus, dicuntur animalia corpora, & tamen animæ non sunt, sed corpora: sic illa spiritalia dicuntur, sed non sunt spiritus, nisi quia ad nutum spiritus seruient. Nihil tibi contradicit ex te, nihil in te rebellat aduersus te, non ibi erit quod Apostolus gemit. Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem, non ibi erit, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Hæc bella ibi non erunt, pax tibi erit, pax perfecta ibi erit. Vbi volueris, eris, sed à Deo non recedes. Vbi volueris, eris, sed quocunq; ieris, Deum tuum habebis. De quo beatus eris, semper cum illo eris. Nemo ergo fallat, nemo argumentetur, nemo sua suspicione deliret: Quid nobis promisit Deus? Venturum esse certissimè teneamus. Quando videbatur Christus fratres mei, quando spiritus putabatur, vt se corpus esse persuaderet, non solùm præbebat oculis videndum, sed etiam manibus contrectandum. Quibus ad exhibendam fidei veritatem in corpore, dignatus est etiam non necessitate sed potestate cibum sumere. Tamen adhuc illis præ gaudio trepidantibus, firmamentum cordis adhibuit de sanctis scripturis: & ait illis, Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum: sicut Euangelium loquitur, quod modò lectum est, vt intelligerent scripturas, & dixit eis: Quia sic scriptum est, & sic oportebat CHRISTVM pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prędicare in nomine eius pœnitentiam in remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierosolymis. Illud non vidimus, sed hoc videmus. Quando ista promittebantur, nondum videbantur. Apostoli Christum pręsentem

tem

tem videbant, ſed toto orbe terrarum diffuſam Eccleſiam non videbant. Videbant caput, & de corpore credebant: habemus vices noſtras, habemus gratiam diſpenſationis & diſtributionis noſtræ ad credendũ certiſſimis documentis, tempora nobis in vna fide ſunt diſtributa. Illi videbant caput, & credebant de corpore, nos videmus corpus, credamus de capite.

QVÆSTIO XV.

Qualis ſit futura reſurrectio: & cur Chriſtus poſt reſurrectionem comederit, atque cicatrices ſeruauerit, & anne idem de nobis futurum.

MOuet quoſdam, & requirunt de duabus reſurrectionibus, quæ conueniat promiſſæ reſurrectioni, vtrum nam Chriſti, an Lazari? Si Chriſti, inquiunt, quomodo poteſt hæc cõuenire reſurrectioni natorum ex ſemine eius, qui nulla ſeminis conditione natus eſt. Si autem Lazari reſurrectio conuenire aſſeritur, nec hæc quidem congruere videtur. Siquidem Lazari reſurrectio facta ſit de corpore nõdum tabeſcente, de eo corpore, quo Lazarus dicebatur: noſtra autem multis ſeculis poſt ex confuſo èruetur. Deinde ſi poſt reſurrectionem ſtatus beatus futurus eſt, nulla corporis iniuria, nulla neceſſitate famis, quid ſibi vult cibatum Chriſtum fuiſſe, & vulnera monſtrauiſſe? Sed ſi propter incredulum fecit, finxit: ſi autem verum oſtendit, ergo in reſurrectione accepta futura ſunt vulnera. Quibus reſpondetur, ideò non Lazari reſurrectionem, ſed potius Chriſti congruere promiſſæ reſurrectioni, quia Lazarus ita reſurrexit, vt iterum moreretur: Chriſtus autem (ſicut de illo ſcriptum eſt) ſurgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur. Quod etiam promiſſum eſt reſurrecturis in fine

Aug. Epiſtola 49. ad Deogratias Presbyterũ. Tom. 2. pagin. 124.

seculi,& cum illo regnaturis in æternum. Sic autem non pertinet ad resurrectionem, differentia natiuitatis Christi & nostræ, quod ille sine virili semine, nos autem non sine viro & fœmina creati sumus, sicut etiam non pertinet ad ipsius mortis differentiam. Non enim propterea illius nō vera mors fuit, quia sine virili semine natus est: sicut nec ipsius primi hominis aliter exorta caro quam nostra, quandoquidem ille sine parētibus de terra creatus est, nos verò ex parentibus, aliquid attulit ad differentiam mortis, vt aliter ille moreretur, aliter nos. Sicut autem ad mortis, sic nec ad resurrectionis differentiam valet diuersa natiuitas. Sed si nec hoc, quod scriptum est de primo homine, similiter infideles homines volunt credere, quærant vel animaduertant, si vel hoc possunt, quam multorū animalium genera sine parentibus ex terra procreentur, quæ tamen coëundo pariant etiam ipsa sui simile, nec propter natiuitatis diuersitatem intersit aliquid ad naturam eorū, quæ procreata sunt ex terra, & eorum, quæ illis coëuntibus orta sunt. Similiter enim viuunt, similiterq; moriuntur, quamuis dissimiliter nata sint. Ita non est absurdum, vt similiter resurgant corpora, quæ dissimiliter orta sunt, huiusmodi autem homines nō valentes intueri, ad quam rem intersit aliquid diuersum, & ad quam non intersit, vbi non aduerterint aliquam distantiam primordiorum, etiam omnia consequentia distare oportere contendunt: possunt tales putare, oleum ex adipibus non debere natare super aquam, sicut illud quod ex oliua est, quoniam longa est vtriusq; origo dissimilis, quando illud ex ligno, hoc ex carne profluxerit. Quantum autem attinet ad illam differentiam, quod Christi corpus, non dissolutum tabe atq; putredine, die tertio resurrexit, nostra verò post longum tempus, ex quo soluta discesserāt confusione, reparabuntur, humanæ fa-

næ facultati vtrumq; impoſſibile eſt, diuinæ autem poteſtati vtrumq; facillimum. Vt enim radius oculi noſtri non citius peruenit ad propinquiora, quam ad longinquiora, ſed vtraque interualla, parili celeritate contingit: ita, cum in ictu oculi, ſicut Apoſtolus dicit, fit reſurrectio mortuorum, omnipotentiæ Dei & ineffabili nutui tam facile eſt, quæque recentia, quàm diuturno tempore dilapſa cadauera ſuſcitare. Incredibilia ſunt hæc quibuſdam, quia inexperta, cum omnis natura rerum tàm ſit plena miraculis, vt non quaſi facili perueſtigatione rationis, ſed videndi conſuetudine, mira nõ ſint, atq; ob hoc, nec conſideratione, nec inquiſitione digna videantur. Nam ego & mecum quicunq; inuiſibilia Dei per ea quę facta ſunt, intelligere moliuntur, aut non minus aut amplius admiramur, in vno ſeminis tã paruulo grano omnia, quæ laudamus in arbore tanquã liciata latuiſſe, quam mundi huius tàm ingentem ſinum, quæ de corporibus humanis dum dilabuntur aſſumit, reſurrectioni futuræ tota & integra redditurum. Quomodo autem contrarium eſt, & Chriſtum poſt reſurrectionem cibatum, & in reſurrectione, quæ promittitur, ciborum indigentiam non futuram, cum & angelos legamus eiuſdem modi eſcas eodemq; modo ſumpſiſſe, non ficto & inani phantaſmate, ſed manifeſtiſſima veritate, nec tamen neceſſitate, ſed poteſtate? Aliter enim abſorbet terra aquam ſitiens, aliter ſolis radius candens. Illa indigentia, iſte potentia. Futurę ergo reſurrectionis corpus, imperfectæ felicitatis erit, ſi cibos ſumere non potuerit, imperfectæ felicitatis, ſi cibis eguerit. Poſſem hic de commutationibus corporalium qualitatum, & de præpotenti valentia in inferiora corpora corporum ſuperiorum latius diſputare: Sed breuiter mihi reſpondere propoſitum eſt, & talibus ingeniis hoc ſcribitur, quæ admonere ſuffecerit. Sciat

ſanè qui has propoſuit quæſtiones, Chriſtum poſt reſurrectionem cicatrices non vulnera demonſtrâſſe dubitantibus, propter quos etiam cibum ac potum ſumere voluit, non ſemel, ſed ſæpius, ne illud non corpus, ſed ſpiritum eſſe arbitrarentur, & ſibi non ſolidè, ſed imaginaliter apparere. Tunc autem illæ falſæ cicatrices fuiſſent, ſi nulla vulnera præceſſiſſent, & tamen nec ipſæ eſſent, ſi eas eſſe noluiſſet. Voluit autem certè diſpenſationis gratia vt eis quos ædificabat in fide non ficta, non aliud pro alio, ſed hoc quod crucifixum viderant, reſurrexiſſe monſtraret. Quid eſt ergo quod dicitur: Si propter incredulum fecit, finxit: quaſi verò ſi quiſquam vir fortis pro patria dimicans, multa aduerſa vulnera exciperet, ipſe potius diceret, ſic ſe velle ſanari, vt magis eſſent in corpore ſuo veſtigia vulnerum, tanquam tituli gloriarum, ideo ille medicus cicatrices finxiſſe diceretur, quia cum per artem efficere potuerit, vt non eſſent, certa exiſtente cauſſa, per artem effecit potius vt eſſent, quæ vno ſolo modo, ſicut ſuperius dixi, falſæ conuincerentur, ſi nulla vulnera ſanarentur.

Hactenus Augu-ſtinus.

F I N I S.

IN-

RERVM ET LOCORVM MEMORABILIVM, IN HOC PROMPTVARIO REVER. ET CLARISS. D. D. FELICIS BIDEMBACHII exequiali comprehenſorum, ſecundum ſeriem Alphabeticam congeſtus.

A.

Cala-

Con-

Decre-

ſecu-

Ibici

iuge


2 Qui

pa-

San-

THE-

FINIS.



teoria, quatenus est qua contract...
tenus est quadam sacramen...
in legitimo christianorum matri...
teria et forma quoad sacramentu...
utique de matrimonium inter chri...
etiam sacramentum. Confi...
ex sacris literis, neque e...
difficultates ad matrimonium...
ex examinarent propter novas ha...
pacto colligi potest aliam de ma...
trimonij quatenus contractus ...
latenus est sacramentum. Quare ...
matrimonium fiat sacrame...
Tc proferas a coniugibus v.g. ...
m, accipio te in maritum ...
...cetum civile sufficient. Rat...
tum christianorum legitimum dif...
igitur contractus solum humanus ...
mentum.

QUAESTIO

An consensus pare... a...
matrimonij requi...

Erasmus in collogio de matrimo...
lib. 4 institutionum cap. 19 pa...